
31=


DESCRIPTIO
Legationis Batavicæ
Societatis Indiæ Orientalis
ad
Magnum Tartariæ Chamum
Modernum SINÆ IMPERATOREM
cum Privilegio.
Amstelodami
Apud Iacobum Meursium Calcographum et Bibliopolam in fossâ Cæsareâ. A. 1668.

LEGATIO BATAVICA
AD
Magnum Tartariæ CHAMUM
SUNGTEIUM,
Modernum Sinæ Imperatorem.
HISTORIARUM NARRATIONE,
QUÆ

Legatis in Provinciis *Quantung*, *Kiangsi*, *Nanking*, *Xantung*, *Peking*, & Aula Imperatoriâ ab Anno 1655 ad annum 1657 obtigerunt, ut & ardua Sinensium in bello Tartarico fortunâ, Provinciarum accurata Geographia, urbium delineatione,

NEC NON

Artis & Naturæ miraculis ex Animalium, Vegetabilium, Mineralium genere per centum & quinquaginta æneas figuras passim illustrata & conscripta vernacule

PER

JOANNEM NIEUHOVIUM,
Primum Legationis Aulæ magistrum, jam *Coylanæ* Præfectum.

LATINITATE DONATA
Per Clarissimum Virum

GEORGIUM HORNIUM,
Historiarum inceleberrimâ Lugd. Batav. Acad. Prof.



AMSTELODAMI,
Apud JACOBUM MEURSIUM, in Fossâ Imperatoriâ.
Cum S. Cæsareæ Majestatis, Christianissimi Galliarum Regis, & Præpotentum Fœderati Belgii Ordinum Privilegio. ANNO CIϽ IϽC LXVIII.

VIRO EXCELLENTISSIMO

GEORGIO HORNIO,

Historiarum in Alma Batavorum Academia Professori celeberrimo,

Amico incomparabili,

CUM HISTORIAM

MAGNIFICÆ LEGATIONIS

AD POTENTISSIMUM

CHINENSIUM IMPERATOREM

Ex Belgico sermone in Latinum conversam applaudentibus eruditis publicaret.

QUA nunc laude recens HORNI, *Vir maxime, crescis,*
Ingenii præstantis Opes quod sæpius offers?
Quas non imber edax, series nec longa dierum
Diruet, at vivent multis post funera seclis.
Ennumerare velit si quis tua scripta per Orbem
Sparsa, quot egregiis libris replebitur Index?
Eminet hos inter qui nunc erumpit in auras,
Qui nobis aperit loca tam spatiosa Sinensis
Imperii: Belgis ignota prioribus arte
Mirifica detecta patent. Descripserat illa
Vernaclo Batavus sermone: industria nostri
Historici, quem LEIDA *potens veneratur, & omnis*
Candidioris amat doctrinæ cultor, eandem
Historiam, rebus præclaris undique plenam,
Transtulit, & pulcra donavit veste Latini
Eloquii, a cunctis hæc ut monumenta legantur.
Gratum Opus ingenuis, ad cognoscenda potentis
Admiranda DEI, *ditantis sedibus Orbem*
Innumeris, quæ divitiis & fructibus amplæ,
Urbibus augustis instructæ, ac pinguibus agris,
Fontibus & rivis, auroque fluentibus undis,
Large diffundunt populos sua dona per omnes.
Hæc tabulis expressa novis, sumptuque benigno
Sculptoris MEURSI, *lectoribus* AMSTELA *tradit,*
AMSTELA TERRARUM DECUS INGENS, GLORIA MUNDI,

In qua urbe hæc scribebam

JOHANNES CHRISTENIUS
Jurisprudentiæ Professor.

PARS



Noord
Septentrio.
TANYN TARTARIÆ PARS.
REGNUM NIUCHE
Xamo desertum
Sandige
Woestyne
Murus 300 Milliaria longus
Muur 300 mylen langh
Geele Rivier
Flumen Croceum
PEKIN.
LEAOTUNG.
XANSJ.
XENSJ.
XANTUM.
COREA.
JAPON
HONAN.
NANKIN.
Nanking
MARE
EOUM.
CHEUXAN
SUCHUEN.
HUQUAM.
CHE
KIANG.
Lacus Poyan
KIANSI.
QUICHEU.
FOKIEN.
JUNAN.
QUANGSJ.
CANTON.
FORMOSA.
IL.
TUNGKING.
Tropicus Cancri
Canton
Ilhas des Vyades
Makao of Makou
Regnum
Gannan
AYNAM.
LUCONIA
Milliaria Germanica communia
Meridies.
Zuyd
West
Occidens
Oost
oriens
REYS-KAERTE
vande Ambassade der Nederlantse
Oost Indise Compagnie, door CHINA
aen den Grooten Tartersen CHAM.
door JOHAN NIEUHOFF.
Carte du Voyage
des Ambassadeurs de la Compag
nie Orientale des Provinces Unies
vers l'Empereur de la CHINE.
Tabula Geographica
Itineris Legatorum Societatis Indiæ
Orientalis, Belgy Fœderati, per
Chinam ad Maximum Tartariæ Chamū.
Authore Ioanne Nieuhoff.
Land-Charte
Von der Reyse der Gesandten der Ost-Indischen
Compagney in den Vereinigten Niederländern
durch Sina, an den grossen Tartarischen Cham.
auffgesetzt von Johann Neuhoff.

PARS PRIMA LEGATIONIS BATAVICÆ, AD Magnum Tartariæ, Sinæque CHAMUM,

Peractæ per Nobiles & Magnificos

PETRUM de GOYER,

ET

JACOBUM de KEYSER,

DECRETO

Nobilissimi & strenuissimi Gubernatoris

JOHANNIS MAATZUYKERI,

Et Amplissimi

INDIARUM SENATUS.

Quæ iter Kantonâ Nankingum usque complectitur.

CUm juxta laudabile Græcorum, Romanorumque exemplar, qui Regionum longe dissitarum territoria peragrando immortale sibi nomen, Regium patriæ splendorem, ac ingens civibus comparaverunt emolumentum, majorem ætatis meæ partem in America transegissem, redeunti in patriam Indiæ Orientalis lustrandæ cupido incessit, Cæsare Trajano exemplo monstrante viam, qui ætate jam decrepitâ, cum aliquot naves ad Indias destinatas casu naufragii cerneret, juvenili sibi robur exoptabat, ut Indiarum extrema perlustrandi foret facultas; tam felici eventu, ut eodem tempore, quo legatio in Sinam destinabatur, Bataviam, Hollandicæ Indiæ caput, appulerim. Visum fuit Gubernatori Indiarum Johanni

Maatzuikero, ita approbantibus, qui ſecretiora tractant conſilia, Nobiles & Magnificos Petrum de Goyer & Jacobum de Keyzer, legatos Pekingam, ad novum Tartariæ Sinæque Chamum, cujus victricibus armis paulo ante Sinicæ Taimingæ familiæ Majeſtas ſceptrum, coronamque ceſſerat, deſtinare, quo & Imperatori novo felicia auſpicia precarentur, & ſimul jura gentium, commerciorumque cum hoc fœdere legationibuſque exercerent.

Tam inopinâ animatus felicitate, cum legationis nunquam antea à Batavis tentatæ partem mihi ſuffragio Majorum demandaſſent, naturam, moreſque illarum gentium, nobis fere niſi obſcura, ac plerumque fabuloſâ traditione cognitos, ut ſe viſu, ſermone, converſatione ingerebant, curioſius annotare viſum, quandoquidem in hanc Regionem, à Geographis pro feliciſſimo Univerſi tractu habitam, ſedem, ſpe in patriam redeundi, nullus gentium hactenus collocare ſuſtinuit, gratam me rem poſteris, meæque non tantum patriæ, verum in univerſum, qui peregrina amant, facturum ratus; & abſque jactantia dixerim, nihil à me dignum curioſitate humanâ prætermiſſum, quod ad genium, moreſque populorum, in illa extrema Aſiæ orâ hactenus à notitia noſtra ſecluſorum, ſpectabat: præcipua vero cura fuit artificioſe ſitum regionum, urbium, pagorum, fluminum, montium, animalium, herbarumque vires, aliaque nobis incerta & incognita, quod hactenus Europæorum tentavit nemo, quaſi penicillo curioſis Lectoribus proponere.

Veruntamen, ne poſteris laborum fructu, quos in propriæ & ſingularis hujus Regionis naturæ indagine adhibuimus, fruſtremur, quidquid in hac Legatione nobis occurrit, breviter & perfunctorie, ad æternam rei memoriam prælo ſubjiciendum, duximus; ſed anteaquam de his verba faciamus, receptâ totius mundi diviſione, ratione nominis Sinæ etymologicâ, ejuſdemque ſitu, magnitudine, annuiſque reditibus præmiſſis, decem Regiones ex quindecim, (in quas tota Sina dividitur) earumque urbes, quas permeandi non oblata nobis fuit occaſio, ad uberiorem, & clariorem itinerarii noſtri intelligentiam paucis perſtringemus.

Totius mundi diviſio.

Univerſus terrarum, mariumque globus à modernis in duas dirimitur partes, veterem ſcilicet & novum orbem; ille Europam, Aſiam & Africam complectitur, quam diviſionem quidam attribuunt tribus Noachi Filiis, videlicet Sem, Cham, & Japhet, nam poſt univerſam mundi eluvionem Aſiam filio primo natu, Africam ſecundo, Europam tertio ſorte obtigiſſe autumant.

Novus orbis, quia eodem tempore, quo India Orientalis, detectus eſt, India Occidentalis nominatur, ſed ab Americo Veſpuſio Florentino America dicta, quamvis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo per Chriſtophorum Columbum Genuenſem Ferdinandi Caſtiliæ & Arragonenſium Regis, ejuſque uxoris mandato ante ipſum detectus ſit.

Sub

Sub novo orbe apte recenſetur terræ continentis portio meridionalis, quæ à primo inventore Ferdinando Magellano, anno milleſimo quadringenteſimo & vigeſimo, Magellanicæ nomen retinuit; cujus oras inter Anglos primo Franciſcus Drake anno ſexageſimo quinto; inter Batavos Olivérius de Noort ſeptuageſimo ſeptimo appulerunt, quas nuper Ferdinandus de Quier Hiſpanus ulterius detexit.

Aſia, ut reliquas mundi plagas, utpote ſcopo noſtro alienas, ſilentio tranſeamus, qua ſeptentrionem ſpectat mari Tartarico, qua Orientem magno mari Indico, Eoo dicto, à meridie mari rubro, ab occidente ſinu Arabico, & terræ continentis tractu inter dictum ſinum, & mare mediterraneum, concluditur. Longitudine ab *Helles ponto* ad *Malakkam,* ultimum Indiarum emporium, mille & trecenta, latitudine vero ab oſtio Sinus Arabici ad portum *Tabin,* mille & viginti milliaria Germanica continet. Termini Aſiæ ejuſque diviſio.

Univerſa Aſia, quam Priſci in magnam & parvam, à Neotericis in Perſiam, Imperium Turcicum, Indias cum inſulis, Tartariam & Sinam dividitur: hæc Aſia eſt illa globi terraquei portio, quam præreliquis elegit Altiſſimus, hæc parentes noſtros ſinu ſuo ſuſcepit, exinde propagato mortalium genere coloniæ per reliquas orbis partes longe lateque diffuſæ: Hæc lapſos protoplaſtas, hæc demum ipſum Deum generis humani vindicem, ac ſervatorem humana ſpecie tulit. Hæc de Aſia breviter dicta ſufficiant, eum in finem ut lectori conſtet, in qua mundi plaga Regnum Sinæ, nobis deſcribendum, ſitum ſit.

Sina Europæis *China*, vel *Tſchina*, Tartaris *Catay*, ejus incolæ iiſdem *Mangin* vel *Manthu*, id eſt Barbari dicuntur. M. Paulus Venetus, qui primus harum regionum notitiam anno milleſimo quadringenteſimo ſexto Europæ intulit, ſub *Catayæ* nomine eas deſcribit. Sed prævaluit *Chinæ* nomen, quod Luſitani Cantonenſes primi uſurparunt. Ipſi Sinenſes ut familiæ exuperantiam, ita nomen imperii mutant, unde *Than* latum ſine fine, *Yu* quies, *Tha* magnum, *Sciam* ornamentum, *Cheu* perfectum, *Han* via lactea cœli olim vocabatur. Sub *Ciu* familiâ *Min*, id eſt ſplendor, & *Tamin*, vel *Taimin* regnum magni ſplendoris, trecentis annis ante Ivena, Imperante *Tay-juen*, nominabatur, hodie à Tartaris Regni ſub magno Chamo poſſeſſoribus, *Tai'c'ing* dicitur. Duo tamen communia nomina habet *Chungchoa* medium Regnum, *Chungque* hortus medius, quod crederent terram eſſe quadratam, & in ejus meditullio Sinam: Unde ægre ferebant, Europæos Sinam in extima Aſiæ ora locantes; quod deprehendens Mathias Riccius Pater Societatis Mappam, ita diſpoſuit, ut in medio ejus Sina conficeretur. Sed jam illum errorem ipſi rident. Attamen finitimæ gentes hanc uſitatam Sinarum nominis Regni cum nomine familiæ imperatricis viciſſitudinem parum æſtimantes, prius auditum retinuerunt nomen; nam *Kouchenchinæ* & *Siamii* hoc imperium *Cin*, Japonii *Than*, Tartari *Han*, Turcæ & Saraceni *Katayum* vocant. De origine nominis Ratio Etymologica nominis Sinæ.

Chinæ non opus eſt aliorum referre falſas & incertas opiniones, ſufficiat audire Martinium, cujus VI Annalium Sinicorum hæc ſunt verba.

Martinus Martinius lib. 6. Sinicæ Hiſtoriæ.

Illud hic non tacebo, videri mihi admodum probabile, non apud Indos modo, verum apud exteras etiam nationes Sinarum nomen à Regiæ iſtius familiæ nomine fluxiſſe, ut Sinarum *ſeu* Cinarum *potius appellaretur imperium. Iſtorum namque Regum tempeſtate primum* Cinarum *fama, nomenque pervenit ad exteras gentes, ad Indos præcipue, apud quos poſtmodum hæſit, & ab illis accepêre ſubactâ Indiâ Luſitani. Hæc enim* Cina *familia* (ducentis quadraginta ſex annis ante Chriſti nativitatem) *in maxima Sinarum ad Occidentem vergentium parte regnabat; imo cum exteris gentibus bellum geſſit, ut ſupra diximus. Fixâ deinde ibidem imperii ſede,* Cinicum *dicebatur imperium. Poſtea vero quum ad rerum humanarum culmen evaſit, multo plura externis bella fecit. Unde nil mirum, ſi* Cinicæ *appellationis uſus apud eos invaluit. Ac licet extremam hanc Aſiam vario nomine appellent Sinæ, prout imperatrices familiæ quoque variant, primo tamen auditum nomen retinuêre. Notandum vero primam literam, non Italorum, ſed Hiſpanorum, vel Germanorum more pronuntiandam, ita ut ſcriptum* Cin *per* Z *aſperiore ſono prodeat è gutture. Argumentum in hanc rem ſuppeditat lapis ille, (de quo ſuo loco) qui anno Domini ſeptuageſimo octogeſimo ſecundo ab illis, qui primi Divinam legem in Sinis promulgavere, partim* Sinicis, *partim* Syriacis *literis inſcriptus, & in Provincia* Xenſi *repertus inter alia vocabulum* Zinoſton *habet, quod extremam Aſiam ſignificat, quaſi dicas* Zin *regionem ſive terram. Hæc mea eſt de Sinici nominis notatione opinio, de meliore conjectura nihil præjudicantis. Sed revertamur ad hiſtoriam, quam nihilominus Sinicam molliore literâ placuit inſcribere, quo tam facilis eſſet, quam communis omnibus pronuntiatio.*

Ante Chriſtum natum 2260.

Priſcis temporibus ſub *Xuno* duodecim, ſub *Yvo* novem fuerunt Provinciæ, quo tempore non niſi boreales partes complectebatur, tandem partibus auſtralibus paulatim ſubactis, & à Barbarie liberatis in quindecim Regiones diviſum fuit; quibus Regio *Leaotung*, quæ *Peking* occidua, ubi muri initium, ut & peninſula *Korea*, accenſentur, quæ continens cum *Niuche* Tartaricâ in fluvio *Yalo* terminatur. Præterea inſulæ *Hainan* quæ Regioni *Quangſi*, *Formoſa*, à Sinis *Lienkeu* quæ *Fokien*, & *Cheuxan*, quæ *Chekiang* opponuntur.

Sex Provinciæ maritimæ ſunt *Peking*, Xantung, *Kiangnan*, vel *Nanking*, *Chekiang*, *Fokien*, & *Quangtung*. Mediterraneæ ad Boream ſunt *Quangſi*, *Kiangſi*, *Huquang*, *Honan*, & *Xanſi*, *verſus occaſum Xenſi*, *Suckuen*, *Queicheu*, & *Junnan*.

Sina Borealis, & Auſtralis.

Poſtremis temporibus Sina diviſa eſt in Auſtralem, & Borealem, quarum illa à Tartaris Regnum *Mangin*; hæc ab iiſdem *Catayo* nuncupatur, ubi prius novem; poſterius ſex abſolvitur Provinciis. Fluvius *Kiang*, maris filius, utramque dividit.

Error ſtatuentium. Katayam

Hinc erroris manifeſti, qui aliam extra Sinæ muros *Katajam*, *Quinſay*, *Kambalu*, aliaſque urbes fingunt, cum nonniſi Tartarorum Nomadum plau-

plaustra & tentoria sine urbibus ibi reperiantur; nec reperta à Jesuitis extra Sinam ulla *Kataja*, quod Celeberrimus Jacobus *Golius* peculiari dissertatione, Sinensi Atlanti adjuncta, argumentis, ex lingua *Kataja* & *Sinica* petitis, ostendit. extra Sinæ muros.

Sina quadratam fere figuram obtinet, nisi quod duo promontoria, quæ à Sinis dicuntur *Tung* id est Orientale; unum apud *Ningpo*, à quo intra quadraginta horas *Japoniam* navigatur, alterum apud *Tengcheu* in *Xantung*, longe in maria excurrant. Sina quadrata.

Sina, in extremo Asiæ sita, terminos ad Orientem, austrum & occasum Oceanum Indicum, quem incolæ *Tung*, id est Orientale, vocant, habet. Borealis murus ille ingens à veteri Tartaria, Regnis *Niuche*, *Niuchan*, & parte *Taniju* separat. Inter Regna magis borealia *Samahan* & *Kascar* desertum arenosum *Samo* jacet. Austrum regna Presbyteri Johannis, *Geo*, *Tibet*, *Laos* & *Mien*, à Sinis *Sifan*, id est Regni confinia dicta, claudunt. Inde *Bengala* proximat & Damasios montes, per quos à Tartaris & Indis secernitur. Termini Sinæ.

Latitudo ejus ad austrum ab insula *Hainan*, quæ sub Boreali poli elevatione ad octodecim gradus jacet, unde aquilonem versus ad quadraginta duos extenditur, ita ut Sina viginti duos gradus, sive trecenta & triginta milliaria lata sit. Longitudo à *Junnan* à centesimo & duodecimo gradu ad *Ningpo*, Lusitanis *Nampo*, sive ad centesimum quadragesimum quartum, id est, quadringenta quinquaginta milliaria, procurrit. Magnitudo.

Totum imperium terra marique firmissimis natura & arte munitionibus inexpugnabile videtur. Quinimo ex naturæ situ adeo exiles, clausique sunt omnes aditus, ut orbis in magno orbe singularis appareat. Mare ad ortum, æque ac austrum Classibus ob brevia, syrtes, insulas, rupes periculosum. Inde occiduis ad austrum sylvis, montibus, desertis & ingenti muro borealibus cinctum, hostes arcet. Munimenta.

Metropoles centum quadraginta quinque numerantur, quibus mille trecentæ triginta & una urbes subsunt, ex quibus centum quadraginta octo magnitudine, hominum frequentia, & commerciorum copia prioribus minime cedunt. Præter has sunt triginta duæ civitates majores, quibus Metropolitana dignitas, quamvis nulli pareant, & sexaginta sex oppidis jura dent, denegatur. Extraordinariæ dantur tres urbes belli Ducibus assignatæ. Præsidia militaria per Provincias sparsa intra murum, in ipso & exterius spectantur centum quinquaginta novem. Adde insuper urbes militares septemdecim, & sexaginta sex oppida, in quibus milites permixti civibus habitant. Quæ collecta dant mille octoginta sedecim loca celebrioribus per Europam urbibus, si Romam, Venetias, Constantinopolin, Londinum, Parisios, Pragam, Amstelodamum excipias, nihil inferiora. Numerus urbium.

Discrimen urbium & oppidorum non tam in magnitudine, quam digni- Differentia & con-

venientia urbium.

gnitate & privilegiis consistit. Pagi, vici, & parochia, licet circumferentia, & multitudine plebis cum minoribus, quæ Sinis *Chien*, certent, urbis titulo gaudere prohibentur, quia mænibus destituta non suo, sed alieno magistratu reguntur.

Una fera omnibus urbibus, oppidisque forma est, structura quadrata, altis latisque muris & turribus, ampla fossa, portis duplicibus, quarum altera ex prima conspici non potest; lata intercedente ad exercitium militum area. Portis impositæ præcelsæ turres velut speculæ, quas *Muen Jeu* vocant. Suburbia plerumque hic tam ampla & spatiosa spectantur, ut sæpe præ populi multitudine geminæ putentur urbes. In loco paululum à mænibus remoto & maxime amæno una ut minimum conspicitur turris, in memoriam insignis Viri structa, cui prisca gentis superstitio sortem prosperam aut adversam prædicendi facultatem affinxerat.

Hominum multitudo.

Ingens hominum multitudo: totum imperium extra pariter ac intra mænia iis, velut fornicibus, scatet: præter Regiam domum, Magistratus, Eunuchos, Milites, Sacerdotes, Fæminas & Infantes quinquaginta octo milliones, nongenta & quatuordecim millia, ducenta, octoginta quatuor, 58,914,284. hominum virili ætate referunt rationum publicarum libri. Nec hoc lectori admirationem moveat, nam si murus à millione militum custodiatur, si trecenta millia per Sinam sparsim victitent, qui unum Hunguvo, Tamingæ familiæ Imperatricis conditorem, sui Sanguinis auctorem agnoscunt; si quinque millia militum singulas nocturnas excubias obeant, diurnas totidem Eunuchi, si decem millia præfectorum, exceptis minoribus, numerentur, facile assensum impetrabit, qui eam dixerit ducentos milliones virorum continere, præcipue si numerum navigantium addideris: tanta enim ubique navium copia est, ut sub noctem quiescentes sæpe civitatis magnæ speciem præ se ferant. Et facile numerus incolarum innotescit; Cujusque pater familias maximæ domus suæ januæ tabellam, cui numerus & conditio domesticorum inscriptus, sub gravi mulcta tenetur affigere, ac ne fraus committatur, singulis decem domibus præest quidam, quem *Titang*, id est, decurionem vocant, qui numerum annotat, & si error aut dolus commissus fuerit præfecto indicat.

Imperii reditus.

Annuatim præter expensas publicas Regulorum, Præfectorum, ac militum sexaginta milliones scutatorum in ærarium publicum deferuntur, ipso Imperatore nullam potestatem habente; attamen per epistolam si à præfecto ærarii subsidium petat, nunquam hoc ei denegatur.

Pendunt provinciæ annuatim triginta duos milliones, ducenta & septem millia, quadringentos, quadraginta quinque, 32, 207, 445. saccos oryzæ; quorum singuli sufficiunt centum hominibus in diem integram. Byssi crudæ quadragies centum, novies mille, nongentas, quadraginta novem 40, 9, 9, 49. libras, ubi singulæ uncias viginti Europæas faciunt. Gossypii vero sexcenties tricies mille, quingenta, & quin-

quaginta 6, 30, 5, 50 volumina, confecti ſerici, centum nonaginta unum mille, quingenta, & triginta 1, 91, 5, 30 volumina. Sed urbs *Hocheu* tributum hoc quingentis aureorum millibus annuatim redimit. Salis quindecies centum nonaginta quatuor millia, ducenta ſexaginta & unum, 15, 94, 2, 61 pondus, cujus quodlibet eſt centum viginti quatuor librarum, in univerſum centum octoginta ſeptem milliones, ſexagies octies centum, & octo millia, trecentas, ſexaginta quatuor 187, 68, 8, 3, 64 numerantur libræ. Faſces fæni, aut ſtraminis pro Regiis equis triginta duo milliones, quater centum, & octodecim millia, ſexcenti, & viginti quinque 32, 4, 18, 6, 27, fæni, aut ſtraminis faſces, omiſſis brevitatis gratia vectigalibus & portoriis, ſolvuntur.

Secunda Provincia Imperii Sinici

XANSI.

ANtiquior, ſed minor verſus Occidentem *Pekingâ Xanſi* eſt, in qua Sinæ prima Imperii ſui incunabula habuerunt.

Xanſi, quod regionem ad Occidentem Montium *Heng* ſignificat, murum verſus Orientem, *Tanyu*, & deſertum *Samo* habet: Occiduo fluvio *Croceo* à Borea in Auſtrum procurrente, & eam à X*enſi* ſeparante, alluitur. Termini *Xanſi.*

Xanſi quinque Metropoles, nonaginta duo oppida, & munimenta aliquot militaria complectitur. Cujuſque Metropoles ſunt *Taiyven, Pingyang, Taitung, Lugan*, & *Fuencheu.*

TAIYVEN prima Provinciæ Metropolis, ut ædificiorum ſplendore ac dignitate, ita lætiori viridantium collium, & nemoroſorum montium aſpectu illuſtris eſt. Occiduis fluvio *Fuen*, & Torrente *Lieu*, boreali amni *Cin* fæcunda. Trium Leucarum ſpatio magnifica ex marmore, aut ſecto lapide ſepulchra, & ſeptem ſplendida Heroum fana intra mænia complectitur, hæc ſe ſub habet viginti quinque urbes: *Taiyven, Taiyven, Iucu, Taco, Ki, Siukeu, Cingyven, Kiaoching, Venxui, Xeuyang, Yu, Cinglo, Hokio, Pingting, Loping, Che, Tingſiang, Tai, Utai, Kiethi, Coſan, Fan, Hing, Paote*, & *Hiang.*

PINGYANG ſecunda Provinciæ Metropolis, Imperatoris *Javi* Regia, ad orientalem ripam fluminis *Fuen* jacet. Occidentale & Auſtrale urbis territorium flumen *Croceum* præterlabitur, fluvio *Hoei* dividitur, & monte *Golung* munitur, qui Boream verſus ad *Fuenſi*, & *Fuenxam*, in Auſtrum ad *Kioyao* & *Yching* excurrit. Sub ſe habet triginta quatuor, *Pingyang, Sianglin, Hungtung, Feuxan, Chaoching, Taiping, Yoiang, Ioching, Kioyao, Fuenſi, Pu, Pu, Lincin, Yungho, Yxi, Vanciven, Hocin, Kiai, Ganye, Hia, Venhi, Pinglo, Juiching, Kiang, Ciexan, Kiang, Yuenkio, Ho, Kie, Hiangning, Cie, Taning, Xeleu, Yangho.* Ex quibus *Pu, Kiai, Ho, Kie*, & *Cie* præcipuæ ſunt.

TAI-

TAITUNG tertia Provinciæ Metropolis, à Rege *Chao* Sinis subjecta, fortitudine ac viribus, tum ob opportunum loci situm, tum ob validam mæniorum structuram præcellit, tota montibus circumcincta, ut & ejus territorium, nisi in Occasu, ubi minus aspera Regio, & Tartarorum excursionibus patet, varia numerat munimenta. Undecim regit civitates, *Taitung*, *Hoaigin*, *Hoenyven*, *Ing*, *Xanin*, *So*, *Maye*, *Guei*, *Quangling*, & *Lingkieu*. Primariæ sunt *Ing*, *So*, & *Guei*.

LUNGAN, quarta Provinciæ Metropolis, ad Borealem ripam fluvii *Chang* surgit, Territorii exilitas amænitate compensatur, parent huic octo civitates, *Lugan*, *Chancu*, *Tunlieu*, *Siangheng*, *Luching*, *Huquan*, *Liching*, & *Pingxun*.

FUENCHEU, quinta Provinciæ Metropolis, per *Fuen* fluvium ascendentibus in ejus ripa, quâ Occidentem spectat, medio Metropolim inter & *Pingyang* urbem itinere, hæc nobis occurrit, loco ad commercia peropportuno. Duplici splendet Palatio, quorum alterum intra mænia, alterum extra portam sumptuosum pariter & ingens exsurgit, ubi Rex *Iang* æstivos solebat fallere calores. Præest civitatibus octo, quæ omnes ab Ortu in Occasum inter *Fuen* fluvium, & *Croceum* intercurrunt: *Fuencheu*, *Hiaoy*, *Pingjao*, *Kiaihieu*, *Ninghiang*, *Lingxe*, *Jungning* & *Lin*.

Præter has magnas urbes tria insuper municipia, *Cheu* Sinis dicta, *Sin*, *Leao*, & *Ce*, quæ quamvis privilegiis urbium careant, aliis tamen sui generis dominantur. *Sin* sub se habet *Siniven* & *Vuhiang*. *Leao* duas, *Iuxe* & *Hoxun*; *Ce* quinque, *Caoping*, *Iangehing*, *Linchuen*, & *Sinxui*.

Viæ publicæ & murus decem munimentis defenduntur, *Gueiyven*, *Ieuguei*, *Coguei*, *Maye*, *Vanglin*, *Jangho*, *Caoxan*, *Tienching*, *Chinlu*, *Cingyven*, *Pinglu*, *Chungtun*, *Gentung*, & *Tungxing*.

Hominum numerus. Familias hujus Provinciæ quinquies centum, octogies novies mille, nongintas & quinquaginta novem, 5.89.9.59. Viros quinquies centum, octogies quater mille, & quindecim 50.84.015. Viros liber census Sinici numerat.

Tributum. Tributum tritici, vel milii est vicies bis centum, septuaginta quatuor millium & viginti duorum 22. 74. 022 saccorum. Byssi librarum quinquaginta. 50. Quatuor millia septingenta & septuaginta 4770. pannorum omnis generis ex serico textorum. Straminis, aut fænifascium trigesies & quinquies centum, quadraginta, & quatuor millia, octogintorum, quinquaginta 35. 44. 8. 50. Salis pondera quadragies bis centies mille 4. 20000. exceptis vectigalibus & portoriis.

Tertia

Tertia Provincia Imperii Sinici.

XENSI.

XENSI Borealium Sinæ Regionum Occidentalior est maxima pars. Regno prete *Joan*, *Kaskar* & *Tibet*, quæ uno nomine *Sifan*, vocantur, altitudine triginta graduum proxima : versus Occidentem Solem Regnum *Taniju*, muro interjacente : non tamen tota muro cingitur; sed usque ad flumen *Croceum*, cætera arenis, & ipso flumine *Croceo* contra omnem vim muniuntur. Ad Ortum idem flumen, quod tres tertias ejus partes ambit, Australia altissimi & continui montes ab *Honan*, *Suchien*, & *Huquang* separant. Fines *Xensi.*

Aquarum pluvialium regio inops, hinc siccitas, magna tamen frumenti copia, parum oryzæ. Pecora frumento per hyemem alunt, quorum, maxime ovium & caprarum ingens multitudo. Ter anno, vere, æstate, autumno tondent. Sed prima tonsio optima : ex lana pannos ac vestes singulari arte conficiunt. Muscus ex umbilico cujusdam animalis forma Cervi incornis, cujus carnes pro cibo, depromitur. Dum prurit, umbilicus ejus instar vesicæ Sanguine plenæ turget. Hic tumor, qui umbilicum repræsentat, & extenui pilosa tunica constat, cum pretioso hoc liquore eximitur. Sed raro ad nos incorruptus defertur, Sinis, integro tumore, liquorem subdole eximinentibus, & corruptum loco ejus infarcientibus. Aurum ex fluminibus & ad ripas (fodinæ quanquam uberes sint, eas tamen scrutari illicitum) legunt. Moschi generatio.

Octo Metropoles, centum & septem urbes, munimenta & castella novemdecim complectitur.

Metropoles sunt *Sigang*, *Fungciang*, *Hanchung*, *Pingleang*, *Cungchang*, *Linijao*, *Kingyang* & *Jengan*.

SIGAN prima Provinciæ Metropolis, trium Imperantium familiarum *Chevæ*, *Cinæ*, & *Hanæ* sedes, septem superbis assurgit palatiis ad Australem fluminis *Guei*, tribus Pontibus ex secto quadratoque lapide super structis, ripam tam miranda acclivitate, ut ædificia paulatim montem subeuntia una cum mænibus quasi amphiteatrum quoddam jucundissimo aspectu repræsentent. Turris *Yeu* dicta *Novizonia* inter omnes altitudine ac splendore emicat. Pulchritudinem ejus septemdecim theatra tholo cooperta, ad variam animi remissionem vivarium in septo aqueo, Sinis *Viyang*, triginta stadia ambitu suo complectente, extructa, mire augent. Nec ultimum gloriæ gradum illustre templum, à Jesuitis Deo vero dicatum, obtinet. Numerantur in ejus territorio sex supra triginta civitates, *Sigan*, *Hienyang*, *Hingping*, *Linchang*, *Kingijang*, *Caoting*, *Hu*, *Lantien*, *Livo*, *Xang*, *Chingan*, *Tung*, *Chaoye*, *Hoyang*, *Chingching*,

Pexui, Hanching, Hoa, Hoayn, Gueinan, Puching, Conan, Xanijang, Xangnan, Yao, Sanyven, Tungquon, Fuping, Kien, Fungciven, Vucung, Jungxeu, Fuen, Xunhoa, Xanxui, Changvu.

Fungciang secunda Provinciæ Metropolis, qua Boream ſpectat, fluvio *Ping* adjacet. Ex ſalubriori aëris temperie, & mira agrorum per totam regionem fertilitate incolæ nomen à *Chung*, *Phænice*, & *Biang* felicitate derivari volunt. Totum ejus territorium altiſſimis montibus *Nan*, *Chingang*, cujus anfractus, cum tonitru vel tempeſtas imminet, boatum ac murmur ad triginta & amplius ſtadia edunt. *Taipe*, & *Quan*, ceu munitiſſimo vallo cingitur. Sub ſe habet octo urbes, *Fungciang, Kixan, Paoki, Fufung, Mui, Linieu, Lung*, & *Pingi-jang.*

Hanchung tertiæ Provinciæ Metropolis mænia Orientalis fluvius *Han* alluit montibus ubique altiſſimis, ac frequentiſſimis exſurgit, qui valles plures, eaſque peramænas claudunt. In hoc territorio, è quinque nobiliſſimis fanis, unum eſt Regi *Changleango* in ſtupendi operis memoriam dicatum, qui cum contra *Hiangyvum* de Imperio pugnaret, montium aſperitates & præcipitia ad mille & ducenta ſtadia incredibili celeritate in plana deduxit. Præeſt hæc urbs civitatibus ſedecim, *Hanchung, Paoching, Chingcu, Yang, Sihiang, Fung, Mien, Ningkiang, Lioyang, Hinggan, Pingli, Xeciven, Sinijang*, Hanijn, Peho, & *Cuijang.*

Pingleang quarta Provinciæ Metropolis, quam fluvius *King* ad Occaſum præterlabitur, qui inde in Ortum deflexus partem urbis occiduam pertranſit, in Auſtrum inde ſerpens, ad Ortum urbis Metropolitanæ, in Fluvium *Guei* ſe exonerat. Dulcium aquarum ſcaturigine peramænum; & urbem verſus ob nemora montium aſpectus jucundiſſimus. Decem ſub ſe habet civitates, *Pingleang, Cungſin, Hoating, Chinyven, Kuyven, King, Lingtai, Choangleang, Lungte*, & *Cingning.*

Cunchang quinta Provinciæ Metropolis; ad Auſtrum fluvius *Guei*, recta fere ad partem ſuperioris urbis Occidentalem, alluit: populo frequens eſt emporium, & opportunus ad Sinici Imperii cuſtodiam locus, quippe aſperitate montium, itinerumque difficultate hoſtium artes facile eludit. Antiquiſſimo ab hominis memoriâ ſepulchro, *Fohy* nimirum, primi apud Sinas Imperatoris celebris; hæc *Muſcho* dives ſub ſe ſeptemdecim civitates numerat. *Cungchang, Ganting, Hoeining, Tungguei, Chang, Ningyven, Fokiang, Siho, Ching, Cin, Cingan, Cingxui, Li, Kiai, Ven, Hoei, Leangtang.*

Linyao ſexta Provinciæ Metropolis, in vertice montis *Paoting* poſita, à Regis ſede ex familia Taminga, & auri copia commendatur, cujus mænia fluvius *Yao* tonitruante aquarum ſtrepitu ad ſtuporem populi præterfluit. Hic famoſus ille murus finem capit, cujus terminos ſtatuunt montes, qui ad ripas *Crocei* fluvii, Occaſum civitatis *Lon* præter fluentis, aſſurgunt. Quinque moderatur urbes: *Linyao, Gueiyven, Lan, Kin, Ho.*

Kin-

Kingiang septimam Provinciæ Metropolem, *Xius* Sinæ familiæ auctor, pulsis Tartaris, occupavit, firmo, mæniorum robore munita, tria illustria *Fana* in suo ambitu continet, in quorum uno triginta septem Regum *Chevæ* familiæ depictæ spectantur imagines. Hic oryza diuretica nascitur, ut & faba alexipharmaca; Sub se habet *Kingijang*, *Hoxi*, *Hoan*, *King* & *Chinning*.

Jengang octava Provinciæ Metropolis, si ad Boream versus procedamus, nobis ad ripam lacus *Lieu* loco amæno, rerumque omnium feraci occurrit; unde viginti civitatibus jura dat, *Jengan*, *Gansai*, *Canciven*, *Ganting*, *Pangan*, *Ychuen*, *Jenchuen*, *Jenchang*, *Cingkien*, *Feu*, *Cochuen*, *Chungpu*, *Ykiun*, *Suite*, *Miche*, *Kia*, *Upao*, *Xinmo* & *Fuco*.

Sunt & munimenta passim tota Regione extus & intra murum dispersa. Præcipua sunt novem *Socheu*, *Xacheu*, *Xancheu*, *Jungchang*, *Leangcheu*, *Choanglang*, *Sining*, *Chiny*, *Culang*. Reliquæ quatuordecim sunt minores, *Ninghia*, *Ninghiachung*, *Yaocheu*, *Mincheu*, *Hocheu*, *Cinglu*, *Yulin*, *Chinfan*, *Xetu*, *Hantung*, *Pinglu*, *Mingxa*, *Guei* & *Sengqui*. In ipso muro sitæ sunt sex præcipuæ, *Semuen*, *Kinthang*, *Hoama*, *Pecho*, *Taxum*, *Pukive*.

Familiarum sunt octies centum, unum & triginta millia, & quinquaginta una, 8. 31. 051. Virorum ad arma promptorum tricies novies centum, triginta quatuor millia, centum & septuaginta sex 39. 34. 176.

Præter vectigalia pro tributo solvit novies decies centies, vigesies novies mille, & quinquaginta septem 19. 29. 057. oryzæ saccos. Libras serici confecti omnis generis novies mille, ducentas & octodecim. 9218. Byssi trecentas sexaginta 360. gossipii decies septies mille centum & septuaginta duas 17172. Panni gossipini centum viginti octo milla, septingenta septuaginta 128770 volumina. Fasces fæni quindecies centum & quatuordecim milla, septingentos & quadraginta novem 1514749.

Quinta Provincia Imperii Sinici.

HONAN.

Honan *Nankingâ* ad Orientem & *Notapeliotem*, *Pekinga*, & quibusdam Provinciis *Xantung* ad Boream & *Barrapeliotem* clauditur. Cætera versus, Austrum ac *Notolybitum Huquam*: ad Occidentem *Sucheun* & *Xansi* est. Octo Metropoles sunt, centum urbes, & multa munimenta ac castella habet. Metropoles sunt, *Caifung*, *Queite*, *Changte*, *Gueihoei*, *Hoaiking*, *Honan*, *Nanijang*, & *Juning*.

Caifung prima Provinciæ Metropolis, anno MDCXLI post pertinacem à Rebellibus Sinici Imperatoris obsidionem, aquis tota fere deleta, jam utcunque decori pristino est restituta. Eam ab Ortu, & Occasu alluit fluvius *Pien Crocei* ramus, qui Austrum versus duabus

bus leucis ab urbe distat. Per amænum collem Y intra mænia concludit, Viridarium prope *Chin* muro clausum ad oculorum, animique oblectationem spectatur, in quo ars cubiculum fecit, quod adventitio frigore Solis radios facile eludit. ad urbis Occasum *Sunga* Imperatoria familia *Naumachiam* exstruxit, in qua *Taiçhungus* milites probare solebat. Territorio suo quatuor supra triginta includit civitates, *Caifung*, *Chinlieu*, *Ki*, *Tunghiu*, *Taikang*, *Gueixi*, *Gueichuen*, *IenIin*, *Fuken*, *Chungmeu*, *Languu*, *Iuenuu*, *Fungkieu*, *Iencin*, *Laniang*, *Chin*, *Xangxui*, *Sihoa*, *Hiangching*, *Xinkieu*, *Hiu*, *Liniju*, *Siangching*, *Ienching*, *Changio*, *Ju*, *Sinching*, *Mie*, *Ching*, *Iungyang*, *Iungce*, *Hoin*, *Suxui*, *Ifung*.

QUEITE secunda Provinciæ Metropolis, cujus totus ad Boream *Croceo*, ad Austrum *Hoai* ingentibus fluminibus clauditur districtus. Qui ob planitiem pinguedine glebæ & aëris inclementia inclytus est. Præest civitatibus novem, *Queite*, *Ningling*, *Loye*, *Hiaye*, *Jungching*, *Juching*, *Ciu*, *Hiaoching*, *Xeching*.

CHANGTE tertia Provinciæ Metropolis, à vicinis *Xansi* & *Peking* Provinciis in angustos limites coarctatur. Maxime Borealem Regionis partem occupat, quod *Lo*, *Ganyong*, Fluminibus irrigatur. Septem præest urbibus. *Changte*, *Tangin*, *Linchang*, *Lin*, *Cu*, *Vugam* & *Xe*.

GUEIHOEI quarta Provinciæ Metropolis jacet ad Austrum *Changte* in Australi ripa fluminis *Guei*, minor terræ fertilitas fluminum commoditate corrigitur. Septem nobiliora numerat fana. Sex urbibus imperat: *Gueihoei*, *Coching*, *Sinhiang*, *Hoekia*, *Ki*, & *Hoei*.

HOAIKING quinta Provinciæ Metropolis, cujus Borealem partem montes, Australem *Croceus* terminant. Sex moderatur urbes, *Hoaiking*, *Giyuen*, *Sievuu*, *Vuche*, *Meng*, *Ven*.

HONAN sexta Provinciæ Metropolis, quam centrum mundi Sinæ volunt triplici flumine clauditur; sed ad Borealem ripam fluminis *Co* longius excurrit; Qui sub uno Fanorum tredecem tanquam sub pontis fornice, interfluit. Habet sub se civitates quatuordecim: *Honan*, *Iensu*, *Cung*, *Mengcin*, *Yyang*, *Tengfung*, *Iungning*, *Singan*, *Mienchi*, *Cao*, *Xen*, *Lingpao*, *Xeuchiang*, *Luxi*.

NANIJANG septima Provinciæ Metropolis, rerum necessariarum ubertate reliquas superans, occiduo accumbit lateri fluminis *Yo*. Mons *Yu* Borealem urbis partem respicit, in quo magnus aquarum *Stagnantium* numerus. Tredecim regit civitates, *Nanijang*, *Chinping*, *Tang*, *Pieyang*, *Tungpe*, *Nanchao*, *Tengo*, *Nuihiang*, *Synije*, *Chechuen*, *Yu*, *Vuxang*, & *Ye*.

JUNING octava Provinciæ Metropolis, Orientalem Lacus *Co* ripam occupat; ad Boream montibus, ad Austrum fluvio *Hoei* clauditur. Pretiosâ & nunquam satis à Sinis laudata herba *Cha* celebris. Octo fana Heroibus dicata, numerat ac quatuordecim regit civitates: *Juning*, *Xangcai*, *Siping*, *Sincai*, *Siuping*, *Chinijang*, *Sinijang*, *Loxan*, *Kioxan*, *Quango*, *Quangxan*, *Cuxi*, *Sie*, & *Xanching*.

Magna

Magna urbs *Jui*, quæ, nondum Metropolitana dignitate à Sinis decorata, Imperat quinque oppidis *Ju*, *Luxan*, *Kia*, *Paofung*, & *Yang*.

Liber Sinicus, qui capitum censum continet, notat in hac Provincia familias, quinquies centum, octoginta novem millia, ducentas, nonaginta sex 5. 89. 296. viros vero quinquagies & semel centies, sexies, ducentos, septuaginta 51. 0. 6. 270.

Tributum tritici vel oryzæ est vicies quater centies, quater & decies mille, quadringentorum septuaginta septem 24. 14. 477. saccorum. Solvit byssi non elaboratæ vicies ter mille, quingentas & novem 23509 libras. Serici confecti varii generis novem millia, nongenta, quinquaginta novem 9957 volumina. Pannos ex gossipio trecentos quadraginta unum. 341. Fasces fæni pro pabulo Regiorum equorum vicies bis centies octogies octies mille septuagentos quadraginta quatuor 2288744.

Sexta Provincia Imperii Sinici.

SUCHVEN.

SUCHVEN, quasi quatuor aquas dicas, quam fluvius *Kiang* mediam interserat, magna & fertilis est Provincia, ad Orientem *Huquang*, Notapeliotem *Queicheu*, ad Boream & Barrapeliotem *Xensi*, ad Barrolybicum Regna Prete Joan, ad Occidentem *Tibet*, ad Austrum *Junnam* habet. Metropoles ejus octo sunt, centum viginti quatuor urbes & oppida, quatuor munitiones. Octo Metropoles sunt *Chingtu*, *Paoning*, *Xunxing*, *Siucheu*, *Chunking*, *Queicheu*, *Lunggan*, & *Mahu*.

CHINGTU prima Provinciæ Metropolis, emporium celeberrimum, & spatiosum, quod in meditullio suo palatium augustum, quatuor milliaria Italica sua peripheria circumscribens, complectitur, ad urbis Notapeliotem Rex *Sujus* Naumachiam in *Stagno Volung* paravit. Habet sub se urbes triginta sex, *Chingtu*, *Xoanglieu*, *Venkiang*, *Sinfan*, *Sintu*, *Kintang*, *Ginxeu*, *Cingping*, *Pi*, *Cu*, *Nuikiang*, *Quon*, *Peng*, *Cungning*, *Gan*, *Kien*, *Cuyang*, *Cungking*, *Sincin*, *Han*, *Xefan*, *Miencho*, *Teyung*, *Mien*, *Changming*, *Lokiang*, *Mieu*, *Venchuen*, *Guei*, & *Pao*.

PAONING secunda Provinciæ Metropolis, ad Austrum torrente *Haitang*, à copia rosarum aquaticarum sic dicta, ad Occasum fluvio *Kialing*, ad Ortum amænis pontibus clauditur. In ea quatuor sunt nobiliora Fana. Decem urbibus imperat, *Paoning*, *Cangki*, *Nanpu*, *Quangyven*, *Pa*, *Chaohoa*, *Tungkiang*, *Kien*, *Cutung*, & *Nankiang*.

XUNKING tertia Provinciæ Metropolis, ad Occasum montis *Co* jacet, pomorum aureorum sylvis celebris, castaneas fert, quæ instar sachari in ore liquescunt: tria habet fana, & decem sub se civitates. *Xunking*, *Sike*, *Fung*, *Jungxan*, *Ylung*, *Quanggan*, *Kin*, *Tacho*, *Gochi*, & *Linchui*.

SIUCHEU quarta Provinciæ Metropolis, emporium nobile eſt, cujus mænia ingens aquarum moles, ex fluviorum *Kiang* & *Mahu* confluxu, præterfluit. Ad urbis Auſtrum conſpicitur mons *Xeching*, mænia lapidea dictus, ad Notolybicum *Xemuen* magna aquarum vi è catadupa profluit. Præeſt civitatibus decem, *Sincheu*, *Kingfu*, *Fuxun*, *Nanki*, *Hinguen*, *Changning*, *Iunlien*, *Cung*, *Cao*, *Lungchang*.

CHUNKING quinta Provinciæ Metropolis, duplex lætitia dicta, in mònte jacet ad confluxum fluminum *Pa* & *Riang*. Regit civitates viginti, *Chunking*, *Kiangcin*, *Changxeu*, *Taco*, *Iunchuen*, *Iankiu*, *Iunchang*, *Kikiang*, *Nanchuen*, Kiukiang, *Ho*, *Tungleang*, *Tingyven*, *Piexan*, *Chung*, *Fungtu*, *Tienkiang*, *Feu*, *Vulung*, *Pengxui*.

QUICHEU ſexta Provinciæ Metropolis, maxime ad Occiduum Provinciæ vergens, Boreale fluminis *Kiang* occupat; hic mercium portorium exigitur; ad Boream urbis mons C*hekian* aſſurgit. C*ing* fluvius ad Ortum in K*iang* influit. Tredecim ſub ſe habet urbes: *Queicheu*, *Coxan*, *Tachang*, *Taming*, *Iunyang*, *Van*, *Cai*, *Ta*, *Sinning*, *Leangxan*, Kienxi, *Tunghiang*, *Taiping*.

LUNGGAN ſeptima Provinciæ Metropolis, magni Aſtrologi & Imperatoris *Uvi* naturale ſolum, totius Provinciæ clavis eſt. Ad Notolybicum urbis ſcaturit *Feu* fluvius, inde longiſſimo per provinciam tractu deſcendit, donec cum *Pa* fluvio ſe miſceat. Mons C*ungtung* Boream reſpicit, qui ad *Sifan* terras excurrit, ad Notapeliotem mons *Xemuen* conſpicitur. Tribus civitatibus imperat, *Lungan*, Kiang*yen*, *Xeciven*.

MAHU octava Provinciæ Metropolis, Sola ſui juris Borealem ripam fluvii *Mahu*, lacui ejuſdem nominis vicina, occupat. mons K*ing*, ſpeculum à Criſtallino fonte dictum, occiduam urbis partem ornat.

Civitates majores numerantur ſex, *Tungchuen*, *Muicheu*, Kiatting, Kiung, *Liucheu*, *Yacheu*. Abſoluto metropolium numero ſex majores civitates numerandæ ſunt, quæ licet incolarum multitudine emporiique frequentia metropolitanæ dignitatis titulum mereantur, equidem hoc privilegio non gaudent, ne præſidum numerus accreſcat: *Peking* & *Nanking*.

TUNCHUEN ad Occaſum flumine *Feu*, ad Notolybicum *Xe* muniuntur. Sub ſe habet urbes octo, *Tunchuen*, *Xehung*, *Ienting*, Chunkiang, *Suining*, *Fungki*, *Ganyo*, *Lochi*.

MUICHEU cingitur lacu H*oan*, ejus territorium duobus brachiis fluminis K*iang* irrigatur. Si ad Auſtrum urbis procedatur, mons *Gonui*, ſi ad Occaſum, mons *Peping* occurrit, cujus vertex noctu candelarum inſtar lucet. Præeſt urbibus quatuor *Muicheu*, *Penxan*, *Tanleng*, *Cingxin*.

KIATING ad K*iating* fluviam ſita, montem *Mienkiang* Boream verſus reſpicit, ex qua rivus C*hocung* excurrit. Septem civitatibus jura dat, K*iating*, *Gomui*, *Hungia*, *Laikiang*, Kien*guei*, *Jung*, *Gueiyven*.

KIUNG civitas major eſt, in cujus confinio lacus *Yotan* occurrit. Tres ſub ſe habet urbes, K*iung*, *Taye*, *Pukiang*.

LIU-

LIUCHEU lapide Lazuli dives montem *Pao* Auſtrum verſus reſpicit, cujus accolæ ἀπύρετοι vivunt, præter menſes Martii & Aprilis, quando ipſis lethalis eſt. Imperat quinque civitatibus, *Liucheu, Naki, Hokiang, Kiangan.*

YACHEU Occidentalior ad Regnum *Tibet,* multa munimenta ad Provinciæ cuſtodiam poſſidet. Quatuor ſub ſe habet urbes *Yacheu, Mingxan, Jungking, Luxan.*

Quatuor urbes militares hæc numerat Provincia, *Tinchuen, Uniung, Uſa, Chinhiung.*

Civitates militares & munimenta triginta quinque: *Po, Jungning, Yenyang, Xequei, Yemui, Tienciven, Ly, Pinchai, Sungfan, Tiiki, Kienchang, Cienguei, Ningpo, Yveſui, Iencing,* Hoeichuen, Hoangchuen, *Ielung,* Hiugin, *Le, Vugan, Lungyo, Sungguei, Cinci, Techang, Macu, Kiungpu, Chungco,* Hoangping, Hia, *Ching, Tantang, Chaohing,* Hieu, *Xeſie.*

Hæc regio, quam magnus fluvius *Kiang* mediam ſecat, ſerici & medicamentorum ferax, hinc inde montoſa, ſed ſæpe in fertiles campos & pinguia arva effuſa. Sola genuinam radicem *Chinæ* profert, nam quæ alibi per Sinam creſcit, ſpuria eſt. Rhabarbari quoque optimi fertilis, quod *Tibetani* & *Mogoles* in Europam mittunt. Succini etiam duplex genus, rubri & flavi, quale etiam ad Pruſſiæ littus, ex pice vel reſina artificioſum quoque ſuccinum naturali colore & virtutibus æmulum coquunt, idque pro ſincero divendunt. Ferri, Stanni, plumbi ingens ex montibus proventus. Salinæ ibidem: ex puteis centum paſſus profundis tanta ſalis copia hauritur, ut vix tertiam ejus partem indigenæ abſumant.

Rationum publicarum liber, præter milites, quorum maxima multitudo tota Regione diſperſa, numerat viros vicies bis centies, & quater mille; centum & ſeptuaginta 2204170. Familias quater centum, ſexaginta quatuor millia, centum & viginti novem 464129.

Tributum oryzæ ſolvit ſexagies & ſemel centum, ſex millia, ſexcentos, & ſexaginta 6106660 ſaccos. Serici confecti, infectique libras ſexies mille trecentas triginta novem 6339. Goſſypi ſeptuagies quater mille, octogintas & quinquaginta unam libram 74851. Salis pondera ſemel centies, quadragies novies mille, centum, ſeptuaginta ſeptem 149177. Fænum & ſtramen abſumit miles.

Septima Provincia Imperii Sinici.

HU QUANG.

HUQUANG ad Boream *Honan* habet, ad Barrolyricum *Xenſi*, ad Occidentem *Suchen*, ad Auſtrum *Queicheu*, ad Ortum *Kiangſi*, ad Notapeliotem *Quantung.*

Metro-

Metropoles insignes quindecim sunt, plures quam centum urbes: Pagorum, virorumque innumera multitudo, non computatis munitionibus, & castellis militum.

Quindecim Metropoles sunt *Vuchang*, *Hanijang*, *Siangyang*, *Tegan*, *Hoangcheu*, *Kingcheu*, *Yocheu*, *Changxa*, *Paoking*, *Hengcheu*, *Changte*, *Xincheu*, *Jungcheu*, *Chingtien*, *Chingyang*.

Vuchang prima Provinciæ Metropolis, augustâ Imperatricis *Taimingæ* familiæ sede illustris amni adjacet *Lo*, per medium ab eodem secta, ad Australem fluminis *Kiang* ripam, ad ejus Notapeliotem surgit mons *Taquon*, cujus lapides & gleba aureo colore micant. Decem imperat civitatibus: *Vuchang*, *Vuchang*, *Kiayu*, *Puki*, *Hienning*, *Cungyang*, *Tunching*, *Hingque*, *Taye*, *Tungxan*.

Hanijang secunda Provinciæ Metropolis, à lacu *Hanijang* dictâ, fluvio H*an* vicina jacet, eo in loco, ubi se in fluvium *Kiang* exonerat. Turris *Xeleuchoa*, quod granatorum florem denotat, omnes facile splendore superat; duas sub se habet civitates H*anijang*, & H*anchuen*.

Siangyang tertia Provinciæ Metropolis, occidua est fluvio H*an*, licet montibus extuberet, auri copia, quod ex percolatis arenulis colligitur, dives; ad urbis Barralybicum fluit *Siang*, in monte *Untang* prope civitatem K*ium* splendida spectantur monasteria, ubi sumni sacrificulorum Rectores degunt, qui sacra sua per totam Sinam tradunt. Septem regit civitates, *Siangyang*, *Iching*, *Nanchang*, *Caoyang*, *Coching*, *Quanghoa*, K*iun*.

Tegan quarta Provinciæ Metropolis, ad Austrum montibus, ad Boream fluminibus undique cingitur. Sex regit urbes, *Tegan*, *Iommung*, H*iaocan*, *Ingching*, *Sui*, *Ingxan*.

Hoangcheu quinta Provinciæ Metropolis: urbis mænia lambit Borealis ripa fluminis K*iang*, nobili Serpentum genere, & absinthio albo celebris, quæ magnarum virium à Sinicis prædicantur Medicis. E regione urbis in insula *Pequey* majores degunt testudines. Novem sibi subjectas moderatur urbes, H*oancheu*, *Lotien*, *Maching*, H*oangpy*, H*oanggan*, K*ixui*, K*i*, H*oangmui*, H*oangci*.

Kincheu sexta Provinciæ Metropolis, ædificiorum splendore, ac emporii frequentia inclyta, eodem loco, quo superior, jacet. Præest civitatibus tredecim, *Kingcheu*, *Cunggan*, *Xexeu*, *Kienli*, *Sungki*, *Chikiang*, *Iling*, *Changyang*, *Itu*, *Iuengan*, *Quei*, *Hingxan*, *Patung*.

Yocheu septima Provinciæ Metropolis, Borealia urbis mænia alluit fluvius K*iang* in concursu fluminum K*iang*, *Siang*, & *Fung*; hic incredibilis omnium rerum copia est; Mons *Pacio* Austrum, K*ium* urbis Notolybicum spectat. Ejus territorium dividit lacus *Tungting*, in qua, ex inundatione relicta, multæ supersunt insulæ. Sub se habet urbes octo, *Yocheu*, *Linsiang*, H*oayung*, *Pingkiang*, *Fung*, *Xemuen*, *Culi*, *Ganhiang*.

Chan-

CHANGXA octava Provinciæ Metropolis, adjacet flumini *Siang*, qua Ortum ſpectat, Occaſum verſus mons *Jumo*, in quo maxima Talci copia, occurrit. Ejus territorium amnis *Mielo*, ob Feſtum *Tuonu* apud Sinas celebris, irrigat; undecim civitates ſibi ſubjectas habet, *Changxa*, *Siangtan*, *Siangin*, *Ninghiang*, *Lieuyang*, *Liling*, *Ieyang*, *Sianghiang*, *Xeu*, *Ganhoa*, *Chaling*.

PAOKING Nona Provinciæ Metropolis, Orientem verſus adjacet monti *Lung*, qui quatuor ita æquales vertices per circulum attollit, ut undique idem videatur. Hinc Auſtrum verſus tota montibus aſpera. Quinque includit civitates, *Paoking*, *Sinhoa*, *Chingpu*, *Vuchang*, *Sining*.

HENCHEU decima Provinciæ Metropolis, occurrit ad amnem *Chingi*, prope lacum, qui profundiſſimas, ſed virides continet aquas, ad Occaſum urbis mons *Taceu*, argenti fodinis inclytus, attollit verticem. Novem civitatibus jura dat, *Hengcheu*, *Hengxan*, *Luiyang*, *Changning*, *Gangin*, *Ling*, *Queiyang*, *Linuu*, *Lanxan*.

CHANGTE undecima Provinciæ Metropolis, fluminibus, magnaque lacu circumſepta Borealem fluvii *Juen* ripam occupat. Mons *Lo*, cervorum à copia dictum, ad urbis Occaſum eſt, amne *Lang* ad Auſtrum interfluente. Ditione ſuâ continet quatuor civitates, *Changte*, *Taoyven*, *Lungyang*, *Iuenkiang*.

XINCHEU duodecima Provinciæ Metropolis, monte *Tayeu* Barrolybicum verſus, amne *Xin* ad Ortum muniuntur. In ejus territorio monticolæ, Sinis *Vulinman*, reperiuntur, quos ex cane & Regis filiâ oriundos tradunt. Septem imperat civitatibus, *Xincheu*, *Luki*, *Xinki*, *Xopu*, *Iuen*, *Kiuyang*, *Mayang*.

JUNCHEU decimatertia Provinciæ Metropolis, Boreali fluvio *Siang* inter amænos ac virides colles itinerantibus occurrit, prope amnem *Siao*. Occidentali monte, arundinum copia amæno, clauditur. Sub ſe habet civitates ſeptem, *Juncheu*, *Kiyang*, *Tau*, *Tunggan*, *Ningyven*, *Iungning*, *Kianghoa*.

CHINGTIEN decimaquarta Provinciæ Metropolis, munitiſſimo montium, aquarumque vallo undique circumcincta Orientalem fluvii *Han* ripam occupat. Septem urbibus præeſt, *Chingtien*, *Kingxan*, *Cienkiang*, *Mienyang*, *Kingling*, *Kingmuen*, *Tangyang*.

CHINGYANG decimaquinta Provinciæ Metropolis, circumfluit fluvius *Han*, qua Ortum ſpectat fluvio *Lungmuen*, qua Occidens monte *Ninqua* terminata, ſeptem urbibus præeſt, *Chingyang*, *Fang*, *Choxan*, *Xancin*, *Choki*, *Chingſi*, *Paokang*.

Præter has duæ civitates majores ſunt *Chingcheu* dictæ, quarum altera quatuor urbes *Chingcheu*, *Hoeitung*, *Tungtao*, *Suining*; altera, ſex *Chingheu*, *Iunghing*, *Ychang*, *Hingning*, *Queiyang*, *Queitung* imperio ſuo includit.

Urbes militares numerantur undecim, *Xi*, *Iungxun*, *Paocing*, *Nanguei*, *Xiyung*, *Xangki*, *Lankiang*, *Sanping*, *Iungting*, *Tienkia*, *Iungmui*.

Populi numerus. Familiæ sunt quinquies centum triginta & unum mille, sexcentæ octuaginta sex 531686. Viri, quadragies & octies centum triginta & tria millia, quingenti & nonaginta 4833590.

Tributum. Tributum solvit oryzæ, vicies & semel centies sexagies septies mille, quingentos, quinquaginta novem 2167559. Serici confecti septemdecim millia, nongenta septuaginta septem volumina 17977.

Decima Provincia Imperii Sinici.

CHEKIANG.

CHEKIANG pars Orientalis mari *Japonico* cingitur, versus Austrum *Fokien* est, cætera *Kiangsi* & *Nanking* ambit.

Metropoles undecim sunt, quarum una *Hangcheu*, regni instar magnitudine & potentia; sub iis urbes sexaginta tres, quæ castellorum, pagorum, & vicorum innumeram multitudinem complectuntur.

Undecim Metropoles hæ sunt, *Hangcheu*, *Kiahing*, *Hucheu*, *Niencheu*, *Kinhoa*, *Kiucheu*, *Chucheu*, *Xaohing*, *Ningpo*, *Taicheu*, & *Vencheu*.

HANCHEU prima Provinciæ Metropolis, quæ communiter *Kingsai* dicitur, eadem est quæ Paulo Marco Veneto *Quingsai*, ab incolis hortus genialis, vel terræ Paradisus appellatus, occupat orientalem ripam *Si*, Fluvio *Che*, unde Provinciæ nomen, totum territorium irrigante, in quo singularis observatur maris æstus circa Octobrem. Ad urbis austrum mons *Funghoang*, in cujus gemino vertice geminum Idolorum fanum cum turri novizonia conspicitur. Ad Boream *Xecung* est, ut & superbissimum Idolorum templum *Chaoking*, in quo rerum præstantissimarum assiduæ nundinæ sunt. Octo civitatibus jura dat, *Hancheu*, *Haining*, *Fuyang*, *Iuhang*, *Lingan*, *Yucien*, *Sinching*, *Changhoa*.

KIAHING secunda Provinciæ Metropolis, in rerum omnium feraci ac ridenti agro posita, collem *Utai* ad Barrolybicum in lacu *Tiensing*, quo totum territorium irrigatur per canales arte derivatos, habet. Præest civitatibus sex *Kiahing*, *Kiaxen*, *Haiyen*, *Pinghu*, *Cungte*, *Tunghiang*.

HUCHEU tertia Provinciæ Metropolis, ad Lacum *Tai* jacet. Hic præclariores comparantur penicilli, quibus tota Sina ad scribendum utitur. intra mænia Fanum quinque primis Sinensium imperatoribus dicatum concludit. Sex civitatibus imperat, *Hucheu*, *Changhing*, *Gankie*, *Teching*, *Hiaofung*, *Vukang*.

NIENCHEU quarta Provinciæ Metropolis, celebris à papyri, quam distrahit, mercinoniis. Boream urbis mons *Ulum* ambit; sub se habet civitates sex, *Niencheu*, *Xungan*, *Tunglui*, *Suigan*, *Xeuchang*, *Fuenxi*.

KIN-

Kinhoa quinta Provinciæ Metropolis, quasi Veneris florem dicas, à fabulosa Veneris cum muliere militari *Vunju* de flore contentione, nomen sumpsit. Sub se octo civitates, *Kinhoa*, *Lanki*, *Tungyang*, *Yu*, *Iungkang*, *Vuy*, *Pukiang*, *Tanki*.

Kiucheu sexta Provinciæ Metropolis, sub regibus variam, ut antecedens habuit fortunam. Territorii Australissima est, quinque præest civitatibus, *Kiucheu*, *Lungyeu*, *Changxan*, *Kiangxan*, *Caihoa*.

Chucheu septima Provinciæ Metropolis, adjacet amni *Tung*, quo ad mare usque navibus patet iter. Decem urbibus Imperat, *Chucheu*, *Cingtien*, *Cinyun*, *Sungyang*, *Suichang*, *Lungcinen*, *Kingyven*, *Iunho*, *Sivenping*, *Kingning*.

Xaohing octava Provinciæ Metropolis, celebre literatorum musæum, mediis natat in aquis, ex quibus varii canales ad varias territori partes tendunt. Fana habet tria splendida, ut & duo Novizonia. Jura dat civitatibus septem, *Xaohing*, *Siaoxan*, *Chuki*, *Iuyao*, *Xangyu*, *Xing*, *Sinchang*.

Ningpo Nona Provinciæ Metropolis, urbs illa est, cujus promontorium Lusitani ob commercia frequentare solent. Jacet ad Orientalem ripam canalis arte facti, ubi varii generis triumphales visuntur, arcus, ut & duæ turres septizoniæ. Plurimi Christianorum cultui addicti numerantur. Quinque divione sua includit civitates, *Ningpo*, *Cuki*, *Funghoa*, *Tinghai*, *Siangxan*.

Taicheu decima Provinciæ Metropolis, in monte *Tientai* sita, montem *Caicho* Austrum versus respicit. Sex sub regimine numerantur urbes, *Taicheu*, *Hoangnien*, *Tientai*, *Sienkiu*, *Ninghai*, *Taiping*.

Vencheu undicima Provinciæ Metropolis, in maris confimo ad provinciæ fines jacet pro navibus commodissimam habens stationem. Montem *Cuyu* Notolybicum versus in flumine spectat. Habet sub se civitates quinque, *Vencheu*, *Xuigan*, *Locing*, *Pingyang*, *Taixun*.

Præcipua munimenta quindecim, *Chinxan*, *Kinxan*, *Tinghui*, *Quo*, *Ninghai*, *Cioki*, *Sinho*, *Xetie*, *Puontun*, *Cumuen*, *Tunchi*, *Haigan*, *Sining*, *Haifung*, *Nan*.

Familiæ sunt duodecies centies quadragies bis mille, centum triginta quinque. 12. 42. 135. Viri militares quadragies quinquies centies vicies quinquies mille, quadringenti & septuaginta 4525470. Populi numerus.

Tributum solvit oryzæ vicies qninquies centies & decies & mille, ducentes nonaginta novem 25. 10. 299. Byssi, seu serici infecti ter centies, septuagies mille, quadringentas sexaginta sex libras 370. 466. Serici confecti duo millia, quingenta, & septaginta quatuor volumina 2574. Fæni seu straminis fasces octuagies septies centum, quatuor millia, quadringentos, nonaginta & nnum 870491. Salis pondera quater centum quadraginta quatuor millia, septingenta sexaginta novem 444769. Præterea magnæ Imperatoriæ naves *Junchyven* vocatæ serici auro, argento, plumis Avium & Draconibus intertexti versicoloribus copiis onerantur, ex quibus

bus Soli Imperatori ejusque Aulicis vestes conficiuntur. Præter hæc annuum provinciæ vectigal quindecim superat milliones, hoc est decies quinies centies centena millia aureorum 1500000.

Vndecima Provincia Imperii Sinici.

FOKIEN.

Minima Sinicarum Provinciarum FOKIEN ab Ortu & Austro Indicum Oceanum habet. Occidens & Boreas *Kiangsi*, & *Chekiang* cingitur.

Metropoles octo sunt *Focheu*, *Civencheu*, *Chancheu*, *Kienning*, *Jenping*, *Tincheu*, *Hinghoa*, & *Xaouu*.

FOCHEU prima Provinciæ Metropolis, per ingens ostium mari conjungitur, flumine *Min* ad urbis Notapeliotem manante. Mons sive *Fung*, Borealem urbis, mons *Fang* Australem occupat partem. Emporii frequentia ac eruditorum numero celebris. Præest civitatibus octo, *Focheu*, *Cutien*, *Mincing*, *Changlo*, *Lienkiang*, *Loyuen*, *Iungso*, *Focing*.

CIVENCHEU secunda Provinciæ Metropolis, jucundissimum juxta mare occupat locum, & ad mænia usus ab utraque parte maximas admittit naves. Ad urbis Barrolybicum incipit pons *Loyang*, à loco sic dictus, nulli comparandus, qua patet universo. In vertice montis *Paoconi* turris novizonia ad Austrum urbis cernitur; quæ navigantibus pharum, ac certissimum littoris propinquantis signum præbet. Septem civitates territorio concludit, *Civencheu*, *Nangan*, *Hoeigan*, *Tehoa*, *Ganki*, *Tunggan*, *Iungchung*.

CHANGCHEU tertiæ Provinciæ Metropolis, occidua fluvio *Chang*, decem civitatibus jura dat. *Changcheu*, *Changpu*, *Lugnien*, *Nancing*, *Changtai*, *Changping*, *Pingho*, *Caogan*, *Haicing*, *Ningyang*.

KIENKING quarta Provinciæ Metropolis, ad fluminis *Min* Orientalem occurrit ripam. Versus Barrapeliotem mons altissimus *Xin* est, ex quo supra omnes montes Sol Oriens ex mari conspicitur. Septem regit civitates, *Kienning*, *Kienyang*, *Cunggan*, *Puching*, *Chingho*, *Sungki*, *Xeuning*.

JENPING quinta Provinciæ Metropolis, cujus mænia etiam altissimos transcendunt montes, ab ipsa fluminis *Min* ripa amænissimo aspectu inter montes & colles, præter navigantium oculis, observatur. Septem civitatibus Imperat, *Ienping*, *Cianglo*, *Xa*, *Yenki*, *Xunchang*, *Iunggan*, & *Tatien*.

TINGCHEU sexta Provinciæ Metropolis, adjacet stagno *Cingçao*, circa quod arbores semper virides conservantur. Octo sub se habet civitates. *Tingcheu*, *Ninghoa*, *Xanghang*, *Vuping*, *Cinglieu*, *Tienching*, *Queihoa*, & *Iungtung*.

HINGHOA septima Provinciæ Metropolis, prope lacum *Chung* visitur, in cujus ripa augustum est erectum palatium, decem constans aulis. In ejus territo-

territorio cernitur quasi continua pagorum ac oppidorum series. Duas regit civitates *Hinghoa*, & *Sienlieu*.

XAOUU octava Provinciæ Metropolis, Occidentalis Provinciæ ob munitionum copiam clavis, ad rivum *Ciao* jacet, ex qua deducti rivali plateas omnes pertranseunt. Quatuor civitatibus jura dat, *Xaouu*, *Quangce*, *Taining*, & *Kienning*.

Est & in *Fokien* magna urbs, *Foning*, quæ & tribus oppidis imperat *Foning*, *Fogan*, & *Ningte*.

Sunt & ibi munimenta & emporia celebria, *Ganhai*, *Hiamuen*, *Pumuen*, *Foning*, *Tinghai*, *Muihoa*, *Xe*, *Haikeu*, *Vangan*, *Chungxe*, *Tungxan*, *Hiuenchung*, & *Iungting*.

Ad hanc provinciam pertinent insulæ *Formosa* & *Teivam*, quarum ultimam Hollandi possident, & munimentum, nomine novæ Zelandiæ, exstruxerunt. De quibus postea latius.

Familiæ sunt quinquies centum & novem millia, ducentæ & octodecim 509218. Viri decies & octies centum, duo millia, sexcenti & septuaginta septem 18. 02. 677.

Tributum oryzæ, fert octies centum octoginta & tria millia, centum & quindecim saccos. Byssi Libras centum nonaginta quatuor 194. serici confecti, sexcenta 600 Volumina.

Decima tertia Provincia Imperii Sinici.

QUANGSI.

QUANGSI ad Ortum & Notolybicum *Quantung*, ad Barrapeliotem *Tungking*, sive *Ganan*, ad Occasum *Iunnan*, ad Notolybicum *Queicheu* habet, cætera *Huquang* ambit.

Metropoles undecim sunt *Queilin*, *Lieucheu*, *Kingyven*, *Pinglo*, *Gucheu*, *Cincheu*, *Nanning*, *Taiping*, *Suming*, *Chingam*, & *Tiencheu*.

QUEILIN prima Provinciæ Metropolis, ad Borealem ripam fluminis *Ly* sive *Quei* jacet, & variis undique cingitur montibus. Tria illustria habet fana. Novem civitatibus Imperat, *Queilin*, *Hinggan*, *Lingchuen*, *Yangso*, *Iungning*, *Iungfo*, *Yning*, *Cinen*, & *Quonyang*.

LIEUCHEU secunda Provinciæ Metropolis, id est salicum urbs, occidua est fluvio *Lieu*, pellucidis aquis & montibus plena, medicinalium herbarum ferax. Duodenas regit civitates, *Lieucheu*, *Coyung*, *Loching*, *Lieuching*, *Hoaiyven*, *Yung*, *Laipin*, *Siang*, *Vuciven*, *Pin*, *Cienkiang*, & *Xanglin*.

KINGYVEN tertia Provinciæ Metropolis, Borealem montem *Y* respicit, juxta quem fluit rapido cursu *Lung*; ejus territorium horridis scatet montibus. Novem ei subsunt civitates, *Kingyven*, *Tienho*, *Sugeu*, *Hochi*, *Hinching*, *Nanchuen*, *Lypo*, *Tunglan*, & *Pangti*.

PINGLO quarta Provinciæ Metropolis, cujus mænia flumen *Ly* præterlabiter, montem *Jung* habet. Sub ſe habet civitates octo: *Pinglo*, *Cunching*, *Fuchuen*, *Ho*, *Lipu*, *Siengiu*, *Iunggan*, & *Chaoping*.

GUCHEU quinta Provinciæ Metropolis, jacet inconcurſu omnium provinciæ fluminum. Hinc cæteras emporii frequentia facile antecellit. Decem urbibus imperat. *Gucheu*, *Teng*, *Yung*, Cengki, *Hoaicie*, *Yolin*, *Pope*, *Pelieu*, *Lochuen*, & *Hingye*.

CINCHEU ſexta Provinciæ Metropolis, ad confluentes duorum fluminum aquas jacet, ad ejus Auſtrum mons *Pexe* eſt, in quo altiſſimus vertex *Tocieu*, ſupra ipſas nubes erectus viſitur. Quatuor numerat civitates, *Cincheu*, *Pingnan*, *Quei*, & *Vucing*.

NANNING ſeptima Provinciæ Metropolis, ſita eſt urbs ad duorum fluminum confluentes, quæ ad partem mæniorum Auſtralem, amiſſo nomine *Takiang*, flumini miſcentur. Sex in territorio ſunt civitates *Nanning*, *Lunggan*, *Heng*, *Yunhiang*, *Xangſu*, *Sunning*.

TAIPING octava Provinciæ Metropolis, Regibus *Tungking* paret, ut & *Suming*. Illa regit civitates viginti tres, *Taiping*, *Taiping*, *Ganging*, *Yangli*, *Vanching*, *Co*, *Civenming*, *Suching*, *Chinyven*, *Sutung*, *Kielun*, *Mingyng*, *Xanhia*, *Kiegan*, *Lunging*, *Tukie*, *Cungxen*, *Iunkang*, *Loyang*, *Toling*, *Lun*, *Kiang*, & *Lope*.

SUMING nona Provinciæ Metropolis. Illa ſex numerat: *Suming*, *Suming*, *Xangxe*, *Hiaxe*, *Pingciang*, & *Chung*.

CHINGAN decima Provinciæ Metropolis. Eidem regi parent *Chingan*, quæ nullas ſub ſe.

TIENCHEU undecima Provinciæ Metropolis, quæ quinque complectitur civitates: *Tiencheu*, *Xanglin*, *Lung*, *Queite*, & *Cohoa*.

Inter militares urbes caput eſt *Sugen*, cui ſub ſunt tres aliæ, *Sugen*, *Vuyuen*, & *Funghoa*.

Magna urbs, nondum ad Metropolitanam dignitatem evecta, *Suching* eſt. & uni urbi *Ching* imperat. Sunt & aliæ urbes, *Sucheu*, *Siping*, *Suting*, *Fulao*, *Fukang*, *Funy*, *Fung*, *Li*, *Queixum*, & *Hiangun*.

Munimenta duo ſunt, *Xanglui* & *Ganiung*.

Familiæ centum octoginta ſex millia, ſeptingentæ & novem decem 186719. Viri militares, decies centum quinquaginta quatuor millia, ſeptingenti ſexaginta ſex 1054760.

Tributum oryzæ facit quater centum triginta & unum mille, trecentos quinquaginta novem, 431359 ſaccos.

Decima

Decima quarta Provincia Imperii Sinici.

QUEICHEU.

QUEICHEU ad Ortum & Barropeliotem *Quangsi*, ad Boream & Notapeliotem *Sucheun*, ad Notolybicum *Huquang* habet. Cætera *Iunnam* claudit.

Olim non erat una ex quindecim provinciis, sed pars ejus ad *Suchuen*, alia ad *Huquang* spectabat, cætera inter vicinos distributa. Sed stirps *Taiminga*, quandoquidem prior *Ivena* Tartarorum Familia, multa passim ibi castella & munimenta struxerat, peculiarem inde provinciam fecit.

Metropoles non adeo magnæ octo sunt, decem oppida, quatuor urbes militares, castellorum & munimentorum magnus numerus.

Metropoles octo sunt. *Queiyang*, *Sucheu*, *Sunan*, *Chinyven*, *Xecien*, *Tunggin*, *Liping*, *Tucho*.

QUEIYANG prima Provinciæ Metropolis, qua Ortum spectat, mons Tungeu surgit, cupreus dictus à sono, quem instante pluvia edit, novemdecim munimenta loco urbium sub se habet. *Queiyang*, *Kiukiun*, *Moqua*, *Tahoa*, *Cingfan*, *Gueifan*, *Fangfan*, *Hungfan*, *Golung*, *Kinxe*, *Siaolung*, *Lofan*, *Talung*, *Siaoching*, *Xangua*, *Luxan*, *Lufan*, *Pingfa*, *Mohiang*.

SUCHEU secunda Provinciæ Metropolis, ad Australem urbis partem monte *Go* munitur, qui præ nimio præcipitio inaccessus fertur. Quatuor regit civitates, *Sucheu*, *Tuso*, *Xiki*, & *Hoangtao*.

SUNAN tertia Provinciæ Metropolis, Austrum versus cingitur monte *Vanxing*. Duas urbes & quinque munimenta *Sunan*, *Vuchuen*, *Inkiang*, *Xuite*, *Manii*, *Langki*, & *Ieuki*, numerat.

CHINYVEN quarta Provinciæ Metropolis, cujus fossas mons *Xeping* attingit. Unam urbem & quatuor munimenta regit, *Chinyven*, *Xikien*, *Kinyung*, *Pienkyao*, *Inxui*, & *Taiping*.

XECIEN quinta Provinciæ Metropolis, medio loco inter secundam & tertiam urbem jacet. Hæc tria munimenta continet, *Xecien*, *Miaomin*, *Lungciven*, & *Coihang*.

TUNGGIN sexta Provinciæ Metropolis, provinciæ *Huquang* finitima maxime orientalem territorii partem occupat. Mons *Tung* urbem quasi vallo munitissimo munit. Septem numerat munimenta *Tunggin*, *Sengki*, *Tiki*, *Vaxan*, *Ulo*, *Pingten*, *Pingnan*, *Pinchai*.

LIPING septima Provinciæ Metropolis, territorio *Quangsi* maxime vicina jacet, pontem *Tiensem*, id est, à Cœlo factum, habet, ex uno lapide constat, supra torrentem *Tanki*, cujus latitudo duas perticas, longitudo viginti æquat. Quatuor regit urbes & undecim munimenta, *Liping*, *Iuncung*, *Tanki*, *Pacheu*, *Hung*, *Caotie*, *Cu*, *Sixau*, *Huul*, *Leangsai*, *Geuyang*, *Sinhoa*, *Chunglin*, *Cheki*, & *Lungli*.

TUCHO

TUCHO octava Provinciæ Metropolis, fluvio *Co* vicino jacet ad Notolybicum *Li* urbis *Liping*. Sub se habet tres civitates & munimenta novem, *Tucho*, *Toxan*, *Maho*, *Cingping*, *Panxui*, *Pinglang*, *Pincheu*, *Lotung*, *Hokiang*, *Loping*, *Pingting*, & *Tungning*.

Quatuor magnæ urbes sunt, *Pugan*, *Iungning*, *Chinning*, & *Ganxun*.

Pugan clavis trium Regionum est, præest tribus parvis munimentis, *Iungning*, *Muyo*, *Tinging*.

Chinning imperat duabus munitionibus, *Kangço* & *Xeul*.

Ganxun præest duobus castellis, *Ningço* & *Sipeo*.

Quatuor militares urbes sunt, *Puting*, *Sintien*, *Pingyve* & *Lungli*.

Puting sola est. *Sintien* quatuor aliis præest, *Pingfa*, *Paping*, *Cheuping*, & *Cheuing*. *Pingyve* duabus *Yangi* & *Loping*. *Lungli* geminis. *Pingfa* & *Taping*.

Munimenta prohibendis montanorum latrociniis sunt, *Picie*, *Gueieing*, *Ganchoang*, *Cingping*, *Pingpa*, *Gannan*, *Usa*, *Hinglung*, *Cherni*, & *Kaili*.

Præcipua loco hujus Regionis sunt, *Junguing*, *Xuitung*, *Lokeu*, *Xanglang*, *Vatien*, *Hoanglien*, & *Cugin*.

Familiæ sunt quadraginta quinque millia, trecentæ & quinque. 45305. Viri militares bis centum viginti & unum mille, trecenti & sexaginta quinque 231365.

Tributum est oryzæ saccorum quadraginta septem millia, sexcenti & quinquaginta octo. 47688. Pannos ex cannabe atque herbis textos quinquies mille, & novies centum, 5900. quæ omnia ad alenda præsidia non sufficiunt, unde Monarcha aliunde defectum supplet.

Decimaquinta & ultima Imperii Sinici Provincia.

JUNNAN.

JUNNAN ad Ortum & Notapeliotem *Quansi*, ad Austrum regna *Laos* & *Tungking* sive *Gannan*; ad Occasum extima regnorum *Mien* & *Pey*; ad Barrolybicum Regna *Sifan*; ad Boream *Suchen*; ad Barrapeliotem *Queicheu* habet.

Metropoles habet duodecim urbes militares octo, octoginta octo oppida & multas munitiones.

Metropoles duodecim sunt, *Junnan*, *Tali*, *Lingan*, *Cubiung*, *Chinkiang*, *Munghoa*, *Kingtung*, *Quangna*, *Quangsi*, *Chiniuen*, *Jungning*, & *Xuning*.

JUNNAN prima Provinciæ Metropolis, quod Austrum nubium sonat, in Boreali ripa magni lacus *Tien* situm amænum habet, qui urbis mænia, qua Occidentem spectat, lambit, inde deducti intra muros canales navibus iter præbent. Civitatibus tredecim imperat, *Junnan*, *Funun*, *Yleang*, *Caoming*, *Cynning*, *Quehoa*, *Chingcung*, *Ganning*, *Loco*, *Lofung*, *Quenyang*, *Sanpao*, & *Ymuen*.

TALI secunda Provinciæ Metropolis, lacui *Siul* vicina jacet, mons *Tiençang* ad urbis Occasum supra trecenta stadia occupat. Sex urbibus jura dat. *Tali*, *Chao*, *Junnan*, *Tenchuen*, *Langkiung*, *Pinchuen*.

LINGAN tertia Provinciæ Metropolis, ad Borealem partem unum Heroibus dicatum fanum, pontemque magnificum habet, *Tungkinensium* Regno vicina est. Decem civitates, *Lingan*, *Kienxui*, *Xeping*, *Omi*, *Niug*, *Sinping*, *Tunghai*, *Hosi*, *Siego*, *Mungçu*, & novem munitiones; *Naleu*, *Kiachoa*, *Vanglung*, *Hieynug*, *Kichu*, *Sulo*, *Coneng*, *Locung*, & *Gannan*, complectitur.

CUHIUNG quarta Provinciæ Metropolis, in meditullio Provinciæ sita est, cujus territorium quaquaversum pulcherrimi ambiunt montes. Septem sub se habet urbes, *Cuhiung*, *Quantung*, *Tingvven*, *Tingpien*, *Okia*, *Nangan*, & *Chinnan*.

CHINKIANG quinta Provinciæ Metropolis, austrum versus Lacui magno *Fusien* adjacet, ad Notolybicum monte *Yokeu*, ad Ortum monte *Kinlien* cinguntur. Ei quinque subsunt civitates, *Chinkiang*, *Kiangheu*, *Sinhin*, *Yangcung*, & *Innan*.

MUNGHOA sexta Provinciæ Metropolis, urbis Notapeliotem mons *Gueipao*, Notolybicum mons *Funghoang* claudit, à Sinico Phænice sic dictus, in quo omnes vicinæ aves congregari, & mortem Phænicis quasi plangere dicuntur. Duas sub se habet civitates, *Munghoa*, & *Tinglung*.

KINGTUNG septima Provinciæ Metropolis, sola sui juris inter altissimos & horridos jacet montes, ad urbes Occasum pons est meris ferreis constans catenis.

QUANGNAN octava Provinciæ Metropolis, aurea vulgo dicta terra ob uberrimam omnium rerum feracitatem, præest uni urbi *Fu*.

QUANGSI nona Provinciæ Metropolis, intra mænia montem *Chunsien* concludit, & quatuor civitates sub se habet, *Quangsi*, *Suçung*, *Mile*, *Vimao*.

CHIYVEN decima Provinciæ Metropolis, qua austrum spectat, urbi *Vungtung* argentiferæ vicina jacet, præest munimento *Loco*.

JUNGNING undecima Provinciæ Metropolis, regno *Sifan* contermina ad Boream territorii sui sita est, ad Provinciæ custodiam quatuor regit munitiones, *Lacu*, *Ketien*, *Hianglo*, & *Valu*.

XUNING duodecima Provinciæ Metropolis, qua occidenti obversatur Soli, fluvius *Canglang* præterfluit urbem. Montana & sola est.

Octo præsidia militaria sunt, *Kiocing*, *Yaogan*, *Cioking*, *Vuting*, *Cintien*, *Likiang*, *Iuenkiang*, & *Iunchang*.

KIOCING sub se habet sex urbes, *Kiocing*, *Yeco*, *Chenye*, *Loleang*, *Malungo*, & *Lochiung*.

YAOGAN tres *Yaogan*, *Yao*, & *Tayao*.

CIOKING tres, *Cioking*, *Kienchuen*, & *Xun*.

VUTING quatuor, *Vuting*, *Hokio*, *Yuenmeu*, & *Lokiuen*.

CINTIEN ſeptem pagis dominatur.

LIKIANG quinque oppidis præeſt, *Likiang*, *Paoxan*, *Lan*, *Kiucin*, & *Linſi*.

IUENKIANG munimento *Lopie* præſidet.

IUNGCHANG ſeptem munimenta ſub ſe habet, *Iungchang*, *Laye*, *Lukiang*, *Iungping*, *Fungki*, *Xitien*, & *Lukiang*.

Duæ urbes militares nulli alii obnoxiæ ſunt, *Pexing*, & *Sinhoa*.

Munitiones ſui juris ſunt quindecim *Chelo*, *Tengheng*, *Cheli*, *Laochua*, *Lungchuen*, *Gueiyven*, *Vantien*, *Chincang*, *Taheu*, *Nieuki*, *Mangxi*, *Lancang*, cum urbe *Langkiu*, *Mopang*, *Mien*.

MOPANG jura dat novem locis, *Mopang*, *Mengyang*, *Mengking*, *Menglien*, *Mengli*, *Mengting*, *Mengtien*, *Mengeo*, & *Menchang*.

MIEN dominatur ſex locis, *Mien*, *Pape*, *Santihiung*, *Sochung*, *Mungyang*, & *Mitien*.

Familiarum ſunt triginta duo millia, nongentæ, quinquaginta octo, 32958. Viri militares decies quater centies, trigeſies ter mille, centum & decem, 1433110.

Tributum oryzæ præbet decies quater centies mille & quingentos ſexaginta octo ſaccos, 1400568. Salis pondera quinquagies ſexies mille, nongenta & ſexaginta quinque, 56965.

Provinciis Imperii Sinici obiter & ſuccinctè annotatis, cauſam hujus tam magnificæ ad Magnum *Cataiæ*, Sinæque Tartarorum Chamum Legationis non opus eſt prolixius commemorare. Sæpius antehac mutua Batavos inter Sinaſque tentata fuere commercia, irrito variis, cauſis ſucceſſu; ſive quod invidia Luſitanorum tam juſtis interceſſerit deſideriis, ſive quod Sinenſium ſuperſtitioſa quædam, & ut aliqui tradunt, à majoribus tradita, an conficta opinio, metuendam eorum Imperio prædiceret albam manibus, pedibus, totoque corpore peregrinam gentem, metum animis impreſſerit, fugienda externarum hactenuſque incognitarum gentium commercia, prout illi populi, continuis Tartarorum exercitati furoribus ſuſpectam ſolent habere omnem peregrinitatem, & non niſi vel per vim, aut magnis allecti commodis, eam circumſpecti admittere, ægre autem diu tolerare.

Venerat Bataviam *Javæ* Martinus Martinius Jeſuita, *Makaſſara* eo advectus, qui per decennium Chriſtianæ fidei propagandæ ergo ibidem commoratus, cum retuliſſet poſt ingentem Sinenſium internecionem Tartaros Sinâ, eorumque Chamum Imperio potiri, & (tamdiu à Batavis deſideratam) commercia mutua exercentibus in urbe *Kantonenſi* liberam portam, ita ut omnibus jam liceat gentibus abſque impedimento commeare in Sinam, ſuaque tractare negotia, Senatus prætentandam navi ex inſula

Taiwan,

Taiwan, quæ proxima, Cantoni censuit viam, ut quis sperandus imposterum esset successus, hoc veluti internuncio constaret.

Primus expedita cum navi, mercimoniis variis onusta, eo missus vigesimo Aprilis Fredericus Schedel, qui post novem dierum navigationem ostium fluvii *Cantonensis* ingressus, in loco quodam, cui nomen *Heytamon*, ancoras fixit. Mox duabus scaphis Præfectus ejus loci (Mandarinos vocant Lusitani) nomine *Haitouw*, advectus, Schedelium compellavit, eumque secum in terram deductum haud satis humaniter excepit, Lusitanis, quorum Caput quidam Emmanuel de Lucifierro, ejus literas, sarcinasque non absque mordacibus verbis excutientibus. Simili acrimoniâ à Proregis Delegatis extra mænia in hospitium ducitur.

Schedelius commerciorum gratia Sinam petit.

Non bene excipitur.

Interpres *Tienqua* cum adjunctis Tartaris Schedelium è navi intra mænia in Idolorum Fanum transferunt, in quo Sacrificuli, tota nocte clangoribus occupati, ab idolis Legationis eventum extorquebant. Interea quidam Mandoritæ Proregis Mandato sacras ingrediuntur ædes, qui reseratis cistis munera cum vilipendio tractant. Literas Proregibus destinatas post Lecturam indignanter pedibus projiciunt, ob erroneam in numero Proregum superscriptionem se certos de maligno Batavorum genio rati, programmate Sinico sigillo Dynastæ, Senatusque *Makoensis* munito, acriter ei exprobant, quam pravam de Batavis opinionem foveant. Verum postquam Schedelius unum ex Mandoritis largius vino excepisset, in melius vertitur negotium, hic enim minaci digito sycophantas supprimebat.

Quidam Mandorita haustu vini corrumpitur.

Postquam igitur alterâ die densâ malignantium subsequenti turbâ à duobus Mandaritis ad Seniorem Proregem *Pignamong* sublimi throno tholo cooperto insidentem, cui ducenti nobiles in terram cernui decussatis pedibus seriatim assidebant, delatus esset, Majestas lectis literis, ac acceptis donis, Schedelium in Senatu auditum, criminum, quæ ipsi invidia objecerat, absolutum, regali excepit convivio. Peculiari cuique mensa Schedelio, ut & ejus Aulicis, ne excepto quidem nigro pedissequo, æque ac Proregibus & Tartarorum Magnatibus præparatâ, quarum unaquæque triginta duabus patinis argenteis, & inauratis illuxit vasis. Inter pocula variæ quæstiones, ut exterarum rerum curiosi esse solent peregrini, propositæ. Post convivium visitatur Proregis sive filius, sive junior Prorex *Signamong*, ubi eâdem fere solennitate omnia peracta, nisi quod hic in Lusitanos propensior videbatur.

Schedelius absolvitur criminum.

Medio Orationis Mater Proregis Tartara natione, quæ paulo ante ex Tartaria Cantonam venerat, curiosa Hollandos videndi, eum evocari jussit. Stabat illa ancillarum stipata medio in conclavi agmine, peractâque salute mutua, insonuere jussu Schedelii tubæ, multum delectatis, quod assuetæ illi taratantaræ non essent, Tartaricis fœminis. Cum redux Proregi valedixisset ad *Toutangum* (tertius is dignitate Magistratus Cantonensis) deductus, eo non compellato, quod se subduxisset, in hospitium prope

Lauto convivio excipitur.

 flumen

flumen deductus noctem quieti dedit. Bonis ex Idolorum Fano & navi huc translatis.

Præcipuum commerciis liberis impedimentum in Sina tum *Makoenses* fuerunt, qui non modo Præfectum *Haitouw* corrumpebant, sed missis Cantonam Legatis Batavos criminabantur. Quod lupina truculenti feritate rabidos in obvios ungues distringant, & ex raptu viventes, præter Milvinam famelici ingluviem, aliena semper inhient, etiam à longis jam annis casu vel necessitate facta vel fictâ per civium stragem & fusos sanguinis fraterni rivos ad improbam dominandi licentiam contendant, quod *Taiwanam* occupassent, *Manilhas* & *Makoam*, attentassent, *Aunui* copiosa classe tenerent clausam. Instabant hos eandem fore gentem, quæ à viginti tribus annis benevolentiam Magistratus largis captaverat donis, sed communi Senatus suffragio ob nota facinora prudenter repulsi. Quo tempore *Hautaimon* ferris & flammis commiscuerant, unde nunquam ab ullo Sinarum Rege admissi sunt, & quæ alia ad odium, ac invidiam conquiri poterant. Præcipuum à *Koxinga* odium, quem, Tartaricæ hostem familiæ, fovere jactabant. Accessere Philosophi Cantonenses (qui quales sint non nunc opusmultis commemorare) qui Batavis adversa omnia apud Tartaricos Magistratus per calumnias struebant, quarum omnium is erat finis, ut Sina excluderentur. Multis hinc inde jactatis, Proreges nihil se contra dignitatem, fidemque Batavorum suspicari testabantur: quin potius eos Imperio Sinico propter commercia non utiles minus, quam necessarios videri. Ita calumnia tum evanuit; toto negotio *Pekingam*, & ad Magnum *Chamum* remisso.

Expediebantur interea à Proregibus literæ, quibus libera concedi videbatur mercatura; quorum auctoritate mox commerciorum camera erigitur, ipsis Proregibus mercium emptoribus, jamque in Emporio Cantonensi fervebat negotium: Petro *Bollio* cum quatuor Sociis mercatorum causis Præfecto: cum repente *Pekingâ* appulisse dicerentur à Magno Chamo nuncii, quibus Imperator totius causæ cognitionem sibi vindicabat, neque ad Proreges eam remittendam dicere. Ita discessum Bataviam, cum mercibus, & omni populo suadentibus, ne Bataviæ, Rex, per quem Gubernatorem intelligunt, captivitatem suspicaretnr, ipsis Cantonensium Præfectis, rem tantam alia expediri tutiori via non posse, quam solemni ad ipsum *Magnum Chamum* Legatione expedita, eaque tanto Imperatori per Tartariam Sinamque latissime dominante, convenienti. Dicto audiens Schedelius decimâ nonâ Maji revertitur, binis instructus literis ad Nicolaum *Verburg*, *Taiwanæ* Præfectum, quêis mutuum amicitiæ fœdus Gubernatori offerebant.

Schedelius revertitur.

Senatus Indiæ, postquam initia successerant, missis in Bataviam indiciis, Superiorum authoritate Legationem ad *Magnum Chamum* suasit, impetravitque. Ac ne interea quicquam temporis vacui præterlaberetur, visum fuit,

fuit, dum per longinqua terrarum naviumque certiora afferuntur, *Zachariam Wagenaer* ad Proreges Cantonenses ablegare, qui duabus navibus in ostio insulæ *Heytamon* apud pagum *Wangsoe*, tribus infra Cantonam milliaribus, appulit. Socius itineris *Schedel*, lentioris pertæsus moræ exscendit, ac *Heytonum* compellavit, dissuadentibus Interpretibus, ab eo ad *Toutangum* remissus: illo absente, vagus aliquandiu in littore, cum interpretes periculum sibi imminere ostenderent, nisi mox se ad suos in navim reciperet, illo pertinacius recusante & potius cœlum terramque hospitium eligente, Interpres *Tienqua* ipsi suum obtulit. Suspecta ipsi res: ita nox transacta. Orta luce *Toutangi* Secretarius haud prosperiora nunciavit: *Occupatos Magni Chami falsis rumoribus aures, nec nisi publica Legatione instructos tuto Pekingam appropinquare posse.* Accesserunt & aliæ à *Makoensibus* calumniæ: quæ omnia videbantur portendere negotiorum in Sina eo tempore sufflaminationem, cum Lusitani nihil omitterent, quod ad Sinas sibi, solvendo tributa triennio omissa, conciliandos spectaret, nam Eques S. Crucis *Makoâ Kantonam* venerat, ut ipsi, prætextu rapinæ, jus Batavicæ Societatis naves detinendi concederetur, donec certius diploma *Pekingæ* obtinuisset. Quanquam *Schedel* blandis interea promissis & excusatione tam longæ moræ, prætextu cujusdam rebellionis, cui pacandæ ad Proregem juniorem aliquot militum *Pekingâ* myriades missæ forent, lactaretur.

Zacharias Wagenaer committitur.

Wagenaer incertus, quem res habitura esset exitum, arcta medio temporis custodia, tribus Sinensium Scaphis cinctus, tandem *Schedelium*, Scribam *Toutangi*, Mandarinos *Taykoetsin* & *Thiapang* navi sua recepit, qui eam propius urbem ad quingentos passus admovendum referebant, causis quæ non essent exponendæ ob Tartarici Ducis viciniam, donec in longius recessisset. Exhibebantur omnia amicitiæ officia, sparsi flores, munera data, pensataque paribus: sed naves Batavicas Tartari arctius observabant, ac ne quid ad illas oblectamenti deportaretur, dispositis scaphis, sollicitius curare videbantur.

Wagenarius custoditur.

Mandarinus *Heytouw* splendido stipatus comitatu *Wagenarium* solito exceptum hospitio, ad aulam Proregis invitatum, cum duobus equis macilentis adductis (quales Tartarorum esse solent) jam unum conscenderet, repente novo perturbavit nuncio, varia quærens, sed summa omnium in largitionibus consistebat; *non aliam ad Proregem viam dari.* Inquirebat etiam in literas ad *Magnum Pekingensem Chamum, Toutangum Kantonensem.* Ad quæ, ut res tempusque postulabat, responsum; *Munera neque deesse, neque obtrudi, commercia Cantonensia more gentium peti, vel audientiam Regis.* Pausa interposita, responsum: *ipsi quidem Wagenario* negari ad Proregem aditum; cæterum literas eum legere non detrectaturum, quas haberet. Exhibitas, nec resignatas à Prorege Interpres restituit: *Non æquum* referens *eum videre, vel alloqui, qui sine literis, muneribusque ad Cæsarem Pekingensem, cum moniti*

Mandorinus Heitauw visitat Wagenaer.

 fuissent,

Wagenaer revertitur infectâ re. *fuissent, Sinam appulisset.* Ita illa tum *Wagenarii* frustra fuit expeditio, multum avaritiam suam jactantibus, imo decem millia argenteorum petentibus, qui audientiam apud Proregem se procuraturos simulabant.

Præfecti Societatis Orientales Amstelodami Legationem ad Magnum Chamum definiunt. Quæ cum ita evenissent; Magnum Indiæ Consilium Amstelodami solennem ex urbe Batavia *Pekingam* ad Magnum Tartariæ *Chamum* per Illustres *Petrum de Goyer*, & *Jacobum de Keyser* Legationem decrevit, eo cum Comitatu, qui splendori, & Majestati Sinicæ responderet, qui constabat duobus Mercatoribus, *Leonardo Leonardi* & *Henrico Barone*, sex satellitibus, Oeconomo, Chirurgo, gemino interprete, tubicine, & tympanista; assumebant insuper *Franciscum Lantsmanum*, ut eo tempore primario, *Henricum Grambergium*, ut secundario mercaturæ Cantonâ præessent, donec Legati iter *Pekingam* absolverent. Munerum genus, *Chamo* offerendum, varium fuit, artificiosæ texturæ ex lana & lino; aromata, cinnamomum, macis copia, nuces moschatæ, garyophylli, succinum, coralli rubri, santalum, cistæ laccâ & auro promiscue obductæ, tubi optici, variæ magnitudinis specula, plumæ, armaturæ. Addita illis adhuc incognita regionibus munera, quæ noster orbis profert; nihilque omissum, quod stabiliendis inter Cæsarem, Chamum Tartariæ Sinæque, & Batavos amicitiæ fidem mutuisque commerciis spectare possent.

Petrus de Goyer, & Jacobus de Keyser discedunt Bataviâ 14. Junii. Hujus primæ & nunquam antehac à Batavis, dum Orbis stat, Legationis initium factum fuit decimâ quarta Junii Anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto. Navibus ad tantum iter & pro causa tam proficua Orbi terrarum instructis, Batavia oram solverunt vento Notapeliotem flante, ac recta Barrapeliotem versus vela direxerunt.

Insula Java fertilis. Batavia Javæ, quæ Hollandis paret, Caput est. Illa insula dives Opum, quas natura & ars producit, & ut *Scaligeri* verbis utar, *universi compendium est.* Non etenim solo pipere, zingibere, cinnamomo & reliquo aromatum genere abundat, sed omnem pecudum speciem alit, quæ inde ad varias transvehuntur oras. Aurifodinis, pretiosis lapidibus, & incredibili serici copia scatet. Crebris obnoxia tempestatibus vix unquam toto anno cessantibus, incolas dicitur ex Sina, Tartarorum ante aliquot secula profugos metu, primos accepisse, indigenis permixtos. Gens mediæ, sed quadratæ staturæ, facie rubicundâ corpore incedit plerumque intecto, moribus, ut inter barbaros haud inconditis, sed superbia, avaritiaque tumidi, fraudulentique; insuper perfidi, nam, cum quidam Rex de male servatâ fide argueretur, respondit, *humanam linguam non fore osseam.* Sic truces & sanguinarii feruntur, hinc offensi semel, implacabilem recondunt iram. Reges ut in vasta insula studiis complures divisi & religionibus, plerisque Mahummedis statuta sectantibus: Cæteri Indorum prisca sacra retinent. Ferunt Mahummedanos inde usque ab anno millesimo quingentesimo sexcentesimo adeo invaluisse (ante illa tempora nondum cogniti erant) ut jam superent priscos paganos.

Incolarum genius.

Princi-

La ville de BATAVIE.
vrbs. BATAVIÆ.



Château, de BATAVIA.
'T CASTELLUM. BATAVIÆ.



15.

Principes urbes *Bantam*, emporio celebris, *Choribon* & *Japara*, pipere divites. Erat etiam *Kalappa*, alio nomine *Jacatra*, quam jure belli captam *Cornelius Houtman*, præcipuus navigationis Orientalis auctor, in Bataviam transformavit, ædibus pariter atque munimentis, contra indigenarum excursiones munitam. Secuta ejus in Primordiis Anglorum insidiis destructio, ut fortior resurgeret: quippe duobus munimentis, *Mauritio* & *Nassavio*, flumine divisis vim omnem repulit. Ita nova Batavia ruinis *Jacatræ* superstructa sex graduum decemque minutorum latitudine, flumine in duas divisa partes, quarum minor robore superat, & castello. Ingens ibi ex confluxu tot nationum multitudo: nam Javani, Sinenses, Batavi, mercaturam promiscue exercentes, id copiosis classibus frequentant. Urbs splendidis ornata ædificiis, canalibusque dissecta, quos arbores (*Cocos* appellant) aliæque, ornamento pariter atque commodo exornant, Portus angusto, tutoque aditu recipiendis, emittendisque navibus. Insigne gladius laureatus. Sedes ibi Gubernatoris, haud inferiori potestate, quam Reges Europæi solent; ita situ loci, vicinisque poscente, ut major apud Barbaros authoritas sit, cum servilis eorum animus præ splendore sceptri expavescat. Senatu regitur, qui Rempublicam commerciaque curat. Hoc caput cæteræ per Indiam insulæ, urbesque agnoscunt: eo summa rerum redit. Urbs ipsa tredecim ingentibus cincta munimentis omnem oppugnantium vim secura spernit. Haud semel Javani tentare ausi; una, eaque memorabili, obsidione Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo novo, quantum possent, ostenderunt. Causa belli illius ex mutuis damnis, cum Javani pactorum immemores telonia intenderent, Batavi contra vim protestarentur. Accesserunt & alia exterorum, præcipue Britannorum turbamenta, qui spreto Batavorum fœdere novum cum Rege *Jakatrensi* inibant, Hollandis ob virium imparitatem post navale prælium cum Anglis commissum, *Amboinam* cedentibus, obsessa interim arce eorum à Rege *Jakatrensi*. In *Moluccis* contracta octodecim classe navium, *Jakatrensibus*, quibus Anglorum quædam navis junctæ fuerant, adventante ex Batavia cum recentibus mille & trecentorum virorum subsidiis *Johanne Petro Koen*, obsidione pulsis, ipsam victoribus urbem flammis & gentem ferro, infantibus exceptis, & fœminarum sexu, delendam permiserunt. Ita *Jakatra* periit & Bataviæ novæ cessit. *Magnus Mataram* (ita Cæsarem suum Javani vocare perhibentur) crescentem Indies novæ urbis potentiam ægris oculis adspiciens, conquestus varia, ingenti eam exercitu obsedit, non tam spe expugnandi, quam quod paucos tantæ multitudini, longinqua auxiliorum ex patria spe vel expectatione, cessuros arbitraretur. Præter vim (maxima ingruit vigesimo Octobris Anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono) urgebat ingens ex submersis secundo flumine cadaveribus, radicibusque, quibus Barbari pro cibo aqua maceratis utuntur, ac ne Oceano absorberentur, palos flumini impexerant;

Batavia aliter Kalappa, & Jakatra.

Munimenta Bataviæ.

Bataviæ obsidio.

rant; ea præcipua obsessis pestilentia. Aquæ intus inopia ob fœtorem fluminis: ergo actæ in terram puram foveæ, unde incorruptus liquor ebulliret. Memoria dignum, sedecim milites Batavos, quibus propugnaculum Magdalena defendebatur, innumeram barbarorum vim, postquam defecisset plumbum, saxis, inde excrementis (adeo fides necessitasque cuncta arripit) repulisse, exclamantibus improviso spectaculo Javensibus; *O Seytang Orang Hollanda, de Backalay sammatay*, id est, dæmones Hollandi, vos Pugnatis stercore.

Solvitur obsidio. Soluta Kal. oct. obsidione, Javanis castra sua tribus ignibus inflammantibus. Nostri, altera luce vacua ingressi castra, lamentabilem ibi deprehendêre faciem, octingentis & amplius composito ordine obtruncatis. Causa hujus autophoniæ erat. Imperator anno proxime elapso (nam hæc secunda erat obsidio) unum è præcipuis Regni Ducibus cum ingenti exercitu ad Bataviam expugnandam miserat. Batavis armorum ope, quæ Deus & natura concessit, non modo acerrime pro aris & focis seipsos defendentibus, verum etiam continuis excursionibus tam numerosa hostium castra atterentibus, Dux re infecta domum rediit. *Maduræ* Princeps (nam hæc insula subjecta Cæsari medio tantum milliari distat *Iavâ*) præ aliorum contemptu cum tam ingenti exercitu, (nam ducenta millia virorum militarium numerabantur) certam Bataviæ expugnationem jactaverat, vel se vivum non rediturum juramento affirmans. Imperator tam generoso Principis audito spiritu, eum novis copiis cum priori præfecit. Verum longe facilius esse, hostem absentem verbo, quam præsentem necare ferro, eventus docuit; nam gloriosis Batavorum armis cum dedecore cedere coactus fuit. Hinc Dux, qui anno præterito solus imperaverat castris, memor juramenti Principis *Maduræ*, via facti eum cum suis asseclis in læsæ famæ vindictam gladio perfossit, ut ipsius dictis fidem faceret. Quo crimine à Cæsare totius Senatus applausu absolutus est. In tantam Bataviæ victoriam Musa in hos erumpit versus.

Sic vicina jacet celebris Battavia ponto,
Quæ suprema suis turribus astra petit.
Totius mundi vere est Paradisus, & ingens
Gloria Belgarum, qui repulêre Javos.
Luxuriat gemmis, argento, messibus, auro,
Insula parva capit, quidquid in orbe datur.
Pergito Laurigeris nomen prægrande Trophæis,
Quærere, sic Patriæ fama perennis erit.

Octo



Octo jam effluxerant dies, ex quo Bataviâ Altum petieramus, cum insula PULO TYMON, viride & sylvestre suum caput amœnissimo conspectu nobis aperuit. Nihil illâ situ jucundius, hinc montibus, inde convallibus distincta tota fertilis pariter & umbrosa. Præcipuus ibi herbæ *Betele* proventus, cujus per Indiam totam frequens usus, ut integris eam scaphis Javani hinc auferant. Lignorum quoque & salientis aquæ ingens copia, atque hæc causa, cur præter navigantes subinde necessitatem suam exscensione, quod & nos fecimus, suppleant.

22. Junii conspicitur insula PULO-TYMON.

Inter tot insulas diu vagi tandem Kal. Aug. continentem *Kouchinchinæ* ad Boream & Notapeliotem sub latitudine viginti, graduum & sex minutorum conspeximus. Littora legentes aspectu jucundissimo profunditatem maris arenosam viginti ulnarum.

Kouchinchina pars regni *Gannan* censetur, extra Sinæ limites, sed ei tributo obnoxia. Quippe *Gannan*, duo complectitur regna *Tungking* & *Kiaochi* sive *Kouchinchina*, quorum antiquum nomen fuit *Nankiang*. Ferunt *Hiaonum* ex familia *Hana* Cæsarem Sinarum primas eo Colonias duxisse, nomenque dedisse incolis *Kiâochi*, quod digitos pedum in crucis formam intortos plerique habeant. Sub familia *Tanga* nomen *Kiaocheu* impositum. Populus ipse rudis morum, corpore valido, eoque intractabilior, unde Sinensibus Imperatoribus minor ejus cura, verosimilius ex metu, cum incolas viribus & robore sibi pares agnoscerent, dominari asuetis illis, qui mitiori ingenio sunt.

Hunguus Imperator (illi qui Tartaros ex posteritate *Zingis Chamica* post nonaginta annorum dominationem Sinâ iterum expulit) ante tre-

 centos



centos fere annos hanc regionem occupatam Regi *Chin* commiſit, quo à tribus ex familia *Ly* Præfectis trucidato, Cæſar *Junglous* denuo domitam *Gannam* in Provinciæ formam redegit, ſed inſtabili poſſeſſione, profugis & ſuperſtitibus ex familâ *Ly* perpetuo rebellantibus; donec Imperator *Siventeus* tot moleſtiarum pertæſus, eam Regibus *Ly* fiduciario jure gubernandam commiſit, eâ conditione, quod legationis muneribus ſplendidæ unoquoque triennio teneretur, quod factum Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo. Inde civilibus diſſidiis diſtracta *Gannan* in tria regna, *Laos*, *Tunking*, & *Konchinchina*. *Gannan* autem eadem cum *Junnan* & *Quangſi* cenſetur, limitibus hinc inde confuſis.

Regnorum *Laos*, *Tunking*, & *Kouchinchina* incolæ Sinenſium Religioni addicti ſunt; iiſdem literis, quibus Sinæ, utuntur, licet linguâ, ut aliæ vicinæ gentes, multum differant. Præcipuæ opes ex oleo, quod Luſitani *Roſamalia* vocant & lacca purpurea. Simearum genus *Singſing* vino inebriatæ per ſylvas capiuntur, quarum ſanguis pretioſæ purpuræ æmulus.

Ingens tempeſtas, qua navis Bloemendalia ſparſim fluctuat.

Ingens inde tempeſtas, fulminibus imbribuſque fœda, tota nocte deſævíit, exigua ſalutis ſpe, cum navis haud ſemel tanto concuſſa fluctuum ventorumque impetu extremam ruinam minaretur. Nocte inter tot pericula exacta, vix circa meridiem tranquillitas aëris. Cum fracta repararaſſemus armamenta, Sinenſem Jonckam (navigii id genus eſt) *Camboya Teywanam* petentem, ejuſdem tempeſtatis violentia quaſſatam diviſamque medio mari repertam, quod à curſu aberraſſet, deprehendimus, eique *Formoſam* quo tractu jaceret, oſtendimus. Nos interim cunctis, quæ ad navigationem neceſſaria, ad debitam formam redactis, iter promovimus.

Dec


MAKOU.
28.

Decima quarta *Makaoæ* inſulæ Boreali latitudine viginti & unius graduum, & decem minutorum conſpiciendas ſe exhibuerunt, & quanquam varia hinc inde navigia, homineſque vagarentur, nullius tamen copia nobis data fuit, cunctis metu Piratæ *Koxingæ*, illà littora perpetuis incurſionibus vexantis, adeo perterritis, ut, quicquid navium mari vident appropinquare, ejus arbitrentur ſubeſſe imperio; atque hinc fuga, & deſerta late littora.

Decimaſexta celeberrimum totius Sinæ Emporium *Makao* latitudine viginti & unius graduum, decem minutorum prætervecti, ſitum ejus, poſituramque, ut procul ex mari fieri poterat, annotavimus. Urbs hoc in exigua ſita inſula, quæ majori alteri cohæret, montem ex mari emergentem ſuo ambitu occupat, undique præter ad Boream, ubi exigua lingua continenti jungitur, mari circumfuſa. Hinc & natura loci & ambitu maris inexpugnabilem ſe hoſtibus jactat. Mare non adeo altum & majoribus navigiis ob brevia innavigabile, niſi qua portus ſe inſinuat, cujus aditum arx firmiſſima claudit. Nullibi per Sinam major tormentorum æneorum copia, quæ ex Sinico Japonicoque ære fuſis per omnem poſtea Indiam, ingenti lucro, diſtrahuntur. Verſus continentem duo tantum Caſtella collibus ſupereminent contra impetum terreſtrem. Nullæ ibi, qua proſpectus latiſſimus datur, arbores aut fruteta; liber undique & ſine impedimento per patentia camporum proſpectus.

Priſco ævo urbis locum Idolo *Ama* ſacraverant, & cum portus ibi, naviumque ſtatio, Sinis *Gao* appellaretur, juncta voce, urbs *Amacao* vocata, unde *Makao* vel *Makou* hodiernum nomen fluxit. Urbs ipſa à Luſitanis Sinenſium indultu ſtructa, brevi tempore emporium florentiſſimum evaſit, quod Europæas in ea merces navibus ſuis primum exponerent, Sinenſesque lucroſa viciſſitudine reciperent. Acceſſit impetrata libertas bis in anno Kantonenſes adeundi nundinas; unde ingens Sinicæ mercaturæ copia *Kantona Makaum* quotannis, florente adhuc regno, deferebatur. Mille trecentæ omnis generis ſericorum pannorum arcæ, qualibet arca centum & quinquaginta ſerica volumina, præter panna raſa, damaſcena, & alia hujuſmodi continente. Auri bis mille quingenta ramenta ſive maſſæ, ſingulæ decem Toelarum (Toela pondus tredecim ducatorum argenteorum pondus æquat) ſive tredecim unciarum pondere. Octingentæ muſchi libræ, & gemmarum inæſtimabilis abundantia. Ita pulcherrimo urbis ſitu procul delectati, inſulam, cui GOYERÆ in honorem Magnifici Legati *Petri de Goyer* nomen datum, appulſi, ancoram jecimus. Decima octava Sole occaſo portum *Heytamon* unica cum navi *Koukerka* (altera Bloemendalia tempeſtatibus ante ocidiuum ad *Kouchinchinæ* littora abrepta, poſt quadraginta octo demum dies *Kantonam* ad nos venit) ingreſſi pedem feliciter in Sina exſcenſione facta poſuimus. *Heytomæ* appellunt.



HEYTAMON portus *Cantonensis* pagusque jucundâ inter montium Valliumque concursus positurâ jacet. Ancoram medio in ejus sinu sex ulnarum profunditate jacta, mox militum plena scapha à Præfecto missa, qui adventus nostri in illam oram causas districte rogarunt. Missus cum illis *Henricus Baron*, qui cuncta referret, à Gubernatore in ædium penetralia admissus, humaniterque exceptus, *quid negotii Hollandis denuo in Sina esset, & num immemores forent, biennio ante interdictam illis Cantonensem navigationem*, interrogavit.

Duo Mandorini publicæ fidei literat inspiciunt.

Post sex dies, vigesimâ quartâ duo *Cantonâ* Mandarini, Legatorum ad *Magnum Chamum* literas inspecturi, in quem finem Legati, ut in Gubernatoris ædibus se sisterent, rogati. Igitur adverso flumine provecti meridie vicum *Lamme* attigimus, à Præfecto ceremoniarum solenniter excepti, & in spatiosam aulam ad Gubernatorem introducti.

Medius is inter ambos Mandarinos sublimi locatus mensa, magno militum undique præsidio stipatus cinctusque sedebat. Nihil omissum, quod Sinico more in Legatorum honorem fieri solet, & est illa gens supra alias ceremoniarum artifex, studiosaque, ut suo loco prolixius memorabitur. Legati literis publicæ fidei procul ostentatis, cum Mandarini sola visione contenti eas recipere abnuerent, considere binis sellis appositis jussi; & varia de statu Provinciarum, regionumque à Gubernatore rogati, ad quæ, ut res poscebat, cum respondissent, salute mutua dictâ discessum ea vice, & in navim reversum fuit.

Duo Delegati Legatos visitant.

Vigesimâ nonâ duo iterum *Cantonâ* internuncii *Heytou* & Navarchus quidam, legatos solenniter *Cantonam* deducturi, advenerunt. Legati eos literis

publicæ

publicis instructi in Idoleo (*Pagodas* Indi vocant) convenerunt, humanissime excepti. Postquam consederant, literis in mensa coram depositis, *Heytou* varia satis imperiose inquirere: An non ante biennium *Cantona* discessissent? tum de mercimoniis, navibus, comitatu, tormentis, muneribus, literis multa. Præcipue tamen à quo, in quem finem, & quando missi ac quæ *Magno Chamo* munera ferrent. *Id vero se mirari supra modum nullas ab ipsis ad Cantonensem* Tutangum *literas haberi, ipsasque, quas ad Magnum Imperatorem* Pekingensem *ferrent, non eo esse apparatu, custidiaque* (aurea enim theca includi tales debere arbitrabantur) *quæ Majestatem Chamicam deceret.* Post multa, cras naves se visitaturos, muneraque accepturos referebant. Ita tum discessum. Multæ quæstiunculæ proponuntur.

Orta luce magno Comitatu viginti advecti scaphis, quæ Sinico more sericeis splendide vexillis superbiebant, munera Cæsari, Proregibus Kantonensibus & *Tutango* destinata verbis, gestibusque ad omnem humanitatem compositis acceptarunt. Ipse Legatos *Henrico Barone* Secretario & quatuor aliis Comitatos *Heytou* in scapha Sinica *Cantonam* deduxit. Mox nihil prolocuti *Heytou*, ejusque socius Navarchus Legatos destituerunt, qui cum binis horis expectassent Senioris Proregis jussu extra urbem in hospitium idem, quod olim *Schedelium* exeperat, deducti & à prætore urbis custoditi, rebusque omnibus necessariis illis prospectum est. Legati à Deputatis introducuntur.

Postera die Mandarinus *Poetsiensin* ærario *Magni Chami* Præfectus, & quartus dignitate in Procerum Senatu, iisdem *Heytou* & *Navarcho* Comitantibus Legatos varia denuo rogavit, quos annuos haberent reditus, quo appellarentur nomine, quibus ante legationem dignitatibus functi, & num literarum ad *Chamum* exemplar aliud haberent, ac alii Chartæ, quam quæ ad Proreges spectarent, inaratæ essent? Cur præcipue missi? Quod nomen Principis eorum, vel Regis? Et multa alia, ut mos Sinensibus, curiose inquirebant. Præcipua iis offensa, ut jactabant, quod literæ publicæ fidei haud satis pro dignitate Sinica compositæ ipsis viderentur. Legatis audientiam Proregum & *Pekingense* iter urgentibus, silentio transmittebantur. Literas secum ablatas Proregibus cum exhibuissent, circa meridiem reversi sunt. Denuo in quæstiones & querelas effusi, multa de sigillo Hollandiæ, de annorum supputatione, aliaque spargebant, ac quod postulatum Legatorum spectaret; *Non esse illam Proregum,* Tutangive *potestatem audire ante Legatos, quam responsum* Pekinga *accepissent.* Koukerkæ tamen (ita altera navium appellabatur) licitum fore, propius urbem appellere, facta insuper spe Proreges nihil, quod ad honorificam Legatorum receptionem, spectandaque ad Cæsarem *Chamum* munera pertineret, omissuros? Iterum visitant Legatos. Navis Koukerkæ propius urbem appellit.

Secunda Septembris quatuor bellicæ Sinensium naves à Proregibus missæ adverso flumine navim Koukerkam *Cantonem* versus deduxerunt. Advesperascente die ancoris secus parvum Castellum, ubi flumen ingenti duo-

duorum millium latitudine passuum complures ambitu suo insulas complectitur, jactis, lævam versus turrim colli impositam, novem contignationibus superbientem, conspeximus. Ejusdem generis, & alia è regione *Kantonæ* in exigua se spectantibus objicit insula. Vasta toto tractu pascua, sataque commeantibus non tantum ad voluntatem, sed & incolis necessitati explendæ, opibusque congerendis sufficiunt; creberrimis hinc inde pagis numerosam incolarum multitudinem ostentantibus. Duplices uno anno messes, quanta soli fœcunditas sit, stipatis proventu horreis felicitatem regionis commendant.

Kantonam appellunt. Quarta Septembris *Kantonam* appulsi, quam alii *Quaucheu* nominant, Caput illa Provinciæ *Quantung*. Peractis ad Deum precibus, ut distinata secundaret, cum singulis jussa & imperia, quæ observarent, distributa essent, alta adhuc die Legatos convenimus. Hospitabantur illi splendidâ æde flumini adsitâ, quæ olim Templum fuerat. Duo Mandarini jussu Proregis militibus stipati portam, ne qua vis aut injuria fieret, sollicite & officiose custodiebant.

Legati navim exscendunt. Vix appulerat navis, cum Legati, quantumvis reluctantes, in eam redire jussi. Obtendebatur; *Ita Sinicis receptum legibus, ne ulli Legati, nisi expresso Imperatoris Mandato*, Kantonam *inhabitarent, metu periculi, quod à tumultuante plebe oriri posset, & Præfectos apud* Magnum Chamum *inexcusabiles reddere, quod securitati Legatorum non prospexissent melius.* Legati in navim reduces Mandarinos *Poetsiensin, Heytonumque* literas fidei resignatas afferentes, exceperunt, cum hac excusatione: *Non licitum Proregibus* accipere, vel retinere literas peregrinas, nondum *Pekinga* placito Imperatoris allato. Munera *Chamo Magno* destinata iterum inspecta sustulerunt, atque ita discessum fuit.

Quandoquidem *Kanton*, primaria duodecimæ Provinciæ *Quantung* Metropolis, hic primo in itinere nostro occurrit, ejus descriptionem, in universali Provinciarum Imperii Sinici Geographia omissam, jam ordimur.

Termini Provinciæ *Quantung*. *Quantung* ad Occidentem *Quangsi*, ad Boream & Barrolybicum *Kiangsi*, serie montium perpetua intercedente, ad Barrapeliotem *Fokien*, montibus itidem præruptis & fluvio *Ting* cincta, habet: cætera Oceanus ambit, unde portuosa, & frequens navium. Regio passim montana & campestris alicubi, maxime in Austrum montosa & rupicosa, quod peregrinantes non absque molestia sentiunt. Omnium ferax, quæ natura vel ars producit. Fertilitas. Ager bis anno seritus, totidem messes. Hyemes absque magno frigore, unde proverbio Sinæ dicunt: tria rara & insitata in *Quantung* esse: *Cœlum sine nivibus, arbores toto anno virides, & incolas sanguinem expuentes.* Nam nullæ ibi nives, folia arborum semper viridia, & indigenæ ob perpetuam manducationem *Betele & Arekæ* cum calce viva sputum rubicundum, expuunt. Magnus auri, ac gemmarum, unionum, serici, argenti vivi, cupri, chalybis, ferri, nitri, ligni aquilini, & aliarum odoriferarum proventus.

Populus, quanquam non adeo videantur ingenioſi, laborioſus, facilis, & aliorum inventa prompte imitatur. Vix confecta ex auro, ſerico, aliiſque Europæorum, quæ Luſitani afferunt, opera, mox & ipſi conficiunt *Kantonæ* apud aurifabrum globulos argenteos tranſparentes confici juſſeram, quos mox altera die ſummo artificio & elegantia factos attulit, inde promptitudo eorum & ſagacitas pateſcit. Populi indoles.

In tanta avium copia, incredibilis anatum multitudo, quorum ova, (quod Europæis incognitum) ſale terra cretoſa mixto condire, & longo tempore incorrupta ſervare. Nam ſal, hac terra admixta, ovorum putamina penetrat, quod ſolus ſal, aut muria non facit. Talia ova cibus adeo ſalubris habentur, ut à Medicis in ægrorum uſum præſcribantur. Alituum copia.

Provincia, ut cæteræ, Præfectos ſuos habet, qui veluti Proreges ſunt. Noſtro tempore duo *Kantoniæ* Proreges erant, quorum primus ob ætatem ſenior, alter junior & à Luſitanis *El Ry Mancebo* dicebatur. Primum *Kantonenſes* Proreges inter Præfectos Provinciarum locum obtinent, quod illa longiſſime à *Pekingâ* diſſita, & terra latrociniis, ob maris viciniam pyratica ſupra reliquas infeſtetur, unde etiam Provinciæ *Kiangsi* eorum paret imperio. Gubernatur à Proregibus.

Olim peculiare regnum fuit, quod *Nanive* dicebatur, demum ſub familia *Cheva* Imperatoribus paruit. Mox iterum ad Reges *Nanive* defecit; donec *Hiaovus* familiæ *Hana* eam domuit, à quo tempore Sinici Imperii pars manſit. *Quantung* olim *Nanive.*

Metropoles decem ſunt, urbes ſeptuaginta tres præter celeberrimum Emporium *Makao.*

Decem Metropoles hæ numerantur, *Quancheu* ſive *Canton*, *Xaocheu*, *Nanhiung*, *Hoeicheu*, *Chaocheu*, *Chaoking*, Kaocheu, *Liencheu*, *Luicheu*, & K*iuncheu.*

QUANCHEU ſive KANTON prima Provinciæ Metropolis, de qua infra latius, quindecim civitatibus jura dat. *Quancheu*, ſive K*anton*, *Xunte*, *Tunguon*, *Cengching*, *Hiangxan*, *Sinhoei*, *Cingyven*, *Sinning*, *Cunghoa*, *Lungmuen*, *Sanxui*, *Lien*, *Jangxan*, *Tienxan*, & *Singan.*

XAOCHEU ſecunda Provinciæ Metropolis Borealis Regni *Ive* porta dicitur, monte *Nanchoa*, illuſtri cænobio celebri, & fonte *Cao* Notapeliotem verſus cingitur. Sex civitatibus jura dat, *Xaocheu*, *Lochang*, *Gighoa*, *Juyven*, *Ungyen*, & *Ingte.*

NANHIUNG tertia Provinciæ Metropolis, Boream verſus ſita ad originem fluminis *Chin*, per quod navigiis in mare uſque patet aditus, unde frequentior commerciis eſt, quæ etiam à Bajulis per montem *Miulin* undique in hanc civitatem deferuntur. Montium præcipitiis contra vim hoſtilem eſt ſecura ſui, cætera frugiferi & amæni colles cingunt, telonio celebris, telonarum humanitate celebrior. Binis civitatibus *Nanhiung*, & *Xihing*, imperat.

HOEI-

HOEICHEU quarta Provinciæ Metropolis, qua ſolem Orientem ſpectat, maritima, Occaſum verſus munitur lacu *Fung*, è cujus ripâ, viridariis ac Muſæis jucundiſſima, agger ſurgit lapideus, reliquum ejus amæna vallium inter aquarum ſcaturigines cingunt. Decem civitatibus imperat, *Hoeicheu*, *Polo*, *Haifung*, *Hoiuen*, *Lungchuen*, *Changlo*, *Hingning*, *Hoping*, *Changing*, & *Junggan*.

CHAOCHEU quinta Provinciæ Metropolis, maxime Orientalis, continuâ montium ſerie ſecluditur à Provincia *Fokien*, qui eam ob prærupta cacumina contra omnem vim inſuperabilem reddunt; ad Auſtrum Oceano, ejuſque æſtu inexpugnabilis, fluvio *Go* navibus & viatoribus opportuna, & ponte *Cichnen* ſumptuoſa decem regit civitates, *Chaocheu*, *Chaoyang*, *Kieyang*, *Chinghiang*, *Jaoping*, *Tapu*, *Hoeilai*, *Cinghai*, *Puning*, & *Pingyven*.

CHAOKING ſexta Provinciæ Metropolis, ipſam, qua Auſtrum ſpectat, magnus fluvius, ex *Quangsi* Provincia ingenti aquarum mole auctus, præterlabitur, cujus ripa Novizonio ſuperbit, ex quo ſuperſtitioſa gens felicitatem portendit; Boream verſus monte *Ting* clauditur, ob viciniam montis *Chin* ſive caſtitatis, & duarum Provinciarum Proregis ſedem undique continuus eſt confluxus; Palatiis procerum, aliiſque ſplendidis ædificiis multas ſuperat. Undecim ſub ſe habet civitates, *Chaoking*, *Sinhoei*, *Sinhing*, *Yangchun*, *Yangkiang*, *Caoming*, *Genping*, *Teking*, *Quangning*, *Fuchuen*, & *Kaikien*.

KAOCHEU ſeptima Provinciæ Metropolis, Oceano, & amænis montibus toto territorio adverſus hoſtium eruptiones munitiſſima; flumine *Lien* alluitur, qui navibus Sinicis aditum concedit; ſex moderatur urbes, *Kaocheu*, *Tienpe*, *Sing*, *Hoa*, *Vuchuen*, & *Xeching*.

LIEUCHEU octava Provinciæ Metropolis, maxime Occidentalis, Regno *Tungking* viciniſſima, à quo fluvio *King* & horridis ac inacceſſis ſeparatur montibus; mare ad Notapeliotem urbis mænia alluit, ubi tutiſſima navium ſtatio, *Chung* dicta; quatuor regit civitates, *Liencheu*, *King*, *Lingxan*, & *Xelien*.

LUICHEU nona Provinciæ Metropolis, cui à fulmine nomen eſt, Orientem verſus Oceano cingitur, ad Occaſum lacu *Lohu*, & ad Auſtrum munitur monte *Kingliu*, reliquum tam fertilis & peramænus ager occupat, ut rerum omnium copia & varietate inter omnes Provinciæ urbes facile princeps ſit. Tribus imperat civitatibus, *Luicheu*, *Suiki*, & *Siuuen*.

KIUNCHEU decima Provinciæ Metropolis, à marmore rubro ſic dicta, inſulæ *Hainan* caput eſt, qua Ortum reſpicit in ipſo promontoria ſita, tota lacubus & undis circumſepta omnem vim hoſtilem ſecura ſpernit. Ad Notapeliotem monte *Tao*, Auſtrum verſus monte *Kiun* clauditur, quamvis montibus aſpera, & annoſis ſit horrida ſylvis, equidem omnium rerum ferax, quas poſtulat uſus. Tredecim regit civitates, *Kiuncheu*, *Chingiju*, *Lincao*, *Tingan*, *Venchang*, *Hoeitung*, *Lohoei*, *Chen*, *Changhoa*, *Van*, *Linxui*, *Yai*, & *Cangen*.


Festin des Vice-Rois
pres des murs de Kanton .
't Koninckliick Bancquet
voor de muur van kanton .
Convivium
proregum ante
Muros Cantonis .
A . Le vieux Vice-Roy .
B . Le ieune Vice-Roy .
C . Le Tutang .
D . Les deux Ambassadeurs .
E . Les deux Mandarins .
F . Les Musiciens .
G . Cinq Porte parasols .
A . Den ouden onder Koninck .
B . Den jongen onder Koninck .
C . Den Tou-tang .
D . De twee Ambassadeurs .
E . twee Mandarijns .
F . 's Konings Musikanten .
G . Vijf Koninckelycke Sonne Schermen .
13 .





Plate forme de la Ville de Kanton.
a . Pagoda .
b . Fortalitium in Monte .
c . Porta versus campos .
d . Murus a latere Agrorum .
e . Palæstra Tartarorum .
f . Tartarorum Regio .
g . Artificiosa Turris .
h . Palatium Senioris Proregis .
i . Palatium Junioris Proregis .
k . Prior Porta Aquatica .
l . Posterior Porta Aquatica .
m . Hospitium Legatorum .
n . Armentarium .
o . Locus convivij .
p . Binæ Arces Aquaticæ .
KANTONIS
Plana
effigies.
a. een Pagodon
b. een sterckte op't gebergte .
de Lant Poort .
de Lant muur .
de Oeffen Plaets der Tarteren .
f. t quartier der Tarteren .
een konstige Chineese tooren .
t Palleys van den ouden Koning .
t Palleys van den Iongen Koning
eerste Water Poort .
tweede Water Poort .
m. t Logiement van d'Ambassade
n . t Tuyghuys .
o . t Pleyn daer Banquet was .
p. twee Water Kastelen .


KANTON.



In universâ hac Provinciâ ad territorii tutelam, pelagique custodiam decem numerantur munimenta, *Taching*, *Tung*, *Hanxan*, *Cinghai*, Kiaca, K*iexe*, *Ciexing*, *Hiung*, *Jungching*, *Ciungling*.

Familiarum sunt quater centum octoginta tria millia, trecentæ & sexaginta 4.83.360. Virorum militarium novies supra decies centum septuaginta octo millia, & viginti duo 19.78.022.

Tributum solvit Magno Chamo annuatim oryzæ decies centies & decies septies mille septingentos septuaginta duos saccos 10.17.772. Salis trigesies septies mille trecenta & octoginta pondera 37380.

Provinciæ *Quantung* urbs Princeps altitudine Poli ad viginti tres gradus, sub latitudine Boreali *Kanton* est. Qua Austrum spectat maritima; reliquum ejus fructiferi montes, amœnaque vallium cingunt. Hinc & munimentum contra hostes natura posuit, & navigantibus ingentia commerciorum libero mari commoda indulsit. Flumine *Ta* alluitur, quod urbi propius contractiori alveo fertur; qua Oceano proximat, non jam fluvium, sed mare dixeris, tanta ibi latitudo ejus, ut littora & ripæ spectantibus evanescant. Ipsa urbs fluvio longissima mœnium, ædiumque serie adjacet, vix trium spatio horarum expeditus viator extrema ejus consequetur; suburbiis undique amplissimis ita cincta, ut continuas populosasque urbes existimes. *Kantonæ situs.*

Triplex secus ripam fluminis murus Sinico more amplitudine pariter ac altitudine conspicuus, crebris passim turribus, propugnaculis & Castellis interjacentibus. Duo insuper medio emergentia fluvio Castella. Quarum unam in schemate adjecimus, ut ejus architectura melius innotescat in- *Varia Kantonæ munimenta.*



inacceſſibilem reddunt urbem, ac continentem verſus Caſtella quinque, altis montium præcipitiis impoſita, inexpugnabilem videntur reddere urbem. Templorum palatiorumque ea multitudo, ac ſplendor, ut nonniſi maximis, primiſque Sinæ urbibus concedat, reliquas omnes immenſum ſuperet.

Crebræ paſſim tota urbe moles, & triumphales arcus, quarum una platea ex ſaxo vivo tredecim ſtatuis, picturiſque ita exornata, ut ſpectantibus, niſi quis aſſuetus ſit, ſtuporem incutiant. Unius iconem, ex qua de ceteris omnibus judicium fieri poteſt, deſcribere, oculiſque ſubjicere haud inſubidum duxi. Faſtigium ejus tribus diſtinctum fornicibus, omni ornamentorum genere, quæ ars ingeniumque humanum excogitare potuit, ita variegato, ut citius quid ſpectas, quam quid deſiderare poſſis, invenias. Pleni Sinenſi literatura parietes, ac hyeroglyphicis characteribus; paſſim flores animaliumque figuræ, & quicquid curioſitas humana ad ornatum, faſtumque ſtructurarum artificio ſuo excogitare potuit.

Olim princeps totâ Sinâ navale *Kanton* fuit, non numero magis, quam celeritate promta navigiorum, quæ celerrimo in *Taiwanam*, Japoniamque trajectu cæteras maritimas urbes ſuperantes, opibuſque quoque, & potentiâ prævaluerunt, ut celeberrimi emporii ſitus melius à lectoribus apprehendatur, *Kantonem* geminâ facie exhibemus, in priori icone, prout ambulantibus juxta ripam ſe offert, in poſteriori plana ejus forma cum Plateis, Portis, Caſtellis, Pagodiis, Fanis, Aulis, Turribus conſpicitur.

Non-

Nondum in Sina Tartarica tempestate ad ruinam populorum, urbiumque se diffundente, ingens commeantium per portas multitudo, ut sæpe una die multi pedibus conculcati animam exhalarent. Bis omnino capta à Tartaris fuit, sed ultima supra fidem obsidio plusquam octoginta hominum, & si Martinio credimus, centena millia absorpsit.

Tartari expugnata *Peking* & *Nanking*, majori Imperii Sinici parte, innumerabili cum exercitu velut imber & tempestas Martia in *Quantungam* se præcipitarunt. Cæteri urbibus invincibilem victoris Scythici potestatem vi, vel deditione cedentibus, sola *Kanton* ausa fuit invicta mœnia sua, & propugnaculorum moles Tartaro objicere, ejusque furorem pari ferocia spernere. Addidit toto tum Dominator Oceano *Iquon* animos, Sinensis classis & profugorum receptor, qui mari aperto Kantonensibus quotidie suppetias ferebat, invalido ob inopiam navium, & si haberet, regere non valenti ob imperitiam Tartaro. Obsidio *Kantonæ.*

Sed terrarum potens Tartarus, quanquam jam tribus repulsus ab oppugnatione vicibus, obsidione integro anno protracta, cum vel infecta re discedendum sibi videret, vel totis viribus expugnationem ultimo & insuperabili conatu aggrediendam, pertinaciam obsessorum in desperatam audaciam vertit. Ac primo quidem flumen ponte sternere, omnemque obsessis spem subsidiorum maritima via intercludere nisi, labore aliquot mensium improbo id tandem perfecerunt, pontemque mole terrea Lunæ dimidiatæ forma, cujus munimento ab erumpentibus defenderetur, sepserunt.

Eminuit tum duorum Hollandorum prospera temeritas, qui Sinensibus in urbe mulieribus nupti diu urbem incoluerant. Illi tormentorum machinarumque patrio more periti, occupatis in ponte muniendo Tartaris repente ingruunt, maximis cum copiis ex urbe improviso erumpentibus, atque ita ponte potiti ignes tot mensium operi injiciunt, comburuntque: Tartari spe sua & tam longi labore temporis subito dejecti alia rem via aggrediuntur, & imbre tormentorum continuo partem murorum quassatam longo tractu cum dejecissent, ut jam expugnabilis urbs videretur, non tamen ausi ante irruptionem tentare, quam præcipuos in urbe spe præmiisque vel metu in partes suas traxissent. Duo Hollandi vim Tartarorum generose infringunt.

Proreges duo, quibuscum Legatis nostris negotium erat, summum in Tartaros imperium, urbis obsessores, habebant, qui Præfectum Kantonensem *magnitudine præsentis & inevitabilis periculi, spe dignitatum præmiorumque, quæ à Tartaro victore passim tota* Sina *consequi posset* (eo gravibus execrationibus fidem suam obstringebant) ac quod valentissimum, *quadraginta millibus Toelis argenti*, si urbem dederet, corruperunt. Perfidus, nullâ in præsens urbis dedendæ necessitate, corruptus argento, ac in futurum promissis, portam urbis hora condicta Tartaris tradidit. Tartari corrumpunt Præsidem.

Traditur civitas.

Ergo vigesimâ quartâ Novembris Anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi Equitatus Tartaricus torrentis instar, per apertam à traditore portam, urbem *Kantonam* irrupit, prostratis passim, qui se opponere conabantur, sed sine ordine, sine Duce, Sinensibus. Recepto intra mœnia toto exercitu hostili cædes, direptio, clamor, ejulatusque mixtus occidentium pariter & cadentium. Integro mense urbs tanta prædæ cædique exposita fuit, cæsis, si paucos excipias eruditos, artifices, robustosque congerendæ rapinæ idoneos, omnibus, quotquot populocissimam urbem incoluerant. Sexta demum Decembris Proreges cædem inhibuerunt, cum jam, qui cæderentur, superessent ferè nulli. Ita *Kanton* periit, tam brevi temporis spatio octoginta, & si Martinio credimus, centum millibus hominnm cæsis, paulatim tamen Proregum cura spiritum, sanguinemque recepit, ut intra paucos annos hujus classis vestigia deleri posse videantur, in quorum laudes hæc canimus:

Deploranda strages.

Illustrant gemini Soles Kantona *superbum,*
Quorum virtutes inclyta fama refert.
Utque Tamerlanidis renovarent sceptra potentis,
Edomuêre Sinas *armipotente manu.*

Legati 26. Septembris iterum exscendunt.

Tres interea hebdomadæ præterierant, ex quo Legati intra navim suam detinebantur, cum iterum exscendere jussi & prius hospitium repetere, in quo à militum cohorte tam arcte custoditi sunt, ut nulla iis exeundi potestas relinqueretur.

Biduo post à Mandarino visitantur.

Biduo elapso Mandarinus quasi jussu Proregis dona haud minora tercenties mille Toelarum argenti suffectura *Pekingæ Kantonæque* inter proceres distribuenda, præter alia minoribus Magistratibus debita. Legatis: *non se emptum venisse libera per Sinam commercia*, regerentibus; *& sibi protinus Sina abire fixum statutumque, nisi æquioribus admitterentur conditionibus*; ipse vix iræ suæ compos, *nulla sibi ejus rei mandata & expectandam* Pekinga Magni Chami *voluntatem dicens, quasi minitabundus discessit.* Legati interea indies magis magisque, ut tantam pecuniæ summam erogarat, urgebantur, cumque finis nullus molestiarum esset, Proregibus centum triginta quinque Toelas argenti promiserunt, sed cum insuper fœnus mutui exposceretur, abitum navibus commeatu, velisque instructis moliebantur. Sed Proreges, *manendum, donec litteræ* Pekinga *advenirent, & de voluntate Imperatoris certiora innotuissent*, monuerunt.

Toela valet tredecim argenteos Ducatones.

Legati dissimulant discessum.

Legati vocantur à Proregibus ad regale convivium 15. Octobris.

Legati Proregibus, quod nulla amplior pro fœnore instantia fieret, Syngrapham nomine centum triginta quinque Toelarum argenti exhibuerunt; tam accepta munificentia, ut decimâ quinta Octobris magnificentissimo ab iis convivio exciperentur. In patente extra urbem campo decem tentoria pretiosissimæ texturæ erecta, ut in icone, conspiciebantur. Cuncta, ut Tartaris mos, omni latere aperta & oculis aërique pervia. Medium,

dium, cæteris in circuitu fixis, Proreges & Tutangi tapetibus insidentes occupaverant. Primum lævam versus Legatis, alterum à dextris Musicis destinatum. Varii circa tentoria tubicines, mimi ac Comœdi aërem horrisono strepitu tumultuque implentes. Ingens non ex urbe modo, verum locis vicinis hominum confluxus. Legatos duo Mandarini magno apparatu in conspectum Proregum deduxerunt, solennibusque expeditis, in tentorium ab iisdem reducti sunt.

Mox aulæ magister toga indutus cœrulea ex serico, quam aurei Dracones implebant, collo monili ex succino circumdatus (& tali habitu Mandarini, aliiqueMagnates tantum utuntur, plebi eo colore, vestituque interdictum) multitudine sua authoritate disjectâ, cibos mensæ Proregum inferri jussit. Singulis Proregibus peculiaris mensa, Tutangoque, stratæ mappis ex serico purpureo. Eadem Legatorum ratio. Singulas mensas quadraginta & amplius argenteæ omni delicatissimorum genere ciborum refertæ patinæ onerabant. Tum insonuere tubæ, tympanaque & omne Musicorum genus, nostris quoque artem suam ostentantibus. Musica Sinensium variis exercetur instrumentis, quæ in multis ab Europæorum more discrepat. Chordæ non ex Chalybe, vel nervis, sed serico constant, ut Citharis haud incongrue utuntur, sed præcipuum artificium in *Zunga* (ita vocant organon Musicum ciendis affectibus accommodum) & officulis quibusdam, lignisque tractandis consistit. Nihil illis in voce modulanda exactius, adeo multipliciter eam sonoro tactu variare, & Musico sono accomode miscere possunt, ut omnium populorum peritiam post se longissime relinquant.

Initium convivii à potu *Cha* vel *The*, Sinensibus magnalibus peculiari, factum. Is ex herba *The* vel *Cha* in aqua cocta, percolataque componitur, cui lac dulce, calidumque cum mica salis admiscent, fervidumque sorbent. Ingentes ei virtutes tribuunt, neque minoribus celebratur in Sina laudibus, quam Alchimistæ lapidem suum, vel Aurum Potabile deprædicare solent. Potus *Cha.*

Postquam *The* singuli hausissent, convivium cœpit. E regione Legatorum duo Proreges cum *Tutango* considebant, vultu hilari & singularem erga Legatos benevolentiam spondente. Colloquia magnam partem de Hollandia, ejus incolis, moribusque instituebantur, multum admirantibus, laudantibusque dexteritatem Legatorum ad interrogata prompte pariter provideque respondentium Prorege utroque. Proreges varia inquirunt.

Crebra ex aureis crateribus vultu, gestuque propinatio, Legati medio convivii singulis vitrum vini Hispanici porrigendum curabant, quo potu adeo delectabantur, ut suum *Samzou* negligerent. Est autem *Samzou* potus Sinicus ex oriza sapore acidiusculo in vini speciem corruptus, quo non ad sanitatem modo, instar *The*, verum voluptatem quoque tota Sina copiose utuntur, & salubrem esse testatur non floridus modo potatorum color, verum Potus *Samzou.*

rum quod nec nauſea ventriculum diſtendit, etiam uberius hauſtus, & nullo caput dolore, quod vinum, cereviſiaque facere ſolent, affligit.

Singularis promptitudo famulorum Sinenſium.

Nihil toto convivio mirabilius viſum, quam prompta tot miniſtrorum (tria millia numerabantur) ſervitia ſine ſtrepitu, ſine turba, quiſque ſuum munus promptiſſime obeuntes. Nec minor in Proregum liberis (nam & horum aliqui aderant) modeſtia, civilitaſque, qui & Legatis honorem exhibere Europæo more docti, & parentibus ingeniculantes, terramque ter oſculantes reverentiam publice præſtabant. Ita tandem exacto convivio Legati, gratiis actis, in palatium ſuum à Tartarorum Equitum turma, multiſque aulicis honorifice reducti, reliquum diei hilariter exegerunt. Muſa ſplendore convivii excitata in hos erumpebat verſus:

Modeſtia liberorum Proregis.

Legati ſplendido comitatu reducuntur ad hoſpitia.

Fluctus ut in ſalſo, ſic jam velamina fulvo
Auro intertexto ſerica laxa fluunt.
Omnigenumque cibum rutilantia vaſa miniſtrant,
Atque Ganymmedes limpida vina promit.
Phœbus adeſt, ſecumque Deas in prælia ducit;
Ecce lyræ reſonant, doctaque turba canunt.
Singula quid referam? nunquam tam fertile Regnum
Barbara terra mihi, ſed paradiſus erit.

Tutangus Magno Chamo literas deſtinat.

Poſt hujus convivii ſolennia, *Tutangus* literis *Pekingam* miſſis *Magno Chamo* ſignificavit, Legatos cum muneribus fœdera amicitiamque petentes *Kantonam* appuliſſe. Proreges inſuper ſecunda vice Imperatorem certiorem reddebant, non modo gratulari Legatos Majeſtati ejus velle Imperium, verum etiam liberam per ejus ditiones navigationem, commercium, habitationemque petere.

Batavis liberum commercium permittitur.

Sex menſes effluxerunt, antequam *Pekingâ* reſponſum ad Proregis *Tutangique* literas adventaret. Tandem duo edicta *Magni Chami* allata fuerunt. Prioris argumentum erat: *Permitti Hollandis, ut Legationem ex viginti perſonis conſtantem* Pekingam *mitterent, quibus interpretes quatuor adjungerentur: reliqua multitudo* Kantonæ *in navibus ſuis, nulla mercaturæ licentia, remaneret. Alterius* ſumma fuit: *Hollandis libera per Sinicum Imperium commercia permitti, verum ea conditione, ut Legati* Pekingam *venirent, ac Imperatori coram gratias agerent.* Ita Legati, cum ampliores mercibus ſuis cuſtodiendis, diſtrahendiſque ædes impetraſſent, ad *Pekingenſe* iter ſe, ſuoſque neceſſariis omnibus rebus, inſtruxerunt.

Tutangus Herynæ ſalutat Legatos.

Secunda Novembris *Tutangus Herynæ*, ut oſtenderet haud minori ſe favore Hollandorum Legationem proſequi, quam *Kantonenſes* in ſplendido illo convivio fecerant, magnifica claſſe ædes Legatorum ſecundo flumine advectus eoſdem in Prætoria ſua Jonka (navigia Sinenſia ſic appellantur) omni cultu, obſervantiaque hilaris, alacerque excepit. Cum conſediſſent, varii de rebus novis, graviſſiniſque ſermones habiti, tanta utrumque animorum



morum alacritate, ut nil niſi firmam, fidamque amicitiam ſperare poſſes. Deductis inde à *Tutango* Legatis magnâ domum pompa, qui mox potum ſuum ex argenteis lagenis promi, exhiberique juſſit, ac ſalute dicta ſcapham conſcendit, & ad claſſem ſuam revectus eſt.

Dum ita ad *Pekingenſe* nos iter paramus, Prorex Junior expeditionem contra rebellem Provinciam *Quangsi* ſuſcepturus (ea quippe *Magni Chami* imperium contumax ſpernebat) copioſiſſimam *Kantonæ* claſſem, qua exercitum Tartaricum transfretaret, contraxit. Erecta paſſim toto littore creberrima tentoria, ſub quibus & Seniori Proregi, & nobilibus cæteriſque validiceret. Ipſe ſpadiceo conſcenſo equo, habitu, Armiſque Tartaricis inſtructus, militarem vultu animum, roburque ſpirabat Scytha dignum. Tunica pellibus, quas *Siberia* mittit (*Sabellinas* vulgo vocat) ſuffultæ lana extrorſum verſa. Caput pileo rubeo, iiſdem pellibus trium latitudine digitorum prætexto tegebatur, unde tergum pavonis cauda (ſolis id Regia dignitate fungentibus licitum) ſuperbe flagellabat. Equus ſtragulis auro rigentibus opere Phrygionico, tribus de collo floccis purpureis dependentibus.

Junior Prorex proficiſcitur ad Provinciam *Quangſi* ſeditionem exſtincturus.

Hoc habitu ſuperbus ad ripam fluminis valedicturus deſcendit. Magnates per tentoria ſua diſpoſiti adventum ejus expectabant, pariterque Legati noſtri magnifico apparatu. Ipſe conſcenſâ Prætoria ſub tentorio ex rubro ſerico conſidens ultima gratulantium, fauſtaque apprecantium vota pari affectu, & humanitate excipiebat, reddebatque. Quibus Muſa noſtra ſic accinuit:

Junior



Junior hic Princeps armatus fulminat arcu,
Et fert in dextrâ tela superba manu.
Vectus equo spumante volat ceu fulgur in hostes:
Arduus invicto victor ab hoste redit.

Sacerdotes Proregi male augurantur.

Paucis ante discessum diebus consulti harioli, aruspicesque Sinici, ex avium intestinis, stellarum positura, similique superstitione, quibus impense indulgent, infaustum cœlum, adversamque expeditionem prædixerant: sed spreti ab animoso Principe, cum victor deletis rebellibus, totaque Provincia *Quangsi* expugnata, Tartaricum Imperium auxisset, fugâ se subduxerunt, extrema sibi ob artis suæ vanitatem, an quia studio finxerant deterrendis suo â proposito Tartaris, imminere haud omnino vane metuentes. Exarsit eo vehementius justissimâ iracundia Princeps, & quia in ipsos sævire non poterat, templa Pagodasque solo tenus diruit, statuasque exussit. Jamque signo dato universa Tartarica classis Prætoriam sequebatur, cum omne *Kantonicum* littus, ripasque innumeris navibus contectas vidissemus, in hospitium reversi sumus.

Spernit augurium.

Et quoniam frequens Proregum *Kantonensium* in hac Legatione mentio fit, operæ pretium erit, paucis originem utriusque, fortunamque commemorare. Patria illis *Pekinga*, dignitate inter Proceres primi; Junior Prorex senioris filius primo à nostris habebatur, verum postea tam intensum mutui amoris gradum, quem in ipsis observabamus, non sanguine, sed duriori familiarum fortunâ ortam intelleximus; nam utriusque parens jussu Imperatoris

peratoris Sinici, incertâ tam duæ ſortis cauſâ, interfectus eſt. Filii parem metuentes exitum, fugâ ſe *Quantungum* provinciam receperunt, tuti ibi Tartarico futuri præſidio, quod *Magnus Cham* eam tum Provinciam ingenti exercitu irrupiſſet. Illi hac arreptâ occaſione, hanc labem Sinarum cruore eluendam animo obfirmantes, ſe ipſos Tartarorum caſtris commiſcendi veniam petunt, ad collapſam familiam, in vindictam patricidii, armatâ manu priſtino ſplendori reſtituendam, *Magnus Cham*, auditis injuriarum ab Imperatore Sinico acceptarum querimoniis, non favorem modo, & gratiam pollicetur; verum fide eorum propius perſpecta, honores ſummos dignitateſque, uno illorum *Pignowan*, altero *Sinowan* vocato, qui præcipui in Imperio honoris tituli, ejuſdem auctoritatis, ac Proregia Europæorum dignitas, elargitur. Credibile eſt, hos generoſos Duces in expugnandâ *Quantung* fortem, ſtrenuamque operam præſtitiſſe, cum tota hæc regio, in qua quibuſdam locis ad aliquot milliaria per urbium, Pagorumque ruinas excurritur, armis Tartaricis in vaſtitatem, ſolitudinemque maxima parte redacta ſit, unde Proregum avitâ potentia eam pleno quaſi & regio jure gubernant. Hoc exemplo promptitudinem in viris, nobili & generoſo ſanguine oriun dis, injuriandis Reges & Duces ab hac gente dediſcant.

Jam exacto anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, Februarii dies vigeſima ſecunda, anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſexti advenerat, cum Legatis viſum fuit *Pekingenſe* iter ingredi, poſtquam literas ſalvi conductus â Prorege impetraſſent. Quare equis conſcenſis comitantibus Mandarino *Poetſienſin* & utroque *Heitou*, cæteri gladiis armiſque inſtructi ordine præceſſimus. Literas Proregi ſeniori, qui graviter oculorum dolore laborabat, à *Joh. Maatſuiker* Indiæ Præfecto ſcriptas, obiter repræſentatas cum reſtituiſſet ſeniori *Heitono*, ut ab eo exhiberentur, *Magno Chamo* addita excuſatione, quod licitum ſibi non eſſet eas ante accipere, quam Legati *Pekingæ* Imperatorem ſalutaſſent, ultimo valedicto, ad aulam Junioris Proregis, quanquam tum bello *Quangſienſi* occupatus abeſſet, Solium ejus pelle tygridis conſtratum more gentis venerati, mox ad matrem ejus Tartaram ſe contulerunt, quæ quod Sinenſes in comitatu eſſent, à quibus aſpici nolebat, conſpectui noſtro ſe ſubduxit. Inde *Tutangum* convenerunt, qui implacabilior Batavis, negato ſui alloquio, gratias pro genere & labore illis agi juſſit. Tandem illum, qui ab Imperatore *Pekinga* paulo ante venerat, Ablegatum inviſunt, qui admiſſis in conſpectum ſuum Legatis, ipſe habitu Sinico potius quam Tartarico, conſidere ad dextram eos cum juſſiſſet, interpres in genua reverenter procumbens, vota Legatorum expoſuit, quibus paucis magna gravitate, toto corpore immotus, reſpondit. Miniſtri ejus magno numero ad lævam diſpoſiti, ſolo oculorum nutu (neque enim verbis utebatur) juſſa exequebantur. His ita expeditis, Legati in domum, mœnibus urbis contiguam, deducti, Mandarinorum quotidie frequentibus honorabantur

Legati ædes Proregis Senioris adeunt.

 viſita-



viſitationibus, ac varia haud magni momenti quotidie ultro citroque interrogabant

Senior Prorex Legatos convivio viatico excipit.

Vigeſimâ ſeptimâ Februarii Prorex, cum rem cum ſummo Delegato plane confectum intellexiſſet, Legatos ultimo excepturus convivio ſolenniter invitavit. Veſtibula & ambulacra Palatii ſplendide exornata ſpectantium oculos mira pulchritudine, armis hinc inde magnâ copiâ dependentibus, feriebant. Utque convivii hujus magnificentia, eo illuſtrior appareret, invitati Præcipui ex *Katonenſi* Magiſtratu, Mandarinique, qui longa ſerie tapetibus pro cujuſque dignitate conſidebant. Legati ad dextram conſedêre, è regione eorum Prorex adversâ facie in lato quadratroque ſcamno cui ſtragulum pretioſum, ut in icone, injectum. Veſtis aureis undique Draconibus picturata. Retro veluti tænia de capite pileolo Tartarico Cauda pavonis, Regiæ dignitatis inſigne, dependebat. De collo longa ex ſuccino albo catena: pollicem ex ebore annulus ſtringebat, Tartaricæ ſignum mea opinione fortitudinis, quo in arcubus inflectendis uti ſolent. Convivio durante Prorex liberis ſuos humaniſſime abblandiebatur, tanta eorum libertate, ut etiam ſubinde humeros ejus conſcenderent. Novem in univerſum erant, omnes forma pulcherrimi, habitu magnifico. Maximus natu vix quinquennis videbatur, quod ex diverſis nati matribus eſſent. Quippe, ut interpres referebat, multæ Proregis Sinis uxores, ex quibus tum temporis quinquaginta ſex liberos ſuſceperat. Finito convivio Legati gratiis actis palatium ſuum repetierunt. Proxima die ſimili ſplen-

ſplendore convivii in palatio Proregis junioris, ejuſque tum abſentis in *Quangsi* debellanda juſſu, à ſcriba, Arcanorumque ejus Præfecto excepti fuerunt. Nihil omiſſum, quod magnificentiam tanti Principis, affectumque erga Legatos demonſtrare poſſet. Nam poſtquam remotæ epulæ, Comœdia ferarum beſtiarum habitu miro ſpectaculo exhibita fuit. Quippe pellibus Leonum, Tigridum, Leopardorum aliorumque belluarum induti ferociam, rugitus, inceſſum, ita diductis horribiliter rictibus, expanſis unguibus, & in mutua infixis vulnera æmulabantur, ut ignorantibus terrorem incuterent. Præ viri gravitate Muſa excitata in hos erupit verſus:

Legati à Secretario Proregis laute excipiuntur.

Ficta ferarum belluarum Comœdia.

Hic habitum, vultumque viri ſpectare poteſtis,
In quo Cham *magnum ſpem poſuiſſe juvat.*
Attamen acta viri, præclaræ copia famæ,
Omnia cum pereant, ſola ſuperſtes erit.

Mater Proregis Tartara pretioſo habitu, ſtatura breviori, colore ſubfuſco membris gracilis, aſpectu decoro, ac ad omnem humanitatem compoſito, ſubinde per triclinii feneſtram convivas volantibus oculis aſpectabat. Ei poſita erat in palatio vacua ſella, elegantibus picturis ornata, cui honorem in abſentis Dominæ gratiam exhibuimus, utrimque honoribus mutuo exhibitis. gratiiſque actis, Legati equis conſcenſis palatium repetierunt.

Rebus ita *Kantonæ* ex voto peractis, cum Proregi, Magiſtratibuſque valedixiſſent, acceptis literis publicæ fidei, nihil quod accelerando *Pekingenſi* itineri faceret, omiſerunt. Iter illis per flumina continua uſque ad quartum *Pekingâ* lapidem, niſi quod terreſtri via per montana *Nambung* proficiſcendum fuit. Legati ſplendida pro ſe conduxerunt navigia, quibus *Kantonenſis* civitas quinquaginta alia minora, muneribus, impedimentis, & comitatui vehendo, ſumtibus Imperatoris addiderat. Inconſultum videbatur cum navibus noſtris, quod graviores eſſent, flumen altius ſubvehi: Idcirco eas ſub præſidio *Franciſci Lantsman* relinquere in ſtatione *Kantonenſi*, donec rediremus, viſum Mandarino *Pinxentou*, qui titulo Senioris *Heitou Heitamona Kantonam* nos juſſu Proregis deduxerat, è ſupremum in claſſem noſtram, authoritate *Tutangi Kantonenſis*, Imperium habebat, cui duo alii Mandarini, præter illos, qui antehac *Pekingam* in cauſa noſtra miſſi fuerant, adſtites, ſociique dati. Claſſe remigibus, helcyariis, aliiſque nautis ſufficienter ad tantum iter inſtructa, præſidio inſuper Tartarorum militari, ſub auſpiciis duorum Magnatum contra omnem vim, injuriamque defendebatur. Omnibus jam ad profectionem paratis, Legati Jonka ſua conſcenſa, vexillum Batavicum propoſuerunt, tubiſque ſolito more ſignum itineris inchoandi dederunt. Præmiſſi, ut conſuetudo in Sina fert, curſores, qui ſingularum Magiſtratus civitatum de adventu noſtro præmonerent, ac ut omni humanitate eos exciperent, tractarentque nomine *Magni Chami* mandarent, idque tota via *Pekingam* uſque conſtanter obſervatum.

Legati diſceſſum Kantonæ parant.



Decima ſeptima Martii Anni milleſimi ſexcentemi quinquageſimi ſexti *Kantona* digreſſi *Pekingenſe* iter ſuſcepimus, fluvio *Tay*, qua mœnia *Kantonenſia* ſtringit, remis veliſque ſubvecti; unde pulcherrimus urbis obverſabatur proſpectus, tota in abitum noſtrum fauſtis acclamationibus civitate effuſa, & undique tormentorum bombardarumque fragoribus terra tremente, ignibus ardente aëre. Poſtquam magno hoc fluvio aliquandiu provecti eſſemus, Boream verſus oſtium fluvii *Xin*, quem Europæi, neſcio qua de cauſa, Europæum vocant, ſe in *Tayum* exonerantis ingreſſi, veſpera in noctem vergente pagum SAHU prima illa die attigimus. Sex horarum navigatione *Kantona* is diſtat, ambitu exiguo & ruſticis caſis referto, quarum tenuitatem aliquot magna ædificia attollunt. Ager ipſe frugum dives, arboribus paſſim, collibuſque ad jucunditatem diſtinctus. Incolæ textores ſerici, unde magna inde ad vicinas urbes copia defertur, & hinc opulentia. Nocte ibi exacta, ſub ortum Solis digreſſi, decimâ nonâ, poſt multos labores urbem *Xanxui* in conſpectu habuimus, ibique jactis ancoris ſubſtitimus.

Veniunt ad pagum SAHU.

Urbem XANXUI 19. Martii appellunt.

XANXUI undecimum Metropolis *Kantonæ* oppidum centum & quinquaginta *Ly* ab urbe *Kantona* ſita eſt.

Ly vocant Sinenſes diſtantiam, intra quam vox hominis clamantis exaudiri poteſt, aëre cœloque tranquillo. *Ly* igitur ſtadium fere æquat, quod centum quinquaginta paſſibus conſtat, & quorum duo ac viginti vulgare milliare Germanicum conficiunt.

Urbs hæc dextræ fluminis ripæ adſita, pulcherrimam vallem media complectitur, montibus hinc inde, collibuſque in orbem cincta. Ambitu non



non magna, sed olim adeo referta incolis, mercaturæque abundans, unde cum majoribus etiam civitatibus certaret. Difficilis totâ die via adeo Tartaros, Sinasque remiges, helcyariosque debilitaverat, ut reficiendis eorum viribus intervallum aliquod laboris indulgendum humanitas suaserit. Dum militum vexilla ripam fluminis obsederant, quod honori Legatorum dabatur. Oblatas etiam lautias, quas Legati, cum intellexissent hæc Imperatoris calculo adjici, quorum compensationis cum grandi fœnore tenerentur, modeste excusarunt, idque tota reliquâ viâ observatum. Prima vice navi in tentoria ad ripam fixâ egressi legati, Tartaros militaribus se exercentes artibus, pugnisque imaginariis jucunde spectarunt.

Utque peritiam suam quidam ostentaret Tartarus Eques, spatio sex & quinquaginta passuum ter per exiguum, palmi magnitudine, scopum, nunquam aberrans, sagitta trajecit. Scythicus is sagittandi mos multum à nostra consuetudine discrepans, non ut nos solemus, oculo ad arcus mediam curvaturam recta intenso, sagittaque in scopum directa, sed vagis in circulum motibus, quos ita temperare, ut nuspiam aberrent, noverunt, peragitur. Longe illi certius destinata feriunt tantis erroribus, quam nos arcu in rectum intentato. Idque illis dextrorsum, lævorsum æque promptum ac facile.

Tartari Equitis peritia jaculandi.

Hic à nobis *Kantonam* recessit, postquam magnifico prius convivio Legatos exceperat Proregis Secretarius, fausta prosperaque reliquo itineri apprecatus. Inde adverso flumine lente, ac multo labore provecti difficiliorem longe navigationem ob alvei angustias, multorumque ex vicinis montibus rivorum confluxum, unde aquis incitatius refluentibus, majori homi-

Secretarius Senioris Proregis discedit, & Legatos convivio viatico excipit.



hominum opus eſt labore, copiaque. Sinenſium miſerabilis ſervitus, in quam eos nupera Tartarorum dominatio conjecit, hic conſpectior fuit. Ripæ adeo interdum anguſtæ, & præcipites, ut umbilico tenus ſæpe aquis immerſi, aut periculo extremo, ſi veſtigia in rupibus confragoſis fallerent. Neque vero Tartari mitiores naturâ, qui in corpora eorum, aquis ſtillantia, fuſtibus inſuper immiſericorditer ſæviebant, ut deficientibus ſæpe viribus inter eorum crudelitatem expirent.

Quo longius in Boream itur, eo difficilior navium adverſis fluminibus protractio, nuſpiam vero miſerabilior quam in aſperis illis, præruptiſque montibus *Sang-won-hab*; unde vaſta ibi ſolitudo, diffugientibus undique incolis metu Tartaricæ ſervitutis: quippe unico tantum conſpicua exiguo pago nomine KOESUWEN, cujus incolæ ipſa facie, vel immitiſſimum quemque ad commiſerationem movere potuiſſent, ut autem deploranda harum incolarum conditio lectorem magis in commiſerationem, quam admirationem raperet, eoſdem ſub helcyo vivis, ut in icone, depinxi coloribus, ut merito cum Poëtâ exclamare liceat,

Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyſſei
Temperet à lacrymis.

Sinenſium miſerabilis ſervitus.

Ninus Aſſyriorum Rex, qui ad decies ſepties centena millia peditum, Equitum millia ducenta adverſus Bactrianos in campum produxit. Regina *Semiramis*, quæ contra *Staurobatem* peditum fere decies centena millia, Equitum millia ducenta in bellum armavit, *Xerxes* Perſarum Rex, qui



qui ultra tria millia navium, in quibus plus quam viginti hominum Myriades numerabantur, contra Græcos expedivit. Horum nullus in devictis Tartarorum Barbariem æquavit. Nam parum abeſt, quin univerſa hæc Regio in pulveris habitum converſa, tota in cineres & favillas deflagrata ſit. O deplorandam rerum humanarum viciſſitudinem! Sinenſes, qui non ita pridem in amplis domi pomæriis, jam in patria errabundi; olim in pretioſa ſuppellectile, nunc in deciduis arborum foliis, modo ſtratis patrio marmore pavimentis, jam in aquis miſeri vitam tranſigunt. Quondam eorum veſtimenta puriſſimo auro elaborata, Indorum Gemmis & Unibus coruſca, Aſſyriorum purpura ac oſtris magnifica ſpectantium recreabant oculos, jam ejecti ſuis fortunis miſerrimi homines ſub funibus, ad extremam redacti famem, ſudoribus & ſanguine toto corpore diffluunt. Per omnes ætatum gradus ſquallor, luctus, lacrymæ, ſuſpiria perſonant, domi, foris, miſerrima rerum facies; O Fluidæ fortunæ opes! Vera mundi crepundia, atque inania obſectamenta Quid enim ſub ſole tam ſtabile, quod non dies, & ævum paulatim conſumat? quid tam ab arte elaboratum, tam à cura & induſtria perfectum, ab ingenio perpolitum, quod non præter externam inſidiantium vim, tacito annorum decurſu ſuo quaſi ſenio conficiatur.

Vigeſimâ primâ Martii circa noctis medium oppido SANYUUM appropinquavimus. Ambitus ejus exiguus, ducentis & quinquaginta *Ly* ab oppido *Xanxui*, & fluminis beneficio olim populoſa pariter ac dives: ſed Tartaricus furor, ſicut omnia fere minora oppida, ita hoc quoque in ruinis ſuis fere ſepultum reliquit. Magiſtratus Legatos humaniter ſcaphis qui- | 21. Martii SANIUUM appropinquant.

buſdam



busdam advecti exceperunt, munera simul offerentes, quæ, ut supra dictum, per modestiam, & certis de causis abnuerunt. Helcyarii nostri tot laboribus fracti nos deseruerunt, aliisque conductis mirabile illud, ruposumque *Sang-won-habi* præcipitium ingressi sumus, ne fides de incredibili hujus montis jugo, in patria suspecta foret, eundem ad vivum, ut in icone, depingi curavimus. Nihil illis ipso aspectu horrendis montibus formidolosius. Cacumina SANG-WON-HABI altitudine sua nubibus immersa ripam fluminis inferiorem, viamque, qua navis Protrahenda, obscuram, tenebrosamque etiam interdiu reddunt, ut immane montis *Zang-won-habi* præcipitium præ aliis emineat, vicinos ejusdem territorii subjungemus.

Mons *Zang-won-habi.*

Diversi montes præfecturæ *Kantonensis.*

Prope *Xunte*, secundam è civitatibus *Kantonæ* subjectis, jacet mons *Lungnien*, in cujus vertice scaturit aqua, tanta perspicuitate, ut adinstar cristalli solis radios transmittat. In eodem rudes quidam reperiuntur lapides, qui ob varias & exoticas figuras, miro Naturæ artificio insculptas, avide à *Sinis* expetuntur, qui fictitios inde montes & rupes ad exornandos Magnatum hortos, efformant.

Prope *Tunguon*, tertiam è civitatibus *Kantonæ* subjectis, surgit mons *Tabi* juxta Oceani littus, ubi sex supra triginta parvæ insulæ numerantur. Ibidem mons *Huteu* verticem tollit, qui mole sua in ipso mari montosam efficit insulam, quam versus navigant, ac pro Pharo observant, quicunque navibus *Quangntung* proviciam petunt.

Prope *Cingyven*, septimam ex iis, quæ urbi *Kantonæ* subditæ sunt, assurgit mons *Talo*, qui inde ad limites civitatis *Hoaicie* in Provinciam *Quangsi* excurrit. Intra prærupta montis juga omni frugum genere luxuriant agri,

quos



quos gens rudis & inculta colit, quæ excusso Sinensium jugo propriis vivit legibus, cum in cæteris barbari, tum maxime in hoc, quod imparati à pecunia continuis excursionibus spoliisque vicina infestent loca. Omnia ibi vasta, silentiaque, nullo humano cultu, nisi quod Templum sive Pagoda radicibus ejus, admirabilis structuræ, adjaceat. Nullis Idololatræ vel sumtibus vel labori parcunt in exornandis Dæmonum fanis, Pagodisque. Ferunt (& fabulis ejusmodi impense delectantur) media nocte Dæmonem illum adventasse in illa loca, ac variis prodigiis significasse templum sibi eo loco struendum. A crepidine ripæ gradibus ad Pagodam adscenditur: ubi altius enisus fueris præcipitia montium, in aliquam diffunduntur planitiem, vastis undique rupibus, quas natura pariter ac ars produxit, horrentem. Tandem ad Pagodam pervenitur Sinicis literis Symbolisque superstitiosa Idoli mysteria exprimentibus, artificiose non minus structam, quam exornatam. Multa inde arcana incolæ vel credunt vel fingunt. Ita inaccessi hi *Zang-won-habici* montes, præterquam quod suo terrore famam acquisiverunt, etiam hujus Pagodi impia religione apud Sinas celebrantur, de quo sic lusit Poëta:

> *Herculeus labor est, cœlorum sidera tolli,*
> *Ne nimis Atlantem pondera vasta premant.*
> *Ast hic* Zang-won-hab *molem stellantis Olympi*
> *Solus inaccesso vertice ferre valet.*

Et quanquam per Sinense Imperum confragosorum ingens altissimorumque montium multitudo reperiatur. Præcipue in Provincia *Quangtung*,

H omnium



omnium tamen ſuperat immanitatem *Zang-won-hab*, quem Imperatorem montium Sinicorum appellare poſſis. Niſi quod celebritate miſerandi caſus mons *Yaimuen* in *Kantonenſi* præfectura proximum ab eo locum ſibi vendicare poteſt, de cujus vertice ultimus ex familia *Sunga* Imperator, Tartaris ex *Juena* familia regnum ante quadragintos fere annos deſtruentibus, extremâ deſperatione ſe cum præcipuo ſuorum procerum, mutuis inter ſe amplexibus intricati, in profuudum mare præceps injecit, ac ita vitæ ſimul, Imperiique finem in monte *Yaimuen*, fluctibuſque *Kantonicis* reperit.

Integro triduo inter horridas *Zang-won-habi* rupes, ac præcipitia immenſo labore conflictati, nullam hominum habitationem (& quis humano cultui locus in terribili rupium illâ quaſi patriâ) niſi pagum *Quantonlou* reperimus. Mirum, qua audacia hominum quiſquam in illa ſolitudine habitationem figere auſus ſit. Pagus undique altiſſimis cingitur rupibus, cacumine ſuo cœlum ferientibus: ſparſæ hinc inde in depreſſis vallium ruſticæ *caſæ*, & quod mireris, non deſunt amæna quædam, ac fertilia loca.

24. Martii YNGTAK tranſeunt. Vigeſima quarta Martii oppidum INGTAK, ſive *Ingte*, quod ſextum ex minoribus ſecundæ Metropolis *Quantung* cenſetur, appulimus. Hic ancoras jacere coacti fuimus, quod præceps fluminis & impetuoſus lapſus helcyariorum omnem laborem frangeret, qui totis exhauſti viribus, ac deſtituti paſſim exanimes collabebantur. Unde cæteri hujus tragædiæ ſpectatores, deſperantes, perterritique certatim aufugiebant. Hinc claſſis noſtra disjecta, & ipſa Legatorum *Jonka*, rapidiſſimo relicta flumini cæca ſub undis alliſa rupi, magno hiatu aquam hauriebat, ac niſi impenſo


omnes


PAGODÆ Interior facies
van binnen.



omnes ſtudio & impetuoſo vorticis curſu auxiliante, ad ripam appuliſſemus, medio fluvio nobiſcum ſubſediſſet. Flumen ipſum utramque fertilibus, jucundiſque agris cinctam offerebat ripam. Oppidum, ſitu amæno in lingua quadam fluvii ſtructum, ambitu quartam horæ partem deſcribit. Ex adverſo horridus *Zang-won-hab* imminet. Diſtat centum & viginti *Ly* à *Sanxiu*. Mænia alta, firmaque; intus ſplendidis ædibus Pagodiſque exornata, ſuburbium quoque haud ſpernenda magnitudine habet, & portu ſecuro vim fluminis ſpernit, magno navigantium commodo, qui tempeſtatibus, aut violentia aquarum periclitantes ad portum *Ingtak*, tutum ſemper refugium capere poſſunt. Ipſi portui ad dextram turris altiſſima novem contignationum artificioſi operis imminet, & viam quaſi oſtendit.

Vigeſima quinta Martii admirabilem Pagodam KON-JAN-SJAM conſpeximus, quem Sinenſes haud minori religione, quam *Zang-won-habienſem*, colunt, ſacrificiiſque frequentant. Situs eſt ad ripam fluminis, loco ſolo in crepidine vaſti montis, gradibus in eum multis per ſpeluncas varias, quas natura cum arte produxit, conſcenditur. Sanctius nimirum Sinenſes Idola ſua in locis deſertis, ipſoque aſpectu horridis, exiſtimant, quam ſi fana ipſa, ac delubra locis, concurſui humano obviis, populoſiſque urbibus ſtatuant. Tota claſſis tamdiu ſubſtitit, donec Sinenſes dona ſua Idolo offerrent, preceſque funderent. Nos deinde templum ingreſſi, imagines multas, & in parietibus characteres Sinicos, ac ſymbola vidimus. Singuli nimirum, qui ſacrificia ibi offerunt, nomina ſua inſcribere ſolent. Incredibile dictu, quanta apud miſeros illos ſuperſtitionis vis regnet, quam de-



vote ſacra ſua peragant. Fructus fere, ac animalia illis Idolis offeruntur, Quorum credulitatem illudit Muſa :

Hic Dæmon ſeſe Kantonæ *luſtrat in undis,*
Et per aquas populos ad ſua vota vocat.
Credula gens, quæſo, nolito relinquere terram,
Promptus in obſequium, te remorante, venit;
Aut ſi Kon-Jan-Sjam *trepidas offendere, riſu*
Relligione tua ſolvitur ipſe Sathan.

Vigeſima ſeptima circa veſperam MONGLEAM appulimus, locum ipſo aſpectu admirabili amœnitate oculos prænavigantium delectantem. Gradibus ab ipſa ripa ſingulari artificio exciſis in arcem illam aſcenditur, ſive oppidum appellare malis. Introitus per portam firmiſſimi operis ; altiſſima mœnia turribus, ac propugnaculis muniuntur. Quis jucunditatem circumſitæ regionis, dum ex altis mœnibus in depreſſa ac jacentia quam longiſſime proſpicitur, ſatis digne commemoret? Helcyarii noſtri, ſive exhauſti viribus, dum contra rapidum flumen nituntur, ſive ficta debilitate, cum ultra ſe progredi poſſe negarent, novos conduximus. Ingens hic Legatis, & extremum à naufragio periculum imminebat, niſi Dei clementia avertiſſet. Navis paulo poſt occaſum Solis rupi ſub aquis alliſa, tam vaſto vulnere, ut uno quaſi impetu aquis repleta ſubmerſionem minaretur. Altera luce aliquot prætervecti pagos, amœno quodam loco, jactis ancoris, paulum quieſcentes, â Mandarino *Pinxentou* gentilitio potu *The* hilariter excepti fuimus. Vix ad quietem nocturnam compo-


NAOCHEU ou SUCHEU.
2.

compositos horribilis tempestas obruit, adeo sævientibus ventis, ut cœlum terræ misceri crederes. Crebra intermicabant densâ nocte fulgura, fulminibusque vicini longe montes, sylvæque tremendum resonabant. Navis, quâ *Magno Chamo* destinata vehebantur munera, ruptis ancoris, confracto malo, ripæ allisa extremum minabatur periculum, nisi ope industriaque exitio erepta fuisset. Orta luce disjectas passim toto flumine, confractasque naves magna hominum, opumque jactura cum dolore conspeximus. Tempestate subortâ variæ pereunt cymbæ.

Vigesima nona Martii tota classis ad secundam Metropolim XAOCHEU appulit. Trecentis hæc urbs *Ly* ab oppido *Yngte* dissita, ripæ fluminis adjacet: unde frequens ibi ob securum portum navigatio. Austrum versus hoc flumen, per quod hactenus usque ad hanc urbem ascenderamus, variis nominibus, nunc *Siang*, interdum *Kio* appellatur: ejusque ex confluentia fluviorum *Chin*, & *Vu*, qui haud procul inde undas suas permiscent, origo. Celebris ea apud Sinenses nautas duorum fluminum *Chin*, & *Vu* unio, ob latentes sub undis cæcas rupes, impetumque aquarum, unde locus naufragiis fœdus, quando tempestates sæviunt. Unde periculis illis evitandis Pagodam in ripa struxerunt, cujus Idolum crebris sacrificiis religiose colunt Præternavigantes, dum prosperum iter ea superstitione impetrari posse opinantur. Urbs ipsa, altis hinc amœnisque cincta montibus, versus Orientem trans fluvium suburbio populoso mirandæ structuræ se extendit. Ex medio fluminis alveo, è regione suburbii, exiguo colli turris superstructa quinque contignationum molibus superba, scaphis tantum accessa. *Nicolaus Trigautius* hanc urbem ita describit: *Urbs* Xauceana *visitur inter duo flumina navigari solita, quæ hic in unum confluunt, alterum, nempe* Chin, *quod* Nanhium *urbem ab Ortu alluit, alterum scilicet* Vu, *quod ex* Uquam *Provincia mittitur, spectat urbem in Occasum. Urbana vero mœnia & civium ædes in medio agro, quem flumina relinquunt, extruuntur, unde fit, ut non nimis late pateant, & ad reliquas ædes agrum in altera fluminis ripa utrinque quærant, ex eo vero, quod occidua ripa frequentius habitatur, pons est è navigiis inter se colligatis: numerat illa urbs ad quinque familiarum millia, & ferax est imprimis orizæ ac pomorum, piscis etiam, carnium atque olerum: Verum insalubrior est aër, ac cœlum inclementius: nam quotannis ab Octobre medio in Decembrem tertia fere, vel quarta pars incolarum tertiana febri corripitur, è quibus morbi vis multos abripit, superstites autem pallore suo periculum diu testantur. Nec benignius cœlum est advenis, quam incolis: Sæpe enim, qui èo ad conficienda negotia veniunt, paucis diebus conficiuntur.*

29. Martii XAOCHEU appellunt.

Trigautius de Christiana expeditione apud *Sinas lib.* 3.

Haud procul inde campi amœni collibus, fructiferisque distincti arboribus, vicinusque *Nanhoa* mons, cœnobio famosus, & insignis templo, frequentibus habitato sacrificulis. Structum illud à quodam religioso nomine *Luzu* perhibent, qui jejuniis, rigidaque vita, divinitatis apud populum opinione sibi conciliata, post mortem sanctorum numero adscriptus fuit. Noctes diesque nudo adstrictam corpori magni ponderis catenam



gessisse dicitur, à qua carnes exesæ vim vermium ingentem germinabant, quarum si quis in terram cecidisset, sublatum loco suo restituit his vetbis: *Num deest tibi, quod in corpore meo arrodas, ac devores? Cur igitur illud deseris, ac fugis?* Tota die in cribranda occupatus oryza, unde mille alerentur Monachi. Corpus ejus etiamnum in illo, honori ejus constructo, asservari templo, crebris Sinensium sacrificiis celebri, memorant.

Magnam olim, ac splendidam hanc urbem fuisse extantia hinc inde rudera, ruinæque satis ostendunt. Munitiones, ac mœnia etiamnum supersunt: Vasta fere omnia, ruinisque deformia ingentibus. Tentoria sub ipsis mœnibus postquam statuissemus, Præfectus, & reliqui Magistratus, multique Nobilium equestri pompa Legatos cum lautiis exceperunt, quæ quia non imputabantur *Magno Chamo*, acceptæ sunt. Hinc post varios de rebus magnis sermones, cum utrimque pari humanitate, & officiis certaretur, illi in urbem, nos in naves recessimus.

Montes, quos quinque capita Equina vocant, apparent.

Vix orta luce hinc abnavigantes, haud longe Progressis montes, miro Tartarorum sermone celebrati, apparuerunt, quos QUINQUE CAPITA EQUINA vocant. Summa eorum cacumina, quam altissimas nubes usque attolluntur, crebris hinc inde structuris conspicua, quarum quædam etiamnum supersunt integræ, major pars longo ævo, & vetustate detrita, atque exesa, multum mirantibus nobis, qui per inaccessa mortalibus loca materiæ eo deferri ad talia opera potuerunt. Curiositas scrutari naturam horum montium, structurarumque suadebat: ideo per invia aliquandiu reptantes, mox adeo defatigari corpora nostra sensimus, ut desperato ulteriori progressu, eadem, qua enisi fueramus, retro reptandum fuerit via.

Vix



Vix emensis mirabiles hos quinque capitum Equinorum montes, alii denuo apparuerunt, per quos extremâ navium, opumque jactura vix incolumes penetravimus, crebris passim sub unda rupibus; unde naufragia frequentia, formidandique transeuntibus casus. Unde nomen illis incolæ, vicinique imposuerant, QUINQUE DEFORMIUM DIABOLORUM. Tandem absque damno per naufragos hosce montes ad Tractum SUYTJEEN pervenimus. Quam tetra ac confragosa sese spectantibus quinque capita Equina offerebant, tanto jucundiorem intuitum ex æquabili harum rupium *Suitjeen* positura capiebamus: nec natura, sed artificio humano admirabili ordine dispositæ videbantur. Nihil illis jucundius aspectu, cum paribus hinc inde vallibus extantes rupium minæ quasi mitigarentur, frequenti insuper herbarum, arborumque per viridantia prata, & colles proventu, delectationem adhuc intendente. Dignum videbatur, tam pulchri ingenium loci, quod ab utraque parte penicillo depictum Europæis nostris exhiberetur. Unde Musa admirando montium aspectu delectata hos effudit versus:

Montes ab incolis quinque tetri dæmones dicti.

Appellunt Suytjeen.

Pyramidum sileat laudes ingloria Memfis,
Nec magis ad cœlum tolle Pharonis opus.
Artificum prorsus fugat hæc Provincia laudes,
Nam natura parens supprimit artis opus.

Quarto Aprilis civitas NANHUNG, quæ tertia dignitate in Provincia *Quantung* censetur, conspiciendam se nobis exhibuit. Trecentis & nonaginta *Ly Xaocheu* distans extremos hujus Provinciæ limites claudit.

4. Aprilis civitas *Nanhung* sese offert.

Quippe



Quippe hactenus recta ab Austro Boream versus profecti, mediam *Quantung* itinere nostro secueramus. Adventum Legatis per epistolam gratulati Præfectus, Magistratusque, mox ipsi adfuerunt, & peractis salutationibus mutuis, nostri obnixè petierunt, ut securitati, celeritatique itineris sui, quibuscunque officiis prospicere, illudque sua cura promovere conarentur. Altera die invitati à præfecto, iterata ad convivium epistola, ab ejus aulicis in palatium deducti, ac tubarum, Musicoque concentu magnifice à Præfecto, Magistratu, ac Ducibus militiæ, solo absente Magistratus Præside, qui multis absentiam suam verbis excusabat, forte quia Sinensis erat. Alius hoc convivio mos, quam hactenus observabatur. Legati, Præfectus, cæterique omnes convivæ unam mensæ partem occupabant, altera & adversa vacua, ut punicernæ, ac dapiferi absque impedimento suis fungi possent muniis. Neque simul omnes, ut Sinensibus receptum, dapes appositæ, verum singulis convivis binæ semper patinæ apponebantur. Præfecto aulæ verbo signum dante (adstes is lateri Gubernatoris) omnes simul in appositos cibos impetum fecerunt. Cumque satis jam degustasse convivas cerneret, iterum duplici dato signo pocula apponi & ebibi imperavit. Ita sedecim eodem ordine mensis impositæ. Finito convivio, comœdiis spectandis aliquandiu vacabamus; deinde egressi in viridaria haud longo tempore inambulatum, dum interea bellaria apponerentur. Discessuri singuli convivæ pecuniæ summam inter domesticos, scenicosque distribuendam pedibus Gubernatoris nihil reluctantis apposuerunt: cumque Legati, & ipsi munus sex toelarum argenti, ac quædam alia munera offerrent, quanquam initio abnueret, tandem se exorari passus fuit.

Præfectus Legatos excipit convivio.

Ambi-


NAMHVN.
17

Ambitus urbis *Nanhung*, ſeſquihoræ ſpatio abſolvitur, munita admodum imprimis verſus flumen, tanquam præſidium limitaneum. Ponte flumen ſternitur alto fornice, qui noctu ferrea catena ad ſecuritatem civium clauditur. In urbe magnifica paſſim prominent templa, & palatiorum moles, quorum nonnullis veſtibulis aureo charactere nomen I H S. præſcriptum vidimus. Ibi Imperatoris telonium: mercatoribus ſatis eſt, ſcripto bona ſua deſignare, vel libro rationum oſtendere, talia bona ad ſe ſpectare: nec curioſius inquirunt, ut in Europa fieri ſolet. Sed liber commeatus datur. Nullibi melius atramentum (ita in India appellant terræ genus lapidoſæ) quam in tractu *Nanhungenſi*. Flumen *Mekiang* inde nominatur, quod aquam atramentoſam ſignificat: Ejus enim aquæ atramenti nigrorem æquant. Albi in eo, Sinenſibus æſtimati, piſces. Terreſtria itinera ob crebras rupium, montiumque remoras plus, quam alibi moleſtiæ, difficultatiſque commeantibus apportant; ſed difficillimus omnium tranſitu, ſuperatuque mons, qui olim *Muglijn* vocabatur. Eum Præfectus *Chankienting*, ſuo ſumtu complanatis rupibus, adeo permeabilem reddidit, ut nullibi facilior jam tranſitus Equiti, vel pediti, aut lecticis, viâ ſilicibus conſtratâ, planâque. Templum ejus memoriæ ab incolis ſtructum, ſacratumque poſt obitum, ubi ſacrificiis hodieque colitur beneficii tanti author. Pagodo turris novarum altitudine contignationum adjacet. Quatuor diebus *Nanhungæ* morati, tandem per montes paratis omnibus *Nanganam* verſus octavâ Aprilis contendimus. Legati ſuperant montes.

Præmiſſis bajulis, *Mandarinoque* Kantonenſi, qui hoſpitia, naveſque itineri pararent. *Mandarinus Pinxentou* cum *Henrico Barono*, aliiſque reſiduis ſequente die iter ingreſſi ſumus. Quælibet turma tenetur Flavo Imperatoris Sinici, Legatorumque nominibus inſcripto, vexillo conſpicua, ne peregrini ſe immiſcerent. Legati lecticis (*Palankynos* Indi vocant) geſtabantur, minus moleſtiæ per montana illa, & aſpera eo modo ſenſuri. Bajuli quadringenti quinquaginta, quorum ſingulis merces octo *Maas Fijn*, id eſt, monetæ Hollandicæ ſexaginta quatuor ſtuferi, numerabantur. Additur à Præfecto militare centum & quinquaginta virorum ſubſidium contra prædones, per deſerta illa ſubinde errantes, aderantque, *Kantonâ* ſimul profecti, ſeptuaginta alii militiæ âſſueti.

Nona Aprilis ante meridiem hora fere nona *Nanhungam* reliquimus. Media jam peracta erat via, cum in pago *Suſan* Legati noctu conquieverunt, vacuis paſſim, deſertiſque domibus, & uno tantum militum Duce, cujus ibi præfectura, reperto. Incolæ metu Hollandorum aufugerant: vix parum oryzæ, potus, ſuillæ, ut in loco ſterili, obtentum. Altera die conſcenſis equis per horridos inter *Quantung*, & *Kiangsi* montes meridie profecti, multos ibi Pagodos, quorum, qui medius, reliquos ſplendore exuperans, limitem utriuſque Provinciæ diſcriminabat. Ipſi montes, & deſerti à cultu humano, & denſis ſylvis impervii, collibus tamen hinc inde leniter

niter suspensis, & amœnibus vallibus sua delectatione non caret. Sole jam in Occasum vergente, ea adhuc die festinatis itineribus urbem *Nangan*, quæ decima tertia Metropolis octavæ regionis K*iangsi*, attigimus.

Octava Provincia Imperii Sinici *Kiangsi* ad Ortum clauditur à *Chekiang*, ad Notapeliotem à *Fokien*: ad Austrum *Quantung* extrema attingit, Occiduam partem *Huquang*, Borealem *Nanking* sive K*iangnan* ambit. Australe latus montes altissimi K*iangsi*, *Quantung* & *Fokien* coëunt, in quibus feri incolæ ex præda viventes, & nulli obnoxii: Metallorum auri, argenti, plumbi, stanni, ferri ferax; undique in orbem montibus cincta, & crebris irrigua fluminibus. Piscium, hominumque imprimis copiosa, quorum multitudinem vix regio fert. Unde ob fæcunditatem *Mures* tota Sina vocantur. Et quia tantam hominum progeniem terra alere non potest, tota Sina despecti vilibus opificiis, sartoriæ, sutoriæ, alicubi incumbunt, & sortilegia per Magicas artes exercent. Ingenio subtili, & doctrinarum omnium capax ad summas dignitates emergunt. Transmigrationem animarum credunt. Unde mortale apud eos peccatum, viva animalia trucidare, vel occisum comedere. Metropoles sunt tredecim, urbes sexaginta septem. Regionem mediam fluvius *Can* à Borea in Austrum secat, undique aquis irriguam: unde tota passim navigabilis.

NANCHANG prima Provinciæ Metropolis, jacet ad Australe initium magni lacus *Poyang* in insula, quam flumen *Can* efficit, quod urbis Occasum præterlabitur. Notapeliotem civitatis claudit lacus *Tung*, ab optimis piscibus, & limpidissima aqua commendatus. Septem Oppidis imperat, *Nanchang, Fungching, Cinhien, Fungsin, Cinggan, Ning*.

JAOCHEU secunda Provinciæ Metropolis, in Boreali ripa *Po* fluvii pulchro aspectu amæna jacet & versus Orientem Solem monte *Macie*, ex laudatissimis ordine quinquagesimo secundo, clauditur: Lacu supra dicto *Poyang* sive *Pengli* ejus territorium subintrante. Septem moderatur urbes, *Jaocheu, Yukan, Loping, Feuleang, Tehing, Gangin*, & *Vannien*.

QUANGSIN tertia Provinciæ Metropolis, densa altissimorum montium, ê quibus *Ling* præcipuus, serie in orbem cingitur, ex quibus ad Ortum urbis *Xangiao* fluvius scaturit, qui Borealem hujus Metropolis partem præterfluit. Sub se habet civitates septem, *Quangsin, Joxan, Jeyang, Queiki, Jenxan, Jungfung*, & *Hinggan*.

NANGKANG quarta Provinciæ Metropolis, cujus Barrolybicum mons *Quangliu*, anachoretarum copia illustris; Occasum fons *Lien*, cujus scaturigo eleganti spectaculo argenteos colores intuentium oculis lapsu suo offert; Notapeliotem ripa lacus *Poyang* Occidentalis respicit, qui mediam regionem intersecat. Quatuor regit urbes, *Nangkang, Tuchang, Kienchang*, & *Gany*.

KIEUKIANG quinta Provinciæ Metropolis, cujus mœnia Australis fluvii *Kiang* ora alluit in ipso lacus *Poyang* ostio, hinc qua Boream, & Or-


NANGAN.
31.

& Ortum ſpectat, univerſa ab aquis circumcingitur; quamvis centum & plus leucis â mari diſtet, incredibilis equidem navium copia hic aſſidue reperitur, urbis Notapeliotem mons, qui inſulam in dicto lacu efficit, & Auſtrum mons *Quangliu* claudunt. Civitatibus quinque jura dat, *Kieukiang*, *Tegan*, *Xuichang*, *Hukeu*, & *Pengce.*

KIENCHANG ſexta Provinciæ Metropolis intra mænia lacum *Kinquei* concludit; Lacus vero *Kiao* extra eadem ſpatioſus excurrit, aquarum commoda per canales urbi communicante. Urbis Occaſum mons *Macu* claudit. Cætera fertilis & amæna Regio eſt, præclaro oryzæ potu cum vinis Europæis certans. Quinque regit civitates, *Kienchang*, *Sinching*, *Nanfung*, *Quanchang*, *Luki.*

VUCHEU ſeptima Provinciæ Metropolis, cujus Barrolybicum amnis *Lienſan* præterfluit; ejus aqua à Sinis pro Clypſedris, utpote aëris mutationibus mimis obnoxia, præ reliquis expetitur; qua Orientem ſpectat, monte *Yangkiu* munitur, qui humanâ ſtatuâ, pro varia aëris temperie varios induente colores, celebris eſt; ex qnibus accolæ Jovem ſerenum, vel pluvium prædicunt: inter *Fokien* & *Quantung* extrema jacet. Sex civitates territorio includit, *Vucheu*, *Cunggin*, *Kinki*, *Yhoang*, *Logan*, *Tunghiang.*

LINKIANG octava Provinciæ Metropolis, inſulam *Pehoa* intra parietes complectitur, ſed extra urbem prope mænia inſula *Kiafung* in fluvio *Can*, in cujus Boreali ripa rectà ad Occaſum præcedentis urbs amœno exſurgit ſitu. Boream ejus mons *Comao* claudit, in quo rariora quædam à Sinis obſervata ſunt, ex quibus feliciſſima ſomniant. Quatuor civitatibus jura dat. *Linkiang*, *Sinkin*, *Sinijn*, & *Hiakiang.*

KIEGAN nona Provinciæ Metropolis, in Occidentali fluminis *Can* ripa jacet, ubi *Xepatan* infames ſcopuli initium habent novem civitates juriſdictione ſua complectitur. *Kiegan*, *Taiho*, *Kiexui*, *Jungfung*, *Ganfo*, *Lungciven*, *Vangan*, *Jungſin*, *Jungning.*

XUICHEU decima Provinciæ Metropolis, voce *Xui* ab aëris clementia & agrorum fertilitate fortunata dicitur: ad Barrolybicum urbis antecedentis amni *Hoyang* vicina jacet, ortum claudit mons *Tayn.* Tres numerat civitates *Xuicheu*, *Xangcao*, *Sinchang.*

JUENCHEU undecima Provinciæ Metropolis Provinciæ, *Huquang* finitima, cujus Ortum lacus *Tung* reſpicit; Lacus *Mingyo* pro foſsâ urbi eſt, & intra ipſam per plateas ubique navium patiens. Quatuor ſub ſe civitates habet, *Juencheu*, *Fueny*, *Pinghiang*, & *Vançai.*

CANCHEU duodecima Provinciæ Metropolis ad duorum fluminum *Chang* & *Can* confluentes jacet, qui ad partem mæniorum Borealem diffuſi lacum efformant. Orientalis urbis pars monte *Tiencho* cingitur, in quo noctu lux veluti carbonum accenſorum ſcintillat. Duodecim regit civita-

tes, *Cancheu, Utu, Sinfung, Hingque, Hoeichang, Ganynen, Ningtu, Xuikin, Lungnan, Xeching, Changning,* & *Tingnan.*

NANGAN decima tertia Provinciæ Metropolis, ſed maxime, Auſtralis, cujus mænia fluvius *Chang* radit, unde emporium frequentiſſimum, ad Occaſum mons *Sihoa* eſt, id eſt, flos Occidentalis. Quatuor moderatur urbes, *Nangan, Nangkang, Nangyen,* & *Cungy.*

Rationum publicarum liber numerat ter decies centum, ſexaginta tria millia, ſexcentas viginti novem familias 1363629. Virorum militarium ſexagies & quinquagies centum quadraginta novem millia octingentos 6549800.

Præter vectigalia & telonia pro tributo annuatim ſolvit decies & ſexies centum, & ſedecim millia, & ſexcentos 1616600 oryzæ ſaccos. Serici crudi octies mille ducenta & triginta 8230. Confecti undecies mille, quingenta & ſedecim volumina 11516.

Legati ſalutantur à Magiſtratu.

Mox aderat à Magiſtratu, qui Legatos ſolenni reverentia ſalutaret, miniſter publicus, à quo in palatium mœnibus contiguum deducti, Præfectum cum præcipuis civium, qui ſalute mutuâ adventum gratularentur, inviſentes habuere, & poſt mutuam interlocutionem, veſperi contenti diſceſſerunt, miſſis Procerum impenſis ad cœnam lautiis. Duo Tartarorum magnates, recens *Pekinga* advecti, poſtea advenerunt, qui ſolennibus peractis, Ablegatos ſe à *Magno Chamo* ad Proreges *Kantonenſes* referebant, qui ob victoriam præterito anno in *Quangſi* de Sinenſibus obtentam, tredecim Elephantes, monumentum ejus victoriæ, *Pekingam* ab iis miſſos, honoribus, doniſque eorum fidem, felicitatemque remunerarentur: Magna illi voluptate Legatorum ſplendidam conditionem, doteſque eximias intuebantur, quod ab extremis mundi finibus ad Imperatorem contenderent, nec ſatis prædicare poterant, *quanto deſiderio, affectuque eos* Magnus Chamus *præſtolaretur.* Crebræ inde Magnatum viſitationes. Ægre navigia accelerando itineri per fluvium *Chang Nankingum* verſus, ibi obtenta, quod *Pinxentoum* Mandarinum adeo commovit, ut acerbe in illum, cui hæc demandata fuerat cura, inveheretur, qui impatiens animi cultro ſe confixurus erat, niſi famuli *Pinxentoi* furioſas ejus manus detinuiſſent.

Nangan dives.

Urbs *Nangan* extrema verſus auſtrum Provinciæ *Kiangſi* in planitie fertiliſſima ſita, altis undique montibus cingitur, quorum qui maximus *Sihoa* ob amœnitatem dicitur, quod Sinis *Florem Zephyri* ſignificat. Fluvius *Chang*, cujus in *Huquang* fontes, urbem, quâ notolybicum ſpectat, in duas partes, auſtralem, & boream ſecat, unde frequentiſſima vicinorum ibi commercia beneficio fluminis, terrarumque, imprimis ex Provincia *Quantung*, & verſus urbem *Nanhung* per montana *Muilin*, bajulis tum operam ſuam præſtantibus. Auſtralior urbis pars, denſis conſtructa ædibus, multitudine hominum, merciumque abundat. In ſeptentrionali parte Pagoda magnificentiſſimæ ſtructuræ monti acclivi

eo



eo artificio impoſitus, ut Dædaleum opus videatur. Non tamen hæc urbs *Nangan* cum *Nanhung* magnitudine, aut firmitate munitionum conferri poteſt, quanquam à Tartaris non adeo vaſtata fuerit, & vix ulla jam illius tempeſtatis Scythicæ veſtigia ſuperſint.

Poſtquam *Henricus Baron* cum Mandarino *Pinxentou* & reſiduo comitatu per *Nanhungicos* montes *Nanganam* appuliſſent, quatuor dierum morâ hic ſumtâ, iter denuo decima tertia navigiis ingreſſi ſumus. Legati ſinguli ſingulas Jonckas tenebant. Hactenus *Kantona Nanhungum* uſque adverſo flumine difficillimo labore, & ingenti vitæ, navium, opumque jactura ab Helcyariis protracti, magnas ſæpe moleſtias ſenſeramus; at verò nunc ſecundo flumine, quanquam non omnino periculorum expertes delabebamur. Tanta ibi fluminis *Kan* celeritas, ut ſagittæ inſtar non fluere, ſed volare videatur, & quia cæcis paſſim arenis, ſyrtibuſque ſcatet, navis Legati *Jacobi de Keyſer* una cum muneribus, *Magno Chamo* deſtinatis, vorticibus circumacta, tandemque arenis impacta, tam lato vulnere dehiſcuit, ut ſubmerſioni proxima fuerit. Igitur ſumma celeritate exoneratam, ripæque attractam reparavimus, multum Mandarinis indignantibus, quod nautarum officia defuiſſe crederent, & in nonnullos ſcutica graviter animadvertebant, deprecantibus pro gubernatore, homine jam ſexagenario, eaque calamitate indigno, Legatis.

(Legati diſcedunt *Nangan.*)

(Navis *Jacobi de Keyſer* arenis allidit.)

Decima quarta Aprilis ſecundam parvam urbem NANKANG prætervecti ſumus, quæ ſiniſtræ fluminis *Chang* ripæ, quadrata forma, muris quinque & viginti pedum altitudine, quatuorque portis, quadrante

(10. April appellunt NANGKANG.)

te horæ à se invicem remotis, sed magna parte obstructis adjacet. Sed & eam Tartaricus furor exitio dedit, quod rudera testantur. Tribus trianguli forma, si situm erga se mutuum procul spectes, insignis turribus est. Reduces ad portam Australem, quam Sinæ *Nammon* vocat, appulimus, unde recta platea ædes Præfecti adeuntur, in cujus extremitate Arcus Triumphalis, quem Tartari intactum reliquerunt, & forum conspiciuntur, in quo quotidie ingens alimentorum copia prostat.

15. April *Kancheu*

Decima quinta KANCHEU, quæ duodecima Metropolis *Kiangsi*, appulimus, ibi pernoctatum. Altera die Mandarini, quanquam cœlo pluvio, in navibus nostris ad nos honoris ergo inviserunt. Mox Legati ad magnum *Tutangum* solenniter se contulerunt, humanissime excepti, & cum ad lævam ejus consedissent, varia inquisivit *quis Hollandiæ situs, quot Provinciæ ejus, quanta à Lusitaniæ regno distantia, de initiis ejus, duratione que, & an idem Hollandis, qui apud Lusitanos, Numinis cultus.* Ex interrogatis facile apparebat, intimam huic *Tutango* cum Lusitanis familiaritatem; ejusque uxor baptismum suscepisse dicebatur. Delectabant eum tubicinis nostri taratantaræ, quæ tota aula, dum *The* potabatur, resonabant, armaque nostra curiose inspectabat. Munera ei offerre Legatis animus erat, quod Provinciis *Kiangsi, Fokien, Huquang* & *Quantung* non *Tutangi* modo, verum etiam *Lonconquangnui* titulo præesset, & naves Batavicæ, dum *Japoniam*, aut *Taiwanam* petunt, sæpius aquæ defectu *Fokien* appellere coguntur: sed *Tutangus*, quanquam aliquoties instarent Legati, vehementer negavit, *licitum Tartarorum Legibus munera ab exteris, antequam Imperatorem salutassent, accipere. Neque se Sinensi uti simulatione, verum ut consuetudini patriæ satis fieret, sibi nihilominus omnia humanitatis officia, ubi* Pekinga *redierint, commendata fore.* Neque impetrari, quanquam denuo per interpretem instarent, ut quicquam acciperet, potuit. Interea fulmina imbribus mixta, è cœlo ruere, ut toto corpore madidi in naves nostras reverteremur.

Legati *Tutang* titulo *Louconquangnui* exornatum, salutant.

Kancheu opibus, fortunaque ex primariis *Kiangsi* urbibus, imperium in duodecim oppida exercet. Centum quinquaginta *Ly Nankango* distat, ripæ fluvii *Kan*, ubi *Changa* se miscet, imposita. Tanta ibi duorum concurrentium fluviorum amplitudo, ut mare videantur. Mediam inde *Kiangsi* permeant, & ubi *Nanchangam* superarunt, palude *Poyang* hauriuntur. K*an* fontes suos apud oppidum *Xuikin* habet: inde Boream versus *Cancheu* Metropolin alluit pariter, & à se denominat. Urbs situ, ut *Nankang*, eodem, quadrata forma, altis mœnibus, duarum circuitu horarum. Mœnia crebris pervia foraminibus, quæ valvis clausa rugientis Leonis faciem, velut terrori, præferunt. Singula latera unam portam à mundi, quam respiciunt, plaga denominatam, habent. Occidua *Symon* eorum lingua appellatur, ad quam pernoctavimus.

Ad portam adscensus latis ex saxo gradibus per duos fornices, quos inter tormentum ferreum, datur. Plateæ pulchræ lato silice stratæ. Turris ad



6.



ad Orientem alta novem contignationes, qua conscensa prospectus late per campos, flumenque pulcherrimus. Ædes ordine decoro, & magnificæ; sed reliquas Præfecti palatium superabat.

Inter Pagodas una cæteris eminentior *Kuil Kiasti Miao* Sinis dicitur, PAGODIA
quod *Templum* Kuil Kiasti (ita Idolum appellant) designat. Inferior Si- *Muil Kingi.*
nus templi pars diversorii, multis hinc inde lectulis, faciem referebat, non in usum modo sacrificulorum, verum quia Sinæ in illis, dum peregrinantur, hospitari solent. Duo in vestibulo PAGODI ex gypso gigantes, quorum unus Herculis instar serpentem vibrabat, alter pumilionem terribili vultu, ense nudo, pedibus premens se trucidaturum minari videbatur; tanta Sinensium trepidatione, ut ægre, nec nisi toto corpore trementes, conspectum eorum ferant. Sunt & duæ aliæ, sed minores ejusmodi statuæ.

Vix orta luce alium in dextra fluminis ripa Pagodum invisere animus erat. Declivi adsitus monti, in quem latis à flumine gradibus adscenditur. Haud procul inde fanum. Huc sacrificia sua, & preces deferunt Sinæ, qui fluvium *Can* navigant, periculo, quod à cæcis sub undâ latentibus arenis, rupibusque imminet, ut credunt, evitando. Quod si vi fluminis aut alio casu, infortunium navigantibus accidat, tum sibi, non Idolo culpam imputant, quod negligentius eum precibus suis, donisque coluerint. Ubi *Chan* & *Can* confluant, longissimus centum & triginta incumbens navibus
concatenatis pons, & in eo telonium, jacet. Naves ita connectuntur, ut so- 130. Superstructus.
luto vectigali, facile dissolvi, ac liberum dare navigantibus transitum possint.

Decima octava ruinas urbis VANNUNGAM, quæ & *Vangan* 18. April
prætervecti, secundo flumine fuimus, ducentis *Ly* Kancheno distat, in dextra *Vannungan.*
fluminis



fluminis *Can* ripa adſita, in regione fertili atque amæna, funditus à Tartaro diruta, miſerabile ſpectaculum præternavigantibus, jacet. Non tam magnitudine, & ornatu, quam privilegiis olim inter novem, quæ Metropoli K*iegan* ſubſunt oppida, quanquam ſeptimum locum obtineret, ſuper reliqua emicuit, agro tam frugifero, ut duplici meſſe annua colonum ditaret. Dimidio ab urbe lapide dives argenti mons eſt, ſed legibus Sinenſium foſſoribus intactus. Procul inde Orientem verſus mons *Chao* caput inter nubila condit, totus uſque ad verticem arboribus, plantiſque conſitus, quod jucundum oculis delectamentum præbebat. Haud longe ſpatio quingentorum paſſuum ſextum oppidum *Lingiven* jacet, quam ad Auſtrum brachium *Cani* alluit.

Sparſæ omnibus locis ruderum confractæ moles, quanta ibi ædificia ſteterint, confuſa ſtrage oſtendunt. Olim portæ triumphales; nunc cinis, & ſaxa miſerabilem deſtructionem, quam Tartari fecerunt, indigitant. Tritæ hominum denſis veſtigiis viæ, nunc obſitæ vepretis, & ferarum latibulis commeantibus ſemitam vel eripiunt, vel perturbant.

PEKKINZAM adveniunt. Cadavere tam lamentabilis urbis non abſque gemitu relicto, ſecundi fluminis agmine pagum celeberrimum PEKKINSA præternavigavimus. Is & frequentia incolarum, & opibus, civitatis inſtar videtur. Nautæ hic officinam ſuam habent, funium, antennarumque, & quæ præterea uſui eorum inſerviunt, copiam ſibi, dum tranſeunt, ære comparantes. Antequam

Rupes arte factæ. propius adveneris, procul rupes arte, ingenioque cum natura certant, quæ omnia jam furore Tartarico deſtructa, non niſi lamentabilem barbariei Scythicæ faciem præbent. Creditur non alio fini adeo in naturam, artemque


VANNVNGAM .
19.



temque eos sæviisse, ut majoribus civitatibus venerationem, ac decus comparatione pessima acquirerent. Nam *Pekinga*, Imperatoria sede, cuncta intacta, inviolataque reliquerunt, soli accessa fere, conspiciendaque *Chamicæ* Majestati, ejusque illustribus Proceribus.

Inter has ruinas una omnium præcellentior quadraginta altitudine pedum caput adhuc inviolatum magna parte ostentat. Duabus quasi fornicibus artificium hoc ruposum distinguitur, in quas quatuor pedum latitudine scalis conscenditur. Octavum mundi miraculum dixeris, cum materies ejus, nonnisi limus, pulvisque sint, tanto coagmentata artificio, ut stuporem spectantibus Naturæ æmulum opus extorqueat. Dignum in aula *Magni Chami* monumentum videbatur, quod penicillo accuratiori expressum oculis legentium spectandum objiceretur. Dædala ejusmodi opera Sinensi manu confecta imprimis *Pekingæ* superbiunt. Et quanquam *Pekingæ* eas artifici manu constructas moles ipse non viderim, invidia quorundam prohibitus, fida tamen relatione multorum intellexi, esse in Sina ejusmodi rupes multis instructas cubiculis, interfluentibus passim suavi murmure fluviolis, arboribusque grata hinc inde viriditate oculis abblandientibus. *Magnus Cham* iis temperando Solis æstui, spiritibusque refocillandis utitur, in eumque finem constructæ perhibentur. Præ mirando artificio Naturæ æmulo Musa obstupefacta in hos rapitur versus:

Lustra oculis, spectator, opus, rupemque pererra,
Quam dedit in Sinis, *artificiosa manus.*
Dextra Praxiteles, Polycleti industria solers,
Et Natura parens hic coière simul.



18. April TAIKO appellunt. *Pekkinsâ* jam declinante in noctem die TAIKO vel *Taiha* attigimus. Secundum illud oppidum est. Civitatis nonæ *Kiegan*, centum *Ly Vannunga* distans, ad sinistræ ripæ fluvii *Can* adsitum. Orta luce mœnia ejus altitudine pariter ac mole spectabilia se ostentabant. Ager fertilis, & varietate frugum amœnus: Sed & hanc urbem Tartari pristino spoliatam decore monumentum suæ immanitatis fecerunt. Plateæ silicibus eleganter stratæ, sed angustiores. Versus Boream lapideo ponti uni nixæ fornici conjungitur. Supersunt post nuperam desolationem magnifica hinc inde ædificia, magnam partem cultoribus vacua, & spelunca ferarum, aviumque nidi. Duæ olim ibi turres, quarum una etiamnum superstes depicta conspicitur, altera fulmine tacta corruit. Eminent hinc inde moles templorum excelsæ. Mandarinus quidam ad nos invisens, qui duo equitum millia nuper Proregi *Kantonensi*, *Pekingâ* adduxerat, nobis retulit, *Chamum* magnopere in regia sua *Peking* adventum Hollandorum exoptare.

19. April *Kinnungam* appropinquant. Decima nona urbem KINNUNGAM, quæ aliis *Kiegan*, nona ex civitatibus *Kingsi*, & nonaginta *Ly Taykona* distans, pervenimus. Ad Occidentalem *Kani* ripam, ubi naufraga saxa *Xepatan* initium sumunt, sita. Ambitus ejus sesqui horæ spatium complectitur, mœnibus adeo validis, ut sæpius Tartaricam vim, quanquam irrito exitu, repulerit. Intus omnia ruderum, fragmentisque ædificiorum horrida, inter quas multa adhuc prisca monu-

Urbs olim splendida ædificiis. menta antiquam loquantur magnificentiam. Templa passim, & *Pagodæ* ad lævam in insula, præcipuo cultu unus paucis ante annis recens structus, multisque statuis exornatus. Solum inæquali situ, montibus collibusque passim editior, ubi divites metallorum venas terra sinu suo abscondit, sed

quas


KINNUNGAM.



quas aperire non eſt liberum, prohibentibus ſtatutis, cum cuilibet liceat aurum, argentumque ex fluviorum ripis eruere. Ager undique irriguus, atque hinc illa fertilitas, cæteris locis rara, quæ caloribus nimiis, aut rigore exuruntur. Altiſſimus mons *Nucung* ambitu octingentorum ſtadiorum apud *Ganto*, quæ quinta ex oppidis, verticem tollit. Mons *Nucung*.

Quanquam pleraque Sinæ flumina navigantibus ob cæca vadorum, rupeſque ſub undis latentes periculoſa ſint, magnamque circumſpectionem requirant, nuſpiam tamen majus periculum, quam apud *Kinnungam*, ubi ſcopuli *Xepatan* fluvii *Can*, qui occiduam civitatis partem alluit, celerrimo curſu abſconduntur. Octodecim talia naufraga loca numerantur, unde & loco *Xepatan*, quod octodecim cataractas ſignificat, nomen. Periti talium Syrtium nauigantibus pretio inſerviunt. Periculoſæ rupes circa *Kiegan*.

Tattari hanc urbem tanta diruerunt immanitate, ut, quod incolæ pariter, ac circumvicini narrabant, ſimile exemplum immanitatis vix alibi tota Sina reperiatur. Nam, præterquam quod ædificia ſolotenus deſtruxerunt, & cædibus in omnem promiſcue ſexum, quæ communia huic urbi cum aliis innumeris mala fuerunt, non modo multam virorum copiam in æternam redegerunt ſervitutem, verum etiam virginum multa millia funibus colligatas, boum inſtar, *Pekingam* verſus abegerunt, & lenonibus impuriſſimis vili pretio proſtituerunt. Virgines à Tartaris proſtituuntur.

Eadem adhuc die quartum nonæ civitatis *Kiegan* oppidum KIEXUI ad dextram *Cani* ripam ſitum, ambitu ſeſquihoræ triangula figura prætervecti ſumus. Ager undique jucundus aſpectu, montium valliumque pulchra ſerie, portæ urbi quatuor ferreis munita valvis. In longitudine ſecus Tranſvehuntur KIEXUI.

 ripam



ripam fluminis ſeptingentos paſſus extenditur, mœnia quindecim pedes alta. Pagoda unico, cujus ſplendorem longus dies abſumſerat, tribuſque portis triumphalibus in honorem Mandarinorum, qui de patriâ optime demeriti fuerant exſtructis, ſuperbit.

KYA-KYAM adveniunt.

Vigeſima Aprilis quartum octavæ civitatis *Linkiang* Oppidum KYAKYA alias *Hiakya* attigimus, octoginta *Ly* diſſitum *Kiexujo*, ad radices montium, qui *Honanam* verſus cacumina ſua protendunt. Situs ejus ad Boream *Cani* & ripam, cujus aquæ variis per urbem foſſis deducuntur, & major pars oppidi fluvio alluitur. Crebra ibi præternavigatio, quotquot flumine *Can* deſcendunt. Hæc urbs ipſiſſima montium radicem attingit, ut iidem oppido immineant, quorum magna pars intra mæniorum ambitum eorum vicem potiſſimum ſupplet, qui, in fertiles & fæcundos diſtincti agros, incolis uberrimam meſſem ſuppeditant. Hic mira Sinarum in deligendis & notandis montibus tam ſpecioſa ratione, quam ullibi, viget, in quâ ad veſaniam uſque delirant, in montibus enim proſperam eorum fortunam conſiſtere autumant, ob Draconis, quem primæ felicitatis auctorem ſomniant, domicilium: unde pro ſepulchris extruendis montis figuras diligenter examinant, venas omnes ac viſcera ſcrutantur, nec ſumptibus, nec laboribus parcunt, ut fortunatam conſequantur terram, caput videlicet, vel caudam, vel cor Draconis: nam inde pro ſepulti poſteris proſpera omnia ex voto fluxura ſibi firmiter perſuadent. Ne error in hac diſquiſitione committatur, multi hanc artem profitentur, qui per totam extremam hanc Aſiam vagabundi montium figuras, venaſque obſervant, non aliter atque Aſtrologi ſiderum conjunctiones, & aſpectus, & Chiromantici manuum



manuum, ac Physiognomi totius corporis habitum & lineamenta. Pagoda ibi prisca Majorum superstitione sacer. Plateæ silicibus stratæ montes versus excurrunt. Duæ supersunt triumphales portæ ex saxo leucophæo inviolatæ hactenus. Cætera Tartaricus furor consumsit, & latronum, à quibus tertium direpta, impetus. Tam rari ibi incolæ, ut tot helcyarios reperiri negaret Præfectus, quibus classicula nostra opus haberet.

Proximum ejusdem diei diverticulum SINKIN fuit, secundum octavæ civitatis *Linkiang* oppidum, sexaginta *Ly Hiakianga* distans, ripæ *Cani* dextræ adjacens, eodem fere montium *Josu*, (qui ex nominatis ordine decimus septimus, altissimus adeo, ut nubibus caput inferat, sylvarum attamen nemore in summo cacumine, camporumque jucunditate intuentium oculos toto ambitu mire recreans) & *Mung*, colliumque amœno, ut cætera, ambitu. Parum inter *Sinkin*, & *Hiakiang* differentiæ, sive ambitum spectes, sive situm, nisi quod illa collibus interior & plana, hæc monti juxtim adjacet. Porta fluvii proxima, & mæniis intermedia arte Sinica insignis. Cætera oppidi humilia, & haud contendenda *Hiakingæ*: Nox nobis apud Pagodam in sinistra ripa transacta, Præfecto, quanquam tempestuoso aëre, Legatos salutante, lautiisque honorante. Urbem SINKIN proximant.

Vigesima secunda Aprilis, prima luce profecti, circa meridiem oppidum FUNGCHING, secundum civitatis *Nanchang* oppidum sexaginta *Ly Sinkina* distans, appulimus. Situ, ut cætera Sinensium oppida, quadrato, ambitu horam æquat, vel superat. Boreo lateri suburbium multo refertum populo, splendidisque ædificiis; duo hic arcus triumphales, monumentum pristinæ fortunæ: Imminet ei mons *Pechang*, ex quo aqua centum FUNGCHING veniunt.

Montes *Pechang & Xifung.* centum altitudine perficarum ingenti, ut ad Catadupas, fragore decidit; unde *Pechang* loco nomen, quod *centum perticas* significat. Proximus inde, & alius mons *Xifung*, quem ejus regionis trigesimum nonum Sinensis Geographus *Taosu* recenset.

23. April *Nanchang* appellunt. Vigesimâ tertiâ Aprilis prima Metropolis NANCHANG, quæ & *Kiangsi* nomine totius Provinciæ appellatur, conspecta fuit. Jactis ancoris, mox à Magistratu quatuor splendido ornatu navigia, devehendis in urbem Legatis, quod ob fluminis scopulosa vada majoribus adiri nequeat, advenerunt. Mandarinus *Pinxentou* duo sibi potiora servans, offensam Legatorum incurrit; sed magistratu ipso Legatos excipiente, navim unam *Pixentous* reddere jussus fuit, quam Legati conscenderunt. Sequenti die

Petrus de Goyer adit *Tutang.* Legatus *Petrus de Goyer*, (*Jacobo de Keyser* invaletudine detento) cum Secretario *Henrico Baron Tutangum* inviserunt, excepti ab eo humanissime, sed Interpretibus admodum irascebatur, quod Legatos per longinquissima terrarum *Magno Chamo* gratulaturos non majori excepissent apparatu, (pedes enim accesserant) neque mitior erga Mandarinos *Kantonicos*, eos *rudes asinos* appellabat. Remeantibus equi præbiti, & ter explosis tormentis, quam gratus eorum adventus esset, testabantur. Legati *Tutango* munera quidem offerebant, sed is easdem, qua alii excusatione usus, leges Sinæ, quibus prohiberetur, prætendit.

Litus *Nanchang.* *Nanchang* viginti *Ly Funchinga* distans, radici ingentis paludis *Poyang* versus Austrum adjacet, cujus aquis circumcirca alluitur, unde speciem insulæ præbet: Ambitus quadrata forma sexaginta sex *Lyas*, quarum vix viginti muro cinguntur, complectitur. Septem portæ, sed quatuor eminent, quarum quæ suburbium versus *Quarul* vocatur, navium nostrarum statio fuit. Quatuor hic Pagodæ, una & præcipua à ferrea columna *Thisiking* nomine, virore micantibus contecta imbricibus, & tribus

Idolum *Kouja.* divisa partibus. Primo vestibulo Idolum *Kouja* minoribus cinctum, quorum singula staturam humanam altero tantum æquant, *Kouja* velut præses templi, & defensor sublimi throno, purpureo humeros amictus pallio, in longa pertica duobus se Draconibus horribiliter spiras suas circumvolventibus, minantibusque, considet. Secunda templi pars, duæ latæ scalæ sibi mutuo opponuntur. Ambulacra circum ampla, lataque, imaginibus undique consita. Eadem tertii templi, nec multum varians conditio. In aditu primi templi ad dextram puteus, duodecim ambitu quadrato pas-

Mirabilis puteus. suum, ex vivo saxo, aqua ad marginem scatens. Miræ incolarum, de *Kouja*, ejusque puteo fabulæ: *Ut pauperum beneficus altor fuerit, & opum ex Alchymia* quippe verum argentum ab eo ex ignobilibus confectum metallis credunt) *in egenos largus; ab eo Draconem urbi interitum minantem, terra obrutum, & ferræ alligatum columnæ, in hunc puteum præcipitasse; unde tanquam publicæ salutis autor, & cœlo cum familia vivus receptus fuerit, & à posteris condito hoc templo divinis honoribus colatur.* Multa, & alia vana, incre-

dibilia

dibilia jactant, eoque minus mirum prodigiosiora à *Fernando Mendez Pinto* de domo fumigante memorari. Cætera, quæ olim conspicua, bello nupero perierunt, Turris in novem elata contignationes superat. Ager undique cultus, nuspiam sterili gleba relicta; ut vix spatium pecori, & armentis supersit: porci tamen numerosi intus extusque civitates aluntur, eaque in ipsa civitate copia, ut platearum fere usum commeantibus eripiant, promtis ad excrementa eorum tollenda, Sinis agro stercorando, unde nullæ per plateas sordes.

Multa & alia sæva urbi accidere, ab ultimo bello funditus corruit, hac occasione *Kinus Leaotungâ*, quo Tartariæ ad murum proxima, oriundus, celebri inter Tartaros militiæ fama, à Chamo Provinciæ *Kiangsi* ob fidem meritaque Præfectus, ab eo ad Sinensem Imperatorem *Junglieum* defecit ob clandestinum Collegæ suæ odium (duo enim semper uni Provinciæ præsunt unus civilia, alter criminalia administrans.) Cum enim in convivio quodam Comœdiam spectarent, quæ Sinico habitu agebatur, *Kinus* ad socium: *annon*, inquiebat, *hic habitus Tartarico longe melior, & gravior videtur?* Alter per verba, tanquam Majestatem lædentia propere Imperatori Tartaro significavit, sed literis à Kino interceptis armata manu in palatio suo oppressus & interfectus fuit. Tartarus gliscentem exstincturus rebellionem, varios contra eum Duces ablegat, victore passim *Kino*, & Australium partium Præfecto in fugam pulso. Ejus exemplum secutus *Likungzus*, sive *Libusus Quantungæ* Dux; quem urbis *Cancheu*, quæ sola Tartaris in *Quangsi* fida manserat, Præfectus simulata defectione circumvenit. Nam literis ad *Libusum* scriptis, urbem se illi traditurum promisit. Interea vero clam ex *Fokien* Tartarica auxilia noctu immisit. *Libusus* cum Sinis, nihil mali suspectans per patentes portas urbem ingressus, mox undique se Tartarorum copiis circumventum vidit, & plurinus suorum amissis, ipse inter cæsos (nuspiam enim imposterum apparuit) periisse creditur. Hac clade *Jungliei* res haud parvum detrimentum acceperunt, quanquam Kinus aliquamdiu feliciter bellum continuaret, & Tartaros multis præliis profligaret. Obsessa inde *Kancheu*, quam *Kinus* adventu Tartari audito deseruit Boream versus contendens, Tartarica se tempestate erepturus, Tartaris numero, & robore prævalentibus *Nanchangum* fugit *Kinus* ejus civitatis se defensurus viribus.

Miserrima urbis strages.

Kinus à Tartaris deficit.

Tartari, quanquam validissimo instructi exercitu, non tamen ausi tantæ urbis oppugnationem, fame eam urgebant. Fossa undique urbs ab iis valloque circumdata; fluvium navibus claudebant. Densæ intus cum *Kino* copiæ, & quanquam copiosus commeatus, tempore imminuebatur; unde fames, & desperatio, dum frustra *Junglieus* expectatur. Kinus extrema ausurus ad socios; *Una*, inquit, *armis spes; age, Tartaros animoso perrumpamur*. Præcipuum à lata illa fossa impedimentum, quam utcunque repugnarent Tartari, Kinus perrupit, & majori suorum parte amissa vivus evasit.

Tartari *Nanchang* fame urgent.

Kinus Tartarorum castra perrumpit.



evaſit. Inde vacuam Tartari urbem ingreſſi, cuncta ferro, igne cædunt, diruunt, vaſtant. Quadraginta millia periiſſe civium feruntur. Ita enim Tartaris receptum, qui ſponte deditionem faciunt, incolumes præſtare, vi expugnatos internecione delere.

25. April pagum UCIENJEN. Vigeſimâ quintâ Aprilis vicus in conſpectu, UCIENJEN. Magna ibi navium omnis generis copia, quæ ex omni Sina eo ob Porcellana vaſa confluunt. Situs ad mare *Poyang* ad lævam *Cani* ripam, longitudine unius horæ. Magna ibi commercia, & ædes ſatis ſplendidæ.

Ritus ſacrificii. Ad dextram mons inſigni Pagodo celebris, intus ſtatuis ab utroque latere ornatus. Lampades undique ardentes continuis interdiu, noctuque luminibus. Qui lacum *Poyang* trajiciunt Tartari, Sinæque ſacra Idolo faciunt, ut iter proſperet. Ritus ſacrificii, ut ipſe vidi, talis. Plebs gallinam, ditiores porcum, Idolo horrendum ſpectanti, jugulant, calido per ungulas idoli (nam manibus, pedibuſque ungulatis Gryphionum inſtar conſpicitur) ſanguine promanante; ita Idolum totum cruore fœdum aſpectu, & abominabile. Ungulas porci, gallinarumque criſtas eidem ſacrant; reliqua ſacrificantibus in cibum cedunt. Longa hunc vicum, parique latitudine permeat platea, mercatorum officinis utroque latere conſita, ſed præcipuum ex Porcellanis lucrum, quæ immenſa hic copia parantur. Gratum Legatis ſpectaculum videre artifices, & raro opere fictili in reditum ſuum parato inſtrui, ſed tantus ibi hominum concurſus, ut aditu cadurca excluderentur, & officinas ingredi præter dignitatem viſum.

Optimum Porcellanæ genus conficitur In *Sinkteſimo*. Referunt incolæ id, quod mirum nobis auditu fuit, *Porcellana toto regno nuſpiam melius, quam in quodam pago* Sinkteſimo *fieri, quadringentos fere*

ortum



3.

Ortum versus, Ly apud quartum oppidum Feuleang, *secundæ civitatis* Joacheu. *Neque vero terram, unde confiant, ex* Kiangsi *Provincia, verum ex Metropoli* Hoeicheu Nankingæ *peti: & quanquam ibi illius terræ uber proventus, incolas tamen ejus conficiendæ rationem ignorare, causa à solo aquæ temperamento petita.* Operæ pretium videtur, quæ ab indigenis pagi *Ucienjen* ipse de Porcellanis intellexi, obiter commemorare.

Terra ex montibus *Hoeicheu* Provinciæ *Nanking* effoditur in quadras redacta, vel massas pondere trium K*atti*. Fossores non ipsi has massas in pagum *Sinktesimo* deferunt, sed venundatas aliis committunt, qui signo Imperatoris notant, ne fraus fieri possit. Terra ipsa non pinguis instar limi, aut margæ, sed sabuli instar, quod aqua maceratum in massas, vel quadras formant, Porcellana quoque denuo contusa, comminutaque in novam formam redigunt, haudquaquam ejusdem elegantiæ, ac quæ recenti terra excoquuntur. Ita maceratam terram, ut figuli lutum subigunt. Extus variæ animalis, hominumque, & plantarum picturæ, quas ipsi artificio peculiari delineant; tanti arcani notitiam nonnisi ad liberos, & intimæ admissionis transmittentes. Tam promta Sinensibus in hac arte peritia, ut conspectam qualemcunque plantam, aut animal statim Porcellanis illinant. Neque tamen eadem omnibus Porcellana tractandi ratio. Quidam recentibus statim massis utuntur; alii aëre prius densant in lapidem, inde comminutos cribratosque aqua miscent in luti speciem, & inde vasa fingunt, coctio in fornace talis. Vasa primum aëre siccantur, aut solibus. Imposita furno undique clauso, quindecim diebus valido utuntur igne: summa cura est, ne illus aër ingrediatur. Post quindecim dierum ignes sensim refrigerati, tricesima die excocta frigidaque promuntur, nam ex subitaneâ refrigeratione vitrum fragilitate superarent. Adest dum furni aperiuntur Imperatoris præfectus, qui quintam jure Sinico eligit pariter, & aufert, residuum venditur, illis, qui pagum *Ucienjen* habitant, quod unicum tota Sina Porcellanorum receptaculum, unde per orbem postea distrahuntur.

Trajecto lacu *Poyang*, quod & *Pingli* vocant, vigesima sextâ civitas *Nankang* occiduæ ejus ripæ adjacens, conspecta nobis fuit. Latitudo ejus, ubi ad Barropeliotem urbis situm est, hoc mare, quadraginta stadiorum, longitudo, ut Sinæ perhibent trecentorum. Ipsa in montoso colle centum & octoginta *Ly Nanchanga* distat. Ipso in portu semiruta turris septem altitudine contignationum, quæ scalis conscensa latum viciniæ omnis contractum exhibet. Mœnia, ut mons acclivis vario ductu, insigni altitudine, & opere, vix hora circumiri possunt. Neque alia platearum ratio, quæ gibbosa mœnia imitantur. Ab Occidente duo lapidei arcus; inde pons ex saxo, & porta in urbem ducit firmi operis. Prima ad lævam platea Arcus triumphales more Sinico ostentat: cætera famam ruinis deformia, & ignobilitate premunt. Transverti lacum *Poyang* NANKAN veniunt.

In territorio ejus varia templa. Multa tamen vicino in territorio templa, præcipuum in montibus *Quanglu* & *Juenxiu*, quos indigenæ ab Eremitis, & ſacrificulis innumeris habitatos, ſuperſtitioſe adorant. Ipſi Eremicolæ, quorum ſinguli ſingulas cellulas inhabitant, atroces in ſe omnes voluptates ſpernunt, continuis deditì, promerendæ, ut jactant, melioris vitæ, ubi corpore ſuo anima in aliud tranſinigraverit, miſeriis, quas curioſe, ut affligantur, excogitant; tanta vis ſuperſtitionis etiam Idololatras invadit. Cellulæ montis *Quanglu* numero anni dies æquare perhibentur. Et quanquam undique ſudo cœlo, montes illi perpetuis tecti nebulis triſtem faciem oſtentant: ut lacu *Poyang* proſpectantibus ſæpe, nubibus viſum intercipientibus, conſpici non poſſit. Multus & ibi Cannabis Proventus, unde æſtiva ſibi veſtimenta arcendo ſudori, & radiis Solaribus incolæ parant.

Mirabilis fons. Fons urbi ad Occidentem *Kien* nominis, cujus decidentes aquæ argenteam repræſentant telam, & triginta pateris diſpergitur. Magna illius, ut validæ in multos corporis ægritudines, apud Sinenſes aquæ dignatio habetur. Lacus *Poyang* ipſam bipartitur regionem. Hic & ob fertilitatem montium, agrorumque, & copiâ arborum celebratus tota Sina tractus, in omnia frugum genera, crebris paſſim piſculentiſq; abundans fluminibus, ſe effundit. Vigeſimâ ſeptimâ HUKEU, quartum quintæ civitatis *Kienkiang* oppidum, nobis conſpectum. Situm eſt ad dextram fluvii *Kiang*, ubi lacui *Poyang* ſe permiſcet, in cujus anguſtiis prominet. Quadraginta hinc milliaria *Nankangam* numerant. A boreo latere rupes oppidò ſingulari elegantia, arbuſtis paſſim viridantibus contecta, imminet. Ad montis radices Pagoda inſigni mole, ædibus cinctus. Mœnia paſſim pro montis naturâ, curva & gibboſa, valido opere. Parum huic oppido Tartarica rabies nocuit; etiamnum populoſo, ſplendidiſque ædificiis ſuperbienti. Mercatura omnigena floret, ſed præcipue copioſus ibi rerum ad victum ſpectantium proventus. Piſcium optimi viliſſimo pretio ad emtorem veniunt, ob uberem undique eorum capturam. Æſtus maris jam ad hoc oppidum, viciniâ maris, Luna plena novaque deprehenditur. Jam exinde fluvius *Kiang*, & à civitate *Kienkiang* ad mare, neque pigro curſu, & vix conſpectui obvio, unde jam veliferarum uſus navium, in quam velis partem, non amplius reluctantibus ejus aquis. Mons & vicinus *Xechung*, quod *Lapideam Campanam* ſignificat; quippe fluctus tempeſtate lacus *Poyang* ad crepidinem montis colliſi, mugitum campanarum inſtar raucarum concitant. Cum jam ancoris jactis navis ante oppidum ſtaret, omnis in recurſum civitas, ſenes juveneſque effuſa, vix aſpectu ſatiari Hollandorum poterat: mirabantur ignota ora, habituſque ab ultimo occidente venientium, & niſi ignotus utriſque ſermo obſtitiſſet, multa colloqui, multa interrogare velle videbantur. Ergo tubicen noſter inflare ſuum *Wilhelmus*: quo incognito ſonitu adeo perterriti fuerunt, ut confuſa fuga vix portæ introitum, multis proſtratis paſſim jacentibuſque miſeri reperirent.

27. Aprilis HUKEU veniunt.

Deci-


HVKOEN.
of. ou
HUKEU.



Vigesimâ octavâ inde PENGCEA, quod quintum civitatis *Kienkiang* oppidum, conspecta. Hactenus *Kanchevo* usque *Nanchang* fluvio *Can* subvecti; inde per lacum *Poyang Pengceam*, & fluvium *Kiang* intravimus, unde Orientem versus *Pekingam* navigandum erat. Flumen Kiang, quod & *Yangcu* Kiang, id est, *Filius Maris* dicitur, totum in duas partes Boream, & Austrinam Imperium *Magni Chami* dividit, ab Occidenti in Ortum recto quasi impetu Oceano irruens. PENGCE conspicitur.

Pengce nonaginta *Ly Hukeo* distans in Orientali ripa Kiang post insulam jacet, montibus passim collibusque cincta. Mœnia & ipsa, ut mons collisque, incurva passim, & sinuosa Ædificia intus raræ structuræ, nec temnendæ, quibus *Hukeum* superat, quanquam magnitudine ei impar. Haud procul mons *Siaocu* inaccessus hominibus. Medius undique lacu ambitur; ad Austrum exigua, sed tuta statio navibus, quas tempestas exercet. Montes *Siaocu*, & *Makang*.

Ad ripam Australem Kiang alius mons *Makang* totâ celebris Sinâ ob naufragiorum frequentiam. Parum littore avulsi nautæ, mox fluctibus abrepti, ad cautes irremediabili fere jactura pereunt. Legati, cum cœlum faveret, insulam, juncetis salicibusque plenam, ingressi; mox vestigiis tigridis, quod frequens illâ orâ animal, moniti retrocedere. Nautæ Sinenses, cum coquum igne structo cibos parare in prandium viderent, in genua provoluti Legatos obtestabantur, parcerent miseris; Dæmonem aquaticum eo loci habitare, qui specie piscis, vel Draconis haud raro conspiciendus, odorem carnium ferre nequeat, terribili tempestate naves pariter hominesque, ubi talia fiant, submergens. Legati, quanquam irrisa superstitione, abstine- Geminæ in aquis columnæ.

abſtinere maluerunt prandio, quam miſerorum ſtultas preces diutius pati. Conſpecti inde piſces in aqua, ut ſolet, latentes, tanto ſtupidorum terrore, ut pene exanimes collaberentur, certa perſuaſione, Dæmonem illum paluſtrem evertendæ navi jam mandata dediſſe.

Pengcea poſt tergum relicta duæ circa meridiem columnæ medio fluvio exurgentes conſpectæ, quæ *Kiangsiam Nankinga* diſterminant, cujus fines cum majorum, minorumque civitatum numero, ut in reliquis, præmittemus.

Nangking nonæ Imperii Provinciæ finis.

Nanking, Tartaris *Kiangnan*, nona Regni Provincia ad Ortum & Notapeliotem Oceano alluitur: Auſtrum *Chekiang*, Occidentem *Huquang*, Notolybicum *Kiangsi*, Barrolybicum *Honan*, cætera *Xangtung* claudit. Olim, antequam *Pekingum* Imperatores *Taimingi* migrarent, in hac regione Imperii ſedes fuit, & quanquam tranſlata aulo, nihilominus omnis ſplendor, & Magiſtratus priſcus in eâ uſque ad ultimam Tartaricam vaſtitatem ſervatus. Sed Tartari cuncta funditus antiquæ gloriæ monumenta, Palatia, ſepulchra deſtruxerunt, ipſumque nomen *Nanking* in *Kiangnan*, urbis *Ingtien* in *Kiangning* mutarunt: unde hodie magiſtratus & Regio ſplendore orbata, nil niſi rudera, & ruinas oſtendit.

Cunctas Sinæ Regiones ſplendore urbium, fertilitate, mercaturâ, ac navigatione ſuperat: totius orbis naves & mercaturam in hac Provinciâ collectam putes, quia flumina ejus per totum Imperium ſparſa, in omnes plagas navigia emittunt, iterumque recipiunt beneficio fluvii *Kiang*, naturâ & arte in multiplices diducti canales, qui Regii aquæductus vocantur. Ingenio moderato, acri, humano ſunt incolæ ejus, in opificiis ſeduli, & periti. Doctorum quoque magna copia, qui in ſcholis ejus examinantur. Serici inexhauſta copia, & goſſypii: unde frequentiſſimæ textrinæ; ſola urbs *Xanghai* cum vicinis pagis ducenta millia textorum alit, fæminas magnam partem; nam viri agros colunt, mercaturam exercent, & dum mulieres licium textorium tractant, ipſi liberorum curam gerunt, ac domeſtica munia obeunt. Quidquid in *Nangking* opificiorum conficitur, per totam Sinam æſtimatur, ac reliquis præfertur.

Numerus urbium.

Metropoles habet quatuordecim, *Kiangning*, *Fungyang*, *Sucheu*, *Sungkiang*, *Changcheu*, *Chinkiang*, *Yangcheu*, *Hoaigan*, *Lucheu*, *Ganking*, *Taiping*, *Ningque*, *Chicheu*, & *Hoeicheu*. Urbes centum & decem, quæ aliis imperant, & innumeram oppidorum, pagorumque multitudinem.

KIANGNING, Tartaris *Ingtien* & *Nanking*, prima Provinciæ Metropolis, de qua infra latius, ſeptem moderatur urbes, *Kiangning*, *Kiuyung*, *Lieyang*, *Liexui*, *Coaxun*, *Kiangpu*, & *Loho*.

FUNGYANG ſecunda Provinciæ Metropolis, à ſacrificulo *Taimingæ* familiæ auctore, extenſo longe lateque pomerio, noviſque ac fortiſſimis nobilitata mænibus, quæ quingenta ſtadia ſuo ambitu complent, in monte ſita eſt, cujus amæni colles in ipſa urbe privatis, publiciſque ædificiis conſpicui

ſpicui ſunt, fluvio *Hoai* territorium medium interſecante. Octodecim civitates complectitur, *Fungyang*, *Linhoai*, *Hoaiyven*, *Tingyven*, *Uhu*, *Hung*, *Xeu*, *Hokieu*, *Mungching*, *Si*, *Hiutai*, *Tienchang*, *So*, *Ligpi*, *Ing*, *Tacho*, *Hao*, & *Ingxan*. Quarum præcipuæ ſunt *Su*, *So*, & *Ing*.

Sucheu tertia Provinciæ Metropolis, una ex urbibus, quas Sinæ orbis *Paradiſum* vocant, in placido aquæ potabilis flumine conſtructa eſt, ſicut apud Europæos Venetiæ, tria flumina *Leu*, *Sung*, & *Uſung* per modum lacus ipſam ambiunt urbem, cujus Notolybicum lacus *Tai* triginta ſex millia jugerum terræ occupans, ſpectat, ut & mons *Lignien* variis ædificiis conſpicuus. Septem regit civitates, *Sucheu*, *Quenxan*, *Changxo*, *Ukiang*, *Kiating*, *Taicang*, & *Cungming*.

Sungkiang quarta Provinciæ Metropolis, ad cujus Notapeliotem mons *Kin* verticem tollit in ipſo maris littore, quod hanc interfluit & urbem *Ningpo*, tam brevi intercapedine, quod ſub prima nocte galli cantus ab uno littore in littus exaudiatur hic, ut & in reliquis vicis, ædificia malis alte in ipſum fundum adactis, haud ſecus ac in noſtrati uliginoſo fundo, incumbunt: in maris oſtio amplum exſurgit munimentum cum firmo navium, militumque præſidio ad portus cuſtodiam: tribus imperat civitatibus, *Sungkiang*, *Xanghai*, & *Cingpu*.

Changcheu quinta Provinciæ Metropolis, canali *Hoangpu* arte excavato vicina jacet, ripis prope hanc urbem utrinque ex ſecto lapide ab imo uſque ad ſummum miro artificio firmatis, per quem ab urbe ad fluvium *Kiang* navigantibus patet aditus. Quinque civitates moderarime ſuo dirigit, *Changcheu*, *Vuſie*, Kiangyn, *Gniking*, & *Cinkiang*.

Chinkiang ſexta Provinciæ Metropolis M. Paulo Veneto *Cingia* dicitur, jacet ad ortivam canalis ſupradicti, aquas in fluvium K*iang* exonerantis, in occidua parte ſecus ripam ſuburbium eſt, quod de frequentia cum ipſa urbe certat, in vicino colle turris triginta cubitorum à baſi ad culmen uſque ferrea formâ pyramidali, variis, figuris ac lauris decorata conſpicitur: tres urbes ſub ſe habet, *Chinkiang*, *Tanyang*, & K*intan*.

Yancheu ſeptima Provinciæ Metropolis, jacet ad ripam artificioſi canalis ſæpius memorati, qua Ortum ſpectat, ſalinæ ſunt frequentiſſimæ, in quibus ex aqua marina ſal eodem modo, ac ab Europæis, conficitur, ſalis hujus diſtractione maxime diteſcunt mercatores, ac proinde horum beneficio ſplendidis ac ſuperbis adſurgit ædificiis. Decem regit urbes, *Yangcheu*, *Ychin*, *Taihing*, *Caoyeu*, *Hinghoa*, *Paoyng*, *Tai*, *Jucao*, *Tung* & *Haimuen*. Quarum primariæ *Caoyeu*, & *Tai*.

Hoaigan octava Provinciæ Metropolis, in loco paludoſo, oryzæ, ac tritici feraciſſimo jacet, duplex eſt, continuatâ tamen mæniorum ſerie, quæ ad Auſtrum vergit, proprie *Hoaigan*, quæ ad Barrapeliotem *Yenching* dicitur. Auget harum magnitudinem ſuburbium ad milliare Germanicum ex utraque parte canalis protenſum; per quem croceum ingrediuntur.

tur. Tanta hic rerum omnium copia, ac mercatorum frequentia, ut multis efformandis urbibus hæc sola sufficeret. Ad urbis Ortum lacus *Hung* est, in quo altissimæ nascuntur cannæ, quibus lignorum loco Regio universa utitur. Decem sub se continet civitates, *Hoaigan*, *Cingho*, *Gantung*, *Taoyven*, *Moyang*, *Hai*, *Canyu*, *Pi*, *Socivten*, & *Ciuning*. Quarum primariæ *Hai* & *Pi*.

LUCHEU nona Provinciæ Metropolis ad confluentia lacuum *Cao* & *Pe* in agro frugum luxuriante posita est, à copia herbæ *Cha* & *Papyri* copia commendabilis. Octo civitates jurisdictione includit, quæ omnes celeberrimi lacus *Cao* ripam occupant, *Lucheu*, *Xuching*, *Lukiang*, *Vuguei*, *Cao*, *Logan*, *Iugxan* & *Hoxan*. Quarum præcipuæ *Vuguei* & *Logan*.

GANGKING decima Provinciæ Metropolis in confinio trium Provinciarum ad Borealem ripam fluminis K*iang* jacet, opportuno ad bellicas expeditiones situ, hinc suo gloriatur Prorege, & ingens militare præsidium alit in munimento *Haymuen*, ad custodiam lacus *Poyang*, & fluminis K*iam* exstructo. Omnes merces, quæ aliunde *Nangkinum* advehuntur, hanc primo obviam habet. Sex in ea numerantur civitates, *Gangking*, *Tungching*, *Cienxan*, *Taihu*, *Sofung*, *Vangkiang*.

TAIPING undecima Provinciæ Metropolis in insula, quam in duos ramos divisus K*iang* efficit, jacet; ad urbis Notolybicum mons *Tienmuen*, cœli porta dicta, verticem tollit; ad Notapeliotem initium capit lacus *Tanyang*, cujus magnitudo trecentorum stadiorum dicitur. Tribus imperat civitatibus, *Taiping*, *Vuhu*, & *Fanchang*.

NINGQUE duodecima Provinciæ Metropolis amni *Von* vicina jacet, qui eam Orientem versus præterlabitur, naves in magnum fluvium K*iang* deducens, intra mænia montem *Lingyang* continet. Sex in ejus territorio recensentur civitates, *Ningque*, *Ningque*, K*ing*, *Taiping*, *Cingte*, & *Nanling*.

CHICHEU decima tertia Provinciæ Metropolis Australem celeberrimi fluminis K*iang* ripam occupat, maximam partem montosa est, rerum necessariarum defectus per flumen nominatum subministratur. Ambitus ejus sex civitatibus constat. *Chicheu*, *Cingyang*, *Tungling*, *Xelai*, K*iente*, & *Tunglieu*.

HOEICHEU decima quarta Provinciæ Metropolis, Australissimam ejusdem partem occupat, K*iangsi*, ac *Chekiang* Provinciis finitima, prope urbem flumen *Singam* transit, qui ad Occasum exortus mox quatuor ex montium vicinia rivulis augetur. Maximus mons *Hoang*, in quo viginti quatuor rivuli, triginta duo vertices, & octodecim antra obscurissima numerantur, ad urbis Occasum est; hæc, atramento Sinico, & nominatissimo folio *Cha* celebris. Sex regit civitates, *Hoeicheu*, *Hieuning*, *Vuiyven*, K*imuen*, *In*, *Cieki*.

In hac insuper Provinciâ quatuor Majores Imperatrices numerantur Civitates, scilicet *Quangte*, quæ K*ienping*; *Hocheu*, quæ *Hanxan*; *Chucheu*, quæ

quæ *Ceuveuczao* ; *Siucheu*, quæ *Siao, Tanxan, Fung*, & *Poi.* A Sinis *Cheu*, & variæ minores civitates, *Hien* nuncupatæ.

QUANGTE prima Provinciæ Major Civitas, ſerici copiâ dives, amænioribus contigua montibus, quorum celebriores ſunt *Heng*, & *Ling*, prior ad Occiduam civitates partem caput nubibus infert, in ipſo equidem apice perennis fontis ſcaturigo, poſterior collem habet maxime difficilem, & acclivem quindecim ſtadiorum ſpatio, ad quem ſpelunca, in cujus aditu ſacrificuli cujuſdam lapidea ſtatua eſt, quem in eam mutatum fingunt.

HOCHÉU ſecunda Provinciæ Major Civitas, ſylvarum ſolitudine horrida, ex eo celebris, quod ſacrificulus ille Tartarorum expulſor iſthic latronem egerit: ejus tamen territorium rerum neceſſariarum pro incolis abunde ferax.

HHUCHEU tertia Provinciæ Major Civitas, cujus Regionem *U* lacus ad urbem *Civenciao* Ortus, & ad *Laigan* procurrens fæcundat, varios includit montes, quorum nomina in mappis Martinii videri poſſunt.

SIUCHEU quarta Provinciæ Major Civitas, *Croceo* fluvio vicina jacet, qui hanc Regionem mediam interſecat, in maxime ſeptentrionali hujus Provinciæ parte ſita, locus omnino magni momenti, quippe qui quatuor Provinciarum finitima contineat. Ad Barrapeliotem pons viſitur aquis innatans, ex quinque & triginta magnis navibus, ferreis catenis connexis: etiam ex eo celebris, quod *Hanæ* Imperatoriæ familiæ auctor, capta civitate *Poi*, inde ad occupandum Imperium gradum fecerit.

Familiarum decies novies centena, ſexaginta novem millia, octingentas & ſedecim 1969816 liber rationum publicarum numerat. Virorum militarium nonageſies novies centena, ſexaginta ſeptem millia, quadringentos & viginti novem. 9967429.

Tributum oryzæ facit quinquageſies novies centies, nonagies & quinquies mille & triginta quatuor ſaccos 5995034. Serici non laborati, ſive fili ſexies mille octingentas & ſexaginta tres. 6863. libras. Pannos ſericos confectos omnis generis vicies & octies mille, quadringentos & quinquaginta duos. 28452. Ex canabi telæ textæ bis mille ſeptuaginta ſeptem 2077 volumina. Pro tributo goſſipino argentum ſtatutum eſt. Straminis ſeu fæni faſcium quinquagies & octies centum & quatuor millia, ducentos & ſeptemdecim 5804217. Salis pondera ſepties centies & quinquies mille & centum 705100. Quæ collecta indefinitum fere numerum complent. Varii Regni Proceres mihi ſæpius ſincere affirmarunt, hanc Provinciam annuatim triginta duos milliones aureorum Imperatori ſolvere. Nec cuives hoc mirum ſit, nam præter hæc quinque telonia numerantur. Deinde omnes merces, quæ *Nankingâ* ad aliás tranſportantur feruntur loca, certo vectigali ſubjiciuntur. Urbs *Xangzai* ſola ſolvit *Magno Chamo* pro tributo lanæ, ducenta, & quinquaginta millia Aureorum, de tam duro jugo varias incolarum querelas ipſimet ſuſcepimus. Menſtruum omnius taberna-

tabernarum, & hoſpitiorum tributum eſt viginti quinque *Pangarum*, id eſt, triginta toelarum argenti, ſi ſolutionem quacunque de cauſa differant, mox ipſi Tartarorum furori, eorumque bona rapinis ſubjiciuntur. Vidimus ſæpius homines ultro citroque commeantes à portarum excubitoribus inclementer excipi, ſi in mercibus deferendis fraus reperta ſit; & ad ſatisfactionem uſque verberibus inſtant, licet Sinenſes hic magis, quam alibi, privilegiis gaudeant.

TONGLOU appellunt.

Vigeſima nona TONGLOUUM appulimus quod ſextum tredecimæ Civitatis *Cicheu* primumque *Nankingæ* oppidum. Auſtralis ripa *Kiang* mœnia ejus pulſat: ſitu jucundo collibus vallibuſque cinctus. Validis undique muris, ut valles colleſque ſinuantur, munitur, Procul aſpectantibus pulcherrimo apparatu; ubi introieris ruinæ & vaſtitas Tartarica ſe lamentabiliter ingerit, unica ſuperſtite platea, cæteris inter rudera ſepultis, Palatium Præfecti priſcam adhuc, qualis in flore fuerit, magnificentiam oſtentat. Duo etiam Arcus Triumphales ſuperſunt. Ex fluvio *Kiang* per ipſa mœnia vivarium Palatio Præfecti adductum. Magiſtratus per Epiſtolam gratulatur adventum Legatis: mox lautia in culinam allata, quæ modeſtia Legatorum remiſit. Nulla ibi mercatura alia niſi ex ſudibus, quales Norwegia copioſe emittit. Infra urbem duobus paſſuum millibus inſula medio ſita *Kiango*, quam *Sanglonem* Sinæ vocant. Haud procul à ripa mons *Kieuhoa*, ſive *Novem verticum*, floris jam cadentis imagine.

Mons *Kieuhoa.*

Gangling conſpicitur navigantibus.

Poſtquam duo provecti eſſemus milliaria, ad Boream ripam *Kiangi*, decimam *Nankingæ* civitatem *Ganking* conſpeximus, mercatura opibuſque gravem, quod unicus ille commeantibus *Nankingam* tranſitus detur.

Anhingam tranſvehuntur.

Trigeſima cum claſſe *Anhingam* ventum, quæ & *Chicheu* nominatur, tertiam, & decimam *Nankingæ* Civitatem, nonaginta *Ly* à *Tunglieu* ſitam ad Auſtralem plagam *Kiangi*, duarum circuitu horarum. Suburbium ripam magnificis ædibus Pagodiſque plenum ſtringit. Mœnia altitudinis quinque & viginti pedum altitudine ex lapidibus coctis. Collis terram verſus jucundâ viriditate, cui Pagoda ſuperſtructus, eadem, qua reliqui ſacrorum, ſuperſtitione: & turris ſeptem contignationibus decora imminebat. Pleraque montoſa, raræ planities, & abundantia tamen rerum omnium adeſt, ac ſi quid deficiat *Kiango* advehitur.

Eodem die *Tunglung* pergunt.

Eadem adhuc die tantum emenſi fuimus viarum, ut *Tungling* vel *Tongliny* tertium Civitatis *Chicheu* Oppidum in conſpectu venerit, ducentis & viginti *Ly* ab *Anhing*, ſitu collibus, montibuſque amœno. Mœnia trifolii forma Oppidum cingunt dimidiæ horæ ambitione, *Sinus* fluvii apud eam portum facit, tutandis, ſi tempeſtates ſæviant, navibus, unde incolis rerum copia. Caſtello inſuper contra hoſtilem vim in ſinus munitur. Præter fluvii vehementem decurſum, cæcæ ſub undis rupes; quæ redeuntibus aqua nudatæ terrorem incuſſerunt. Incolæ vicinum Echone celebrem


TONGLINGH.


ANHING.
27.



UFU.


TONGLOV.



brem jactabant montem. Tacti ejus desiderio videndi verticem alte urbi supereminentem ascendimus, tubaque jucundum in morem inflata, repercussiones sonorum multoties cum admiratione percepimus, cum eadem vox pari remitteretur vehementia, qua emissa fuerat: Vicinus *Tunglingæ* mons à prunis Armeniacis denominatus *Hing*, quorum ibi uber proventus. Animis aliquantulum hujus loci spectaculo refectis, altera die profecti ab utraque ripa frequentibus amœnissimas terras pagis, multo populo refertis, præternavigavimus. *Echo mirabilis.*

Tertia Maji Castellum UPUN ripæ *Kiangi* incumbens se ostentavit, haud longe Oppido *Ufu*, quadrata forma ingenti ex coctilibus muro mille ducentorum abitu passuum, viginti super aquas eminente, tanto artificio, ut Europæorum ingenia provocare possit. Medio ejus planities Pagodo sacra, cujus vertex in sublime assurgens naturam loco altitudine sua insuper conspicuam facit. Nondum dies erat exacta, cum Oppidum *Ufu*, vel *Unhu* secundum undecimæ Civitatis *Taiping* navigantibus occurrit, ubi in ipso suburbio, ubi turris obtusa altitudine, naves nostras mœnibus urbis alligavimus. Oppidum insulam *Kiangi* insidet undique ejus divergiis circumfluam; mox *Nankingam* versus, alveis iterum adunatis, uno alveo fertur. Suburbia populo commerciisque multa alia, quæ hactenus nobis obvia Oppida, ob telonium vectigali à præternavigantibus exigendo, superant. Undique insula propugnaculis munita, sed quod novum nobis absque milite, armisque. Tota Sina celebre ob armorum facturam Oppidum; nullibi eo artificio & temperatura procudentibus aliis. Culullis insuper, quibus potum *Sampsou* ingurgitant, toti Sinæ prospicit, nec enim alibi parare, aut *Castellum UPUN.* *Urbem Ufu attingunt.*



aut vendere licet. Etiam Lampadibus omnigenæ magnitudinis conficiendis celebres habentur.

Taiping transvehuntur.

Quarto Maji tertiam *Nankingæ* Civitatem TAITONG, quæ aliis *Taiping* prætervecti nonaginta ab *Ufu Ly* ad dextram *Kiangæ* ripam in insula, quam flumen facit ambitque, sitam. Solum in montes planitiesque æque effusum, & respondet fertilitas agrorum coloni industria.

Mons *Tienmuen.*

Ad Notapeliotem hujus civitatis, quæ duobus passuum millibus intra fluvii ripam remota jacet, altus eminuit mons *Tienmuen*, quasi *Cælorum Portam* dicas, quod *Kiangus* inter duos ejus colles, velut portam, perlabitur.

Insula *Hiao.*

Medio fluminis & è regione *Taitongæ* insula *Hiao*, saxo unico instar pumicis constans. Foraminosus is, & frequens noctuarum, unde *Hiao* ei Sinice nomen.

Versus Notapeliotem mare *Tanyang* trecentorum stadiorum ambitu, unde irrigua ejus, & *Kiangi* aquis tota illa regio ubertate agrorum exultat. Olim florentem mercatura, quanquam longius flumine dissitam, insignemque fuisse urbem Sinæ referebant: Verum Tartaros non una illa expugnatione in solitudinem redegisse. Tres adhuc turres spectanda altitudine priscam testantur magnificentiam.

PARS


NANKING
5.

PARS SECUNDA
LEGATIONIS BATAVICÆ,
AD
Magnum Tartariæ, Sinæque CHAMUM,
QUÆ
Iter Nankingâ Pekingam *usque complectitur.*

TAndem tot emensi *Kantonâ* usque labores, & pericula, Regiam urbem NANKING, primam Australis Sinæ Metropolim per fossam quingentorum, & amplius passuum ingressi, ancoris in ipso navium communi receptaculo ante *Suisimon*, quod aquariam portam significat, jactis, stetimus. Appellunt NANKINGAM.

Legati altera die *Palankynis* gestati, reliquis equo singulis comitantibus, tres urbis Gubernatores compellarunt, deducti ab eo, qui Junioris Proregis Kantonensis res ibi administrabat, duobusque Mandarinis *Kantonâ* profectis, absente adhuc *Pinxentuo*, magna solennitate introducti sunt.

Princeps Præfectorum Legatos in penetralia admissos, post mutua officia, considere jussit. Natione is Sina ex *Leaotung* urbe: Cæterum humanitate, ac comitati insignis. Munera ipsi offerenda per Epistolam significarunt: verum, quoniam *Imperatore nondum conspecto, nefas ea accipere*, abnuit. Post varios de rebus sermones inde, ut solet, discessum, alter, & ipse Sinas *Leatungensis*, Præfectorum, pari civilitate salutatus, schedulam, qua dona continebantur, honoro gestu susceptam militiæ Præsidi legendam (ignarus quippe Literaturæ videbatur) porrexit: verum, simili usus excusatione, ea detrectavit. Tertii tum, intra Palatii Imperatorum antiquorum mœnia habitantis, aditum fuit domicilium, qui haud multa usus cerimonia, aut mora, intra conclave eos duxit, ubi juxta uxorem in scabello sedentem habebat. Quadratum id cubiculum, stragulis hinc inde villosis, rubro colore ad somnum capiendum, per lectulos dependentibus; & fornax ad

 hyemis

hyemis rigores, ut illa fert plaga, calore igneo temperandos: conspiciebatur fornax, fenestras versus sedili cincta, ex luto consurgebat, subtus pavimentum longis incendebatur ob lignorum penuriam cannis, foramine extus fumo prohibendo, quanquam ne sic quidem omnino excludi possit. Tartarus is origine, crasso corpore, juvenis, linguæ Sinicæ adhuc ignorans, filiorum interpretamento utebatur Uxor, generosi fœmina pectoris, plura marito rogare, & militari audacia, arma Legatorum admirabunda tractare. Plena mox aula Tartaricis Domicellis, quæ hujus Matronæ famulæ argenteum, plenum *The* potu, lacte saleque temperatum, ahenum in medio pavimento locabant. Inde amplo *Cochleari* promtum potum ligneis infundebant quindecim capacitate unciarum calicibus, singulis propinabant calices ex fusco ligno, quod Europæi lignum columbinum, ibidem pretiosum, vocant, magnaque ex *Siam* in *Sinam* ad nos defertur, excavati artificis manu. Duplex potandi *The* modus est, sicut ipsa potio diversimode paratur, nam aliud genus, ex lacte ac sale paratum, ligneis hauritur vasculis; alterum, pura aqua excoctum, Porcellanis: si vero aliud potuum genus, quale *Zamsou*, instar cerevisiæ ex oryza excoctum argenteæ infunditur pateræ, vel si illa desit, Porcellano vasi. Idque Sinis non minus, quam Tartaris, receptum.

Uxor tertii Gubernatoris curiosa Legatos *The* excipit.

Inde ad Tartarum nobilem à *Kantonensi* ablegato deducti, qui recens *Pekinga* advenerat, juvenis vegetusque, cui in domo pene collapsa, Palatio antiquo contiguo, habitaculum. Omnia hic indigesta, confusaque, nec alia, præter duo triave sedilia ævo detrita, & *The* potando apparatus. Equi ejus, Muli, Asini, Dromedos, Cameli, promiscue absque præsepi aream depascebantur.

Nobilis Tartarus Legatos ad prandium vocat.

Circumpotatione *Theana* peracta, Legati domum pompose ad ablegati *Kantonensis* ædes, pransuri cum eo, abducebantur. Nihil ibi desiderari, vel ad pompam, vel ad voluptatem poterat; Vesperâ demum, actis gratiis, in navim nos restituit: nam Legati, nec ullus ex comitatu toto itinere ullibi, quam *Kantonæ*, *Nankingæ*, & *Pekingæ*, alio usus fuit hospitio.

Descriptio *Nanking*.

Magnificentissima hæc totius Sinæ urbs nonaginta *Ly* ab urbe *Taiping*, ad Orientalem ripam fluvii *Kiang*, latitudine triginta duorum graduum in solo amœnissimo, & fertilissimo sita est. Fluvius *Kiang* per fossas, & canales, non modo mænia ejus præterfluit, verum totam urbem passim permeat, & navigia, quantumvis magna, per eam defert. Olim Imperatoria hic sedes: Reges *U*, *Cyn*, *Fung*, *Ci*, *Leang*, *Chin*, & *Tanga* in ea habitarunt, donec familia *Taiminga*, Tartaris ex vicinia reprimendis, *Pekingum* migraret. Conditor ejus Rex *Cu*, nomine *Gneus*, fuit; à quo *Kinking* nominata, quod *auream Regionem* significat. Primus *Cinæ* familiæ Imperator eam *Moling*, Reges *U* K*ienye*, familiæ *Tangæ* Successores K*iangxing*; *Taiminga Ingtien*, moderni Tartari K*iangning* appellarunt.

Ubi

Ubi verſus fluvium K*iang*, à quo ſex *Ly* diſtat, protenditur, latâ & profunda foſſa, quæ quatuordecim pontonum navali ponte conſtrata, ad urbem ducit Orientale latus urbis in patente convalli, hinc inde collibus edita jacet, tam crebris ſecta canalibus, ut omnis generis navigia eum permeent, ac merces ſuas exponunt, vel recipiant. Foſſæ lapideis pontibus & crebris Cataractis conſtratæ ſunt. Geographi Sinenſes tradunt, nullam toto orbe Civitatem huic magnitudine, & elegantia comparati poſſe. Ambitus ædium quinque horarum: murorum ſex milliarium Germanicorum, non incluſis ſuburbiis, quæ immenſum undique extenduntur. Præter hanc interiorem murorum, aliis adhuc exterior, non continuus, ſed hinc inde abruptus: Illa tantum loca, quæ infirmiora, & invaſioni hoſtium expoſita, eo muniuntur. Ejus ambitus tam vaſtus, ut ſi duo equites ſummo mane eadem porta ingrediantur, eam circum equitaturi, ſera demum veſperâ conveniant.

Primus murus triginta pedes altus, pedamento ejus lapide ſecto, ſuperiori parte latere cocto artificioſe exſtructo, ac magnifice ornato: Crebræ paſſim turres pro excubiis.

Tredecim portas habet, quarum valvæ laminis ferreis obductæ, frequentiſſimæ militum cuſtodiâ dies noctesque ibi excubante. Quædam harum portarum quatuor, aliæ quinque validis fornicibus ſuperſtructæ. Porta aquatica *Suiſimoa*, ad quam Legati ſubſtiterunt, tam denſis agminibus continuo frequentatur, ut ægre per confertiſſimos homines penetrare poſſis. Platearum præcipuæ viginti octo paſſus latæ, in medio cæruleo ſaxo, ad utrumque latus ſilice ſtratæ, non obliquæ ſunt, ſed rectæ. Ad ſingulos centum paſſus janua, quæ noctu furtis & graſſatorum inſolentiæ coërcendis, clauditur. Tales Vici ſuos Duces habent, quibus tota Vicinia paret. Vulgares civiumdomus ſimplices abſque ornatu: omnes tranſverſim plateas reſpectant: janua unica cubile unicum, in quo edunt & dormiunt, Supra feneſtram, de qua merces ſuas venum exponunt, foramen quadratum oblongum, lumini tranſmittendo, quod ſtoreis ex arundine loco vitreorum tegitur, ne prætereuntibus conſpici poſſit. Extus hæ ædes unius fere contignationis, tecto ex albis tegulis, calce albiſſima reſplendent. Incolæ talium domuum vili mercatura ſe ſuſtentant. Sed mercatores præcipui ſerico, Porcellanis, margaritis, adamantibus, aliiſque pretioſis mercimoniis refertas cellas habent. His tabula aureis inſcripta literis nomen & merces mercatoris continens, ſæpe etiam duæ, præfiguntur. Præterea plurimum perticis longis vexilla, aut aliud inſigne appenditur, quibus ædes, velut apud nos, diſtinguuntur. Nulla hic, ut nec totâ Sinâ, monetæ ſignatæ genus: argentum pondere expendunt, ſed ſubdoli ſunt; plerumque enim duplex pondus habent, actum aſtute circumveniunt emtores, ut Argi oculis, ne decipiare, opus ſit: hinc emtores propriam libram ſecum deferunt.



Tanta populi frequentia, ut deciescentena millia incolarum numerari fama sit; neque tamen victus deest copiosus, qui vili & vix credendo pretio toto anno venditur, ob indicibilem agri vicini fertilitatem. Imprimis cerasa sapidissima æstate ubertim prostant. Est insuper præsidium in urbe quadraginta millium Tartarorum, & Australium Provinciarum Gubernator hic aulam suam, ac stationem habet.

Ingens Pagadarum, Templorum, Turrium, Triumphalium Portarum, magnificorum Palatiorum copia. Sed super omnia olim aula Imperatoria eminebat, in qua prisci Reges haud minori pompa, ac nunc *Pekingæ* Majestatem suam exercuerunt. Hoc Palatium in Australi urbis latere, formâ quadratâ situm fuit, ingenti cinctum muro, qui nunc majorem urbis partem complectitur. Singula latera milliare Italicum, & centum insuper passus, id est, tres quadrantes milliaris Germanici continebant. Quantum & ex visu, & incolarum relatione cognoscere licuit. Hoc Palatium magnitudine *Harlemum* Hollandiæ æquavit. Interius lata adhuc area decussatim secta, saxo leucophæo constrata, conspicitur. Ad utrumque latus maceria ex secto lapide, exiguo rivulo irrigua. Tartari ad Pagodam *Paolinxi* casas sibi ex ruderibus construxerunt, relata civibus ad mercaturam exercendam urbe. Cum *Pekinga* reversi in hanc urbem essemus, ego, multique nostrum fragmenta tectorum & laterum nobiscum Bataviam Indiæ & Hollandiam detulimus, ut constaret, quam firmâ materiâ hoc Palatium constiterit. Tegulæ hæ ex durissimo constant saxo, Draconibus conspersæ, & aureo colore tinctæ: Ita in sole, ut aurum, micabant. Supra portam secundæ areæ ingens campana, duorum virorum altitudine, circuitu trium ulna-

ulnarum cum dimidia, craſſa, quadrante ulnæ. Multæ de ejus ſonitu Sinenſes jactarunt, quaſi ſimilis campana nuſquam reperiretur. Sed ejus ſonus eſt raucus, ac obtuſus, & ipſum metallum Europæis campanis haud conferendum eſt. Et quanquam Tartari hoc ultimo bello vix quicquam urbi nocuerint, totum tamen Palatium, cui ſimile Sol nuſpiam aſpexit, funditus everterunt, odio, ut videtur, erga *Taimingam* familiam, à qua ſe pulſos Sinæ meminerant. In memoriam tam ſplendidæ Regum aulæ ab aliquot ævis à Sinarum Imperatoribus derelictæ, & maximam partem collapſæ, jam à Tartaris funditus everſæ ita Enyonem alloquitur Muſa:

Sic nihil intactum, præceps Bellona, relinquis?
Dum furis, ac atrâ turgida bile riges.
Altera Troja jacet, putri ſub pulvere fumus,
Hic aulæ ſaxis diruta ſaxa vides.

Munera nihilominus quotannis adhuc ingentia præ reliquis urbibus *Nangking* ad Imperatorem *Pekingam* mittit, ſingulis tribus menſibus quinque naves, quas *Lungychuen*, id eſt, naves cum Draconum veſtibus, vocant. Sericeis veſtibus oneratæ Imperatori dono mittuntur. Nunquam elegantiores & magnificentiores naves toto orbe vidi. Circumcirca auro obductæ & cinnabari variiſque imaginibus picturatæ ſunt, ut oculi eorum fulgore cæcutiant. Intus conclavia artificioſiſſima, & ſumptuoſiſſima: omnia denique ad pompam tanto Imperatore digna. Præterea piſcium genus, quod in fluvio *Kiang*, Junio, & Julio menſibus capitur, nomine *Siyu* (Luſitani *Savel* vocant) ad Imperatorem mittitur. Eorum capturæ quidam Eunuchorum præeſt, qui captos mox ſub glacie, in eum finem aſſervata, ſepelit, & expeditis navibus *Pekingam* tanta celeritate mittit, ut quanquam iter ducentorum milliarium Germanicorum, intra octo vel decem dies eo deferantur. Nam hæ naves dies noctéſque ab helcyariis paſſim tota via in eum finem parati, indeſinenter protrahuntur. Ita ſingulis ſeptimanis, quamdiu captura durat, duæ naves his piſcibus oneratæ *Pekingam* mittuntur.

Atque hæc de ingenti urbe *Nangking*, cujus incolæ reliquis omnes Sinenſes humanitate, ſinceritate, ingenio, artificiis, morum elegantia, erga exteros familiaritate ſuperant. Nobis certe in Magnatum ædibus omnia liberaliter, quæ petebamus, monſtrata fuerunt. Sunt etiam prædivites, & ſumptuoſi veſtiti, neque eam, quam alibi urbes, Tartarorum ſævitiam patiuntur. Non ignari, quod ditiores durius jugum facilius excutiant.

Legatus *de Keyſer Palankyno* geſtatus, nobis equeſtri comitantibus pompa, urbem ſpectatum, prætervecti portam antiquæ aulæ Imperatoriæ, matronam quadragenariam, virginibus ſuis ſtipatam, natione Tartaram, vidimus, quæ per Interpretes nos invitavit. Legatus ex *Palankyno* deſcendens, compellata illa, curioſam gladiorum noſtratium ſpectatricem deprehen-

Legatus *de Keyſer* civitatem luſtrando matronam Tartaricam viſitat.


prehendit, neque mirari ſatis poterat facilem flexuram in rectum revertentem. Pileum Legati cum ſibi impoſuiſſet, thoracis quoque ejus partem enodavit. Ædes præingreſſa, eo deduci Legatum humanitate Tartarica voluit. Legatus ducentis paſſibus *Palankyno*, nos equis vecti aream latam, viis ambulatoriis ſectam, pavimento ſectis lapidibus conſtrato, deprehendimus. Ibi diverſabatur hæc, lateri filiâ viginti annorum adſtante, Tartara Legatum ſuo more excipiens.


Matris veſtitus, & filiæ.

Veſtes filiæ ex violaceâ Damaſcenâ togæ, dependentibus ab utraque aurium annulis aureis. Capilli in orbem plexi, compoſitique ſubtus margaritis coruſcabant: mitella tegebatur ex junco, vel arundine contortis, ut videbatur, unde floccus rubeus ſericeæ lanuginis (plebeæ ſe floccis duntaxat ex ſeto equino rubedine tincto ornant) prominebat. Tunica ad talos laxe extenſa cingulo lintei ſericei medium ſtringebatur, nodulis ſupra pectus arctata. Ex nigro corio calceamenta; facies abſque fuco, naturali pulchritudine. In ſpatioſam introducti cameram ſuppellectili vacuam & ornatu: ſcamno lato ſimul conſidentes, cui villoſus tapes inſtratus. Iterum *The* potionati, bellariis excipiebamur, addita tenuitatis excuſatione, ob maritorum abſentiam.

Cum ita Tartaris hiſce valedixiſſemus, primo intra *Nanking*, in edito colle, Turrim Mathematicam inviſimus, ſiquidem in ea tria adſervantur illius artis ſcientiæ inſtrumenta, quibus paria, aut ſuperiora vix vidit totus orbis. Primum eſt globus, ſeu ſphæra cœleſtis, ſuis meridianis Paralleliſque diſtincta: ſecundum eſt armilla æquatoria, triplici conſtans circulo, horizonte, meridiano, & verticali circulo mobili cum ſuos pinnacidiis. Tertium eſt ſphæra armillaris, Europæis ſimillima. Quodlibet horum habet diametrum duodecim pedum, omnia ſunt ex cupro inaurato, miro artificio elaborata: fulcra, quibus ſuſtentantur, ære fuſili effícti Dracones ſunt, adeo ad amuſſim ac affabre facta omnia, ut nihil in eo magnopere ſit, quod etiam *Tycho* aliquis poſſit deſiderare. Trecenti modo & quinquaginta effluxere anni, ex quo à Tartaris Ivenæ familiæ iſtic ſunt collocata, ſed priſtinum etiamnum, ac ſi primum nunc fabefracta eſſent, retinent ſplendorem. Deinde provecti extra foſſas urbis Pagodam illâ orâ celeberrimum, quem Sinenſes *Paolinxi*, alii *Paulingjing* vocant, viſitavimus. Non unum vox *Paolinxi* Pagodam denotat, ſed ſpacioſam aream declivi monte adhærentem variis conſtructam ædibus, Pagodis, Porcellanica turri, omnia mœnibus diverſis cincta, clauſaque.

Duodecim ad has ſtructuras gradibus conſcendebatur, quæ omnes, Sinarum more priſco, tantum oſtentabant artificium, ut vix alibi ſimilia reperias. Sacrificuli omnia nobis ſua adyta reſerarunt. Unum ex primariis ſacellum millia decem imaginum ex gypſo ſpectaculo exponebat, coloribus auroque nonnullas variegatas. Diſpoſitæ, puparum inſtar, ut ſtatura, locum implebat, minoribus, quæ ad minimum palmi magnitudinem æquabant


PAOLINX PAGODE.
1. Pagoda idolorum myriade inſtructa.
2. Turris Porcellana novem contignationum.
3. Idola Caſtitatis
4. Idola Generationis
5. Idola Electionis
6. Idola Felicitatis
7. Eadem.
8. Vivarium
9. Cuſtodis ædicula
10. Senioris ſacrificuli diverticulum.
11. Iunioris ſacrifici domus.
12. Pars auſtralis.
13. Portarium.
14. Pars borealis.
15. Diverſoria magnatum.
16. Diverſoria plebis.
17. Tentoria pervia.



La Tour de PORCELAINE.
PORCELLYNE TOOREN.
Turris Porcellanea.

32.

quabant, quintuplici circuitu majoribus, quæ virum vivum non excedebant, ſubordinatis.

Medium tenebat ex Porcellana turris, mirando opere; novem erant concameratæ contignationes, & tanta altitudo, ut centum octoginta quatuor gradibus vix ſuperari queat. Circum ambulacra imaginibus, feneſtriſque conſpicua, inſigni artificio. Latera feneſtrarum, quadrato aërem foramine immittunt, ferreis candidis (viſu mirum) munita clathris. Extus lævigatum, picturatumque diverſis coloribus, viridi, rubro, flavo, ut ars, ut mos jubet, opus. Et quanquam diverſæ tantam machinam partes componant, unum continuumque videtur. Tecta per angulos ambulacrorum prominentia, viridi colore, campanulis æneis (ſive Syſtra appellare malis) vento ipſas circumgyrante, quæ teſtante Tacito, non aliter ac in Ægyptiis Thebis prodigioſum Memnonis ſacrum radiis ſolaribus actum, ſoni ſuavitate aures demulcent. Corona non niſi extrinſecus acceſſa pino terminabatur ex auro, ut Sinæ referebant, obryzo. Cacumini inſiſtentibus non urbs modo, verum ſubjecta omnis planities patet, qua ultra *Kiangæ* ripam proſpectus datur, nullo magis admirando ſpectaculo pro tantæ magnitudine urbis, & vicini agri circumjacentis pulchritudine, fluvii undique quaſi amplexu omnia prehendentis cingulo comprehenſa. Turris Porcellana.

Varia ſed incerta de hujus turris origine tradunt, quæ prætermittere quam memorare præſtat. Sed victoriæ monumentum Tartaricæ ante ſeptem ſecula à Sinenſibus conſtitutum, probabile. Id certum Tartaros eam nupera *Nankingâ* ruinâ integram intactamque reliquiſſe; contenti in minora ignobilioraque ſævire, majoribus incomparabilibuſque, ſive illa fuerit aliqua reverentia tanti operis, ſive contemtu, ut Barbari ſolent, vel occulto Fato, ita ut repererunt monumentum Scythicæ victoriæ, prætermiſſis. Huic Dædaleo operi hos ſubjunxit Muſa verſus: Tartarorum juſſu in victoriæ ſignum à Sinis devictis ſtructa.

Aſpiciant Siculos Cumæa Palatia fluctus,
Culmina Parthenopes conſpicienda ſinu.
Chaonii Delubra Jovis, Triviæque penates
Afer, & Argolici tollat ad aſtra manus.
Æneadum ſurgant molli Capitolia luxu.
Luceat ætherio vertice celſa Pharos.
Hæc, qua Sina *micat, turris ſuper omnia victrix:*
Artifices, quotquot dantur in orbe, ſtupent.
Neſcit & ipſa ſuam formam tellus mutabilis arte:
Nec ſatis illa poteſt jam placuiſſe ſibi.
Attamen horror ineſt ſacris, faſtidia gignit
Cultus, quo Sinæ *Numina ficta colunt.*

Non exiguum urbibus, ac Civitatibus decus conciliant Turres & Arcus illi Triumphales, qui in monumentum victoriæ, & æternam memoriam eorum; qui de Republica, aut Civitate bene meriti, statuuntur. Qui mos apud Sinas æque, ac Romanos invaluit; unde liquet, si veterem memoriam hujus moris repetas, originem triumphalium arcuum non primo à Scipione, ut multi voluit, fluxisse, cui Massanissa subacto loco coronæ aureæ, sellæ curulis, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, scipionis eburnei, reliquorumque triumphalium ornamentorum, arcus in Alpibus exstructus est. In hisce arcubus triumphalibus legebantur tituli, causam structuræ præferentes, insculpebantur & aliarum rerum imagines, spolia hostibus abrepta, triumphi pompa, ferculorum ordo, sacrificia, navales pugnæ, ut in arcu Septimii videre est. Similis extructus arcus in honorem Augusti, hinc inde apparentibus rostris. Similis memoriæ, ut eadem origo, ac huic Turri Porcellanicæ in *Nangking*, fuit triumphalis arcus, qui inter primaria Vetustatis monumenta in urbe *Lingonum* apud Gallos visitur, in ipsis mœnibus excitatus, Germanici exercitus cæsi haud dubie trophæum: qui, cum pugnandi Cæsari *Constantino* copiam fecisset, pro ipsis mænibus & spectante *Lingonum* urbe, obtritus est, sexaginta hominum millibus eo prælio desideratis. Ejus pugnæ pluribus locis extant etiamnum testimonia, Leonum, Equorum, Virorumque statuæ viâ Regia, quæ ad Sequanos pertinet. Hunc triumphandi morem eleganter describit Prudentius:

——— Currus summo miramur in arcu
Quadri jugos, stantesque Duces in curribus altis,
Sub pedibusque Ducum captivos poplite flexo,
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco,
Æraque vestitis numerosa puppe columnis.

Quidam Jesuita Batavis favet.

Circum prisca Sinensium Imperatorum pinetis immixta sepulchreta, quarum Tartari ne vestigia quidem reliquerunt. In hac urbe *Nanking* Jesuita *Manuel de Lisboa* Legatis singularem benevolentiam exhibebat, eosque impense ad convivium invitabat; Sed ob rationes gratiæ illi actæ. Duo tamen ex Comitatu, Secretarius *Baron*, & ego ei annuimus. Splendide nos excepit: aderant quoque alii Sinenses proceres, qui cruce pectori impressa Christianos se esse testabantur. Videbatur is Jesuita vir ingenuus, & Hollandorum liberis commerciis favens. Crebra Legatis dona culinaria misit, ac eos in visit. Legati hinc libenter literas in *Japoniam* misissent: Sed trajectum hac occasione prohibitum referebant. Sinenses ante triennium apud Imperatorem conquesti fuerant, ab intonsis Sinensibus, qui *Suitijen* & *Amey*, subjecti famoso pyratæ *Koxinga*, habitant, sibi injurias in *Japonia* illatas. Respondit Chamus: *Abstinerent ergo navigatione Japonica.* Intonsi Sinenses illi sunt, qui Imperium *Magni Chami* abnuunt,

Legatis Japoniam scribendi ob edictũ Cæsaris negatur copia.

abnuunt, neque capillos Tartarico more radere volunt. Nam Sinâ occupata omnes Sinenses capillos abradere jussi, retenta tantum in syncipite earum parte; quod facere abnuentes (& multa millia erant) omnes contrucidati.

18. Maji discedunt *Nankingæ* cum Imperatoriis navibus.

Quartus jam & decimus agebatur dies, ex quo *Nankingæ* Magnatibus, ut mos, salutandis morati, decima octava Maji summo mane hanc urbium Australis Sinæ reginam *Pekingum* properantes deseruimus. *Nankingam* usque navigiis non nisi conductitiis Legatî usi: hinc *Magni Chami* jussu Gubernatoris utebantur. Magnificæ illæ apparatu; Dracones utrimque distentis rictibus aurei & quinque exertis ungulis formidandi. Varii tota nave receptus, & ut cujuscunque conditio fert, separatim locatur. Musicis crebro tali navigatione Sinenses utuntur ad lætitiam & pompam. Id Imperatoriæ signum gratiæ, flavos præfigere puppibus, transtrisque leones. Binis subvehebantur Legati totidemque *Pinxentous*, & Mandarini; cæteri milites hinc inde per reliquas sparsi; & quinque hæ Imperatoriæ *Magni Chami* naves plures alios *Nankingâ* honori Legatorum societatem suam imputantes, receperunt.

Sinensis ab Idolo prospe- rum iter sacrificiis flagitant.

Postquam Præfectis Magistratuique *Nankingensi* valedictum, ponte quatuordecim navium prætervecto, Pagodam extra aquaticam portam *Suisimon* conspectum *Pinxentou* cum tota classe appulit, sacrificia Idolo itineri fortunando, ut jactabat, offerens. Porci, & Galli jugulabantur cum hircis. Hæc oblatio his peragebatur cæremoniis. Locus oblationis erat altare parvis utrinque Imaginibus conspicuum, retro grandior imago, velut Pagodæ Protector, eminebat, cui hoc fanum primario, reliquis ministris dedicatum. Observatione dignum, quod porci & hirci omni sorde purgati imponebantur aris, gallorum vero sanguine imagines aspergerentur. Interea vero, dum Sinæ in victimarum sanguine eluendo occupabantur, sacrificuli ingeniculantes carmina inter se murmurabant, otioso spectantibus pariter legentibusque onere, cum ipsa vanitate se arguant & passim per Indiam, totumque Ethnicismum obvia spretaque occurrant, nec in Sinis demum quærenda, aut scribenda reperiantur. Simul juncea capsula (de qua latius capite novo) aderat, ex qua calami Sinensinm characteribus inscripti, prominebant, inde sacrificuli certam futurorum prædictionem pollicentur.

Orientem secundo flumine *Kiang* provecti, pago *Wanksien* pernoctavimus, vigesima Maji *Jejenjeen* aliis *Lobo* ultimum, sextumque *Nankingæ*, à qua centum & viginti *Ly* distat, Oppidum, Boreæ *Kiangi* ripæ adjacens, pervenimus, qui Ortum versus se per ostium aliquot milliarium latum in Oceanum Indicum exonerat. Inops plebs ridicula flultitia, cum capitibus mutuo collisis, à nobis, vel risum, vel miserationem extorsisset, & alia jocularia (neque enim ea nisi obiter memorare operis suscepti gravitas permittit) solisque mira ignorantibus exercuisset, stipe accepta nos deseruit.



Situs JENJENJEEN.

Oppidum JEJENJEEN situ ad ripam fluvii *Kiang* jucundo, circuitu exiguum, mœnibusq; non altis, sed firmis cinctum, densa ædificia, & in suburbio, ipsa urbe nihilo infrequentiori, Pagodas aliquot ostentat. Hic varia de piratæ *Koxingæ* audacibus factis fama : *Ut Oppidum hoc expugnare conatus, cum sive civium vigilantia, sive propria negligentia successu caruisset, abductis, quas deprehenderat, navibus in insulas quasdam, reliquis, quarum arripiendi ob civium excursum, non dabatur copia, vulcano consecratis, quæ numero quinque viginti milliaribus ab Oppido Ortum versus ad Oceanum distant, fluvii* Kiang, *quibus tanquam latibulo uteretur, se recepisset.*

Koxingæ pyratæ conatus.

Canalem Regium intrant.

Jenjenjeenâ altero mane profecti apud *Quancheu*, septentrionali *Kiangæ* ripæ adsitum Castellum, lapidei operis, firmique cataractas, Canalis Regii aquas Boream versus præter septimam Civitatem *Yancheu* ad lacum, neque *Piexe* derivantis, offendimus. Fossa hoc per mediam arte ducta planitiem, fluvium *Kiang*, recta hinc Orientem versus Oceano se miscentem nullo in septentrionem exitu, ad Croceum artifice manu ducit; ut minori dispendio terrarumque longa circumnavigatione, mutua utriusque fluminis societas jungeretur, magna commeantium utilitate. Regiæ hæ fossæ tota Sina frequentes, curva fluviorum vel longinqua, sumptuoso apparatu Imperatorum providentia olim per terrarum plana ductæ, corrigentes, præcipuam tanto Imperio gloriam incolisque commoda conciliant.

Primam illa catarracta regiam ingressi fossam, unde in croceum flumen exitus datur, admirabamur magnitudinem operis, elegantiamque. Dispositæ ad vias, qua hominum jumentorumve, naves opera protrahuntur, arbores, & umbræ inserviebant in sole laborantibus & jucundo virore oculos


JAMCEFV.



los ex navibus ſpectantium permulcebant. Occaſum, Ortumque verſus (nam ab auſtro in Boream recta tendit) agri ad utrumque latus fertiles, paſſimque per prata, ſaltuſque armentorum pecudumque greges ſparſi, hinc inde, ſtellarum vice, populoſi pagi, & vici paſſim ambulacris, palatiiſque prominentibus, naturæ artiſque mutuo velut certamine. A ſiniſtra, *Kinkangi* (ita Idolum vocant) Pagodes; haud procul in triangula lingua alius QUANGGUAMIAO ſacer, à Mandarino, ut ferunt, ſuperſtitioſe ſtructus. Regio popularibus caſis, ut amœna pulchroque aſpectu eſt, abundans, multitudinem ad ſacrificia frugum, gallinarum, gallorum, porcorum, hircorum, quiſque ut votis ſuis ſatisfaciat, invitat, aliis proſperum annum, & plena horrea, poſcentibus; navigantes in Boream, auſtrumve ſecundum flumen, & ſine naufragio, tempeſtatibuſque eadem vanitate, doniſque flagitabant, nec Sinenſes Tartarique noſtri abſtinuiſſent impietate, niſi Legatorum talia abominantium obſtitiſſet religio. Facies ejus interior, (nam quidam curioſitate inſpexerunt) eadem quæ alibi; crebra idola catervatim diſpoſita, aræ, & lampades æterno igne ardentes. Pagoda QUANGGUIMIAO.

Vigeſima quarta Maji JAMCEFU, aliis *Yancheu*, ſeptima *Nankingæ* Metropolis obvia, viginti *Ly Jejenjeen* diſtans, ſiniſtræ adjacens ripæ. Vix trium ſpatio horarum circuitum ejus emetiaris. Præcipua ex Sale mercatura, qui ex marinis aquis, eodem, quo apud Europæos, artificio ignibus per ſtantes ad Orientalem urbis regionem cortinas, excoquitur; hinc præcipuæ civibus opes luxuriæ in ædibus, cultuque inſtrumenta. Nuſpiam tota Sina pulchriores fœminæ, pedibus, quod Sinæ decentiſſimum arbi- 24. Maji *Yancheu* appellant.

arbitrantur, brevissimis, & omni ad elegantiam, ut mos genti est, corpore composito.

Fœmineus sexus hic venalis.

Sed magna inde, improbaque mercatura humanorum corporum. Virgines exquisita forma, ad omnem edoctas lasciviam cantu, choreis, carminibus, pictura edoctas emtoribus lucri fame obtrudunt; unde mercimonia hic tota Sina, sexus fœminei; propolæ Magnatibus formas conquirunt, unde opes nefandæ emtoribus, & lasciva propago.

Mandorinus *Pixentou* Publicanum visitat.

Pixentou Mandarinus Legatorum dona (erant enim quatuor pannorum coccineorum telæ) illi, qui telonio Præfectus erat, offerre festinabat, sed procul dubio eo fine, ut rigidiori examine excusaretur, cæteris Sinensium per urbem vagis, nobis interea expectantibus eorum reditum, data fuit plura lustrandi occasio. *Telonium* hac urbe *Magni Chami*, è regione ejus pons sex catenatis impositus navibus, ne quis vectigali non soluto præternaviget. Tres in urbem portæ, quarum ferreis valvis clausa est media, ducunt. Plateæ in rectum procurrentes stratæ silice, sordiumque puræ. Passim fossæ, ac Canales aqua dulci, claraque regiones ejus permeant pontibus ex saxo stratis, quarum potiores viginti arcuati fornice; minorum plurimæ. Canalis manu factus ad Occidentem suburbium mille passus longum separat, olim populo opibusque dives; Tartari majorem partem combusserunt. Idem urbis fatum, dejectis prostratisque ædificiorum præcipuis; sed civium industria brevi adeo jacturam reparavit, ut hodie & novarum elegantia structurarum, Opumque affluentia vix memoriam tantæ cladis retineat. Pagoda turri præcelsa, unde longus in subjecta prospectus, eminet, & fossa urbem suburbio crebris connectit ex lapide firmissimis pontibus. Haud longe sublimis viridisque mons *Heng* Civitati, velut novum decus, addit.

25. Maji discedunt *Yancheu*.

Vigesimâ quintâ *Yancheo* provecti ad dextram, duodecim laterariis conspectis, mox ad lævam inter Sinenses ob sanctitatem famosi *Sultani* sepulchrum præternavigavimus. Meridie pagum SAUPOO appellentes mira Sinensium ludicra, dum novum annum auspicantur, vidimus. Quippe moris apud eos novum annum prima novæ & prima plenæ Lunæ auspicari magnis clamoribus, multisque accensis ignibus. Omnibus undique locis per ædes innumeræ ardentes candelæ speciem incendiorum referebant. Tota nocte per plateas velut cerriti faces Serpentium more intortas spirosasque manibus gestantes. *Pinxentoui* uxor in causa fuit, cur hic subsistendum aliquandiu, quod & ipsa huic festo interesse, illud que celebrare vellet.

LONGSCON, id est, navis hydratica.

Navium mira forma, ingens ad hunc pagum multitudo, quas inter Scapharum genus LONGSCHON dictum, quod significat SERPENTINAS. Nihil illis elegantius: ut regias naves, quibus pisces *Sauel* & *Nankingis Pekingam* deportantur, æquare vel superare mirifica structura videbantur.

Alvus



Alvus navis hydræ formam, alga, ulva & fuco marino undique involuti, quam proxime referebat. Puppis plena Serpentum variæ figuræ; desuper criniti, & lato undique ferro solidati, multis hinc inde linteis diversi coloribus, tæniisque colligati vagis per aëra erroribus, ut ventus flabat, jucundissimo spectaculo ferebantur. Ab Extima puppis curvatura puer dependebat, variis intra extraque aquas gesticulationibus ludens. Tres mali sericeis velis fasciisque ornati, singuli Idolum in summitate ostentabant. Proræ cacumen capite serpentino: ei insidens Idolum, à quo anatum vivarum integer fasciculus in aquas capitibus suis dependebant. In puppis concavo plura vexilla, quæ cirris cincinnisque capillorum, longissimis avium plumis, & ex serico fasciis mirifice ornabantur. Totum navigium sericis fimbriis aureisque cinctum. Tectum nive candidius, super quo duo Heliosteria, quæ *Parasolas* Lusitani vocant & *Sombreros*. Intus duodecim remiges, aureis in capite coronis, serica veste, nudis lacertis, qui secundum tenorem Tympani scenici, aliis Xystri, (est autem instrumentum ex pelle arietinâ, in cujus circumferentia densus æneorum nummorum numerus dependet, simile, quo Europæorum agyrtarum moriones in nundinis ludere solent.) Sinicis suis remis, cochlearis forma, tanto ordine, celeritateque aquas diverberabant, ut navicula fulminis instar, ab una ad aliam celocem non ferri, sed volare videretur. Lætis illi acclamationibus Legatos salutare, faustaque cuncta apprecari, *hos esse illos, qui ab extremo Mundi cardine tantum viæ, Imperatoris videndi causa, emensi essent*, confuso clamore jactantes, & cum eorum benevolentiam Legati aliquo munere compensassent, vota precesque pro eorum incolumitate ingeminabantur. In prora quidam longissi-

longissimis plumis caput ornatus stabat, qui conto anates frequentissime feriens vexansque earum clangore alarumque strepitu cuncta implebat. Hoc arte eximium & ornatu navigiorum genus torpentem excitabat Musam:

Ecce resurgentes hydros, quæ monstra necavit
Maximus Alcides, hic phalerata vides.
Pestifer hisce subest Draco, latet anguis in herba,
Talibus illudens pectora cæca nugis.

26. Maji apdellunt *Kaoyeu.* Vigesima sexta Maji KAJUTSIU aliis *Kaoyeu*, quod quartum Civitatis *Yancheu* Oppidum, ad dextram Canalis Regii juxta lacum *Piexe*, appulimus. Olim cunctæ *Nankingo* per fluvium *Kiang Pekingum* navigantes, longo & periculoso per hunc lacum circuitu, quod tempestatibus sævientibus diu sæpe ad Oppidum *Kiayeu* subsistere cogerentur. Huic evitando incommodo, ad Orientale lacus hujus latus canalem per sexaginta stadia ex saxo quadrato cura Majorum struxit, magno spectantium miraculo, unde illæ saxorum moles in regione rupibus & lautumiis destituta. Alius canalis Regius.

Kaoyeu Oppidum cum suburbiis populosissimum & frequentibus ædificiis refertum. Terra ipsa limosa & oryzæ feracissima. Circum creberrimæ rusticorum casæ perpetua Orientem versus serie, ut unum continuumque, qua conspectus datur, pagum existimes. Occidentalis ora plerumque aquis stagnatur, nisi quod hinc inde ripæ cannarum ingentem copiam producentes, ex quibus publico haud exigua commoda, cum illis Sinæ lignorum instar focos instruunt. Crebras per plana camporum molas, velis junceis instructas, quæ vento circum axem actæ aquas hauriebant, conspeximus, quarum præcipuus usus, agros oryziferos, vel nimia siccitate, Solibusque excoctos irriguos reddere, vel si aquis scateant superfluis, eosdem quantum satis est desiccare, promto per has molas, aquas quo velint, transferunt, artificio; atque hinc fertiles toto tractu agri, nec gleba sterilis reperitur. Procul dubio edocti ab experientia, quam in Regno *Laos* Australis Asiæ meditullio oryzæ feracissimo observarunt, ubi, cum toto anni decursu per bimestre duntaxat spatium pluat, quo tempore coloni id unice curant, ut agri aratro & vomere in opportunos semini recipiendo incidantur sulcos, ne sterilesceret terra, ac siccitate emorerentur segetes, Auctor naturæ Divinæ providentiæ luculentum fecit argumentum. Quippe tota æstate magna aquarum mole intumescunt flumina, & ex montibus *Junnam*; finitimæ Tibet, liquefactæ nives ita illa augent, ut non secus atque Nili aquis Ægyptus, tota Regio inundetur. Oryzæ vero culmum in humidiori luxuriare solo inde didicerunt, quod in hoc Regno, ut & in *Syon* & *Camboya* stirpes semper aquæ inhæreant, & in tantam altitudinem emittant culmum, ad quantam ipsa aqua ascenderit, unde ibidem

Molæ Pneumaticæ.



8



10 10



dem incolæ naviculis insistentes oryzam demetere solent. *Kajutsiuenses* Naturæ in patrio solo defectum molarum artificio ita supplere norunt, ut bis ipsi quotannis uberrimam messem faciant.

Vigesima septima Maji *Kayoeu*, ubi pernoctatum, profecti, PAOING alias *Pauncien* sextum septimæ Civitatis *Yancheu* Oppidum, Orientali ripæ Canalis, rotundâ formâ adsitum, circuitu sesqui horæ, octoginta *Ly Kaoyeu* distans, pervenimus. Ei ad Ortum lacus *Xeyang*, ad Notolybicum mare *Piexe* imminet. Olim ædificiis splendidissimum, quorum nunc dejecta cadavera, ruinæque Tartarorum loquantur ad urbium vastitatem ex ultimo septentrione prorumpentia arma. Ad Boream templum, ut alia, elegans altumque. Canalis Imperatorius recta urbem perlabitur, & hinc inde per cataractas vicinis agris ad fœcunditatem immittitur, cui fini passim molæ aquatiles ad ripas conspiciuntur. 27. Maji PAOING appellunt.

Vigesima octava famosam Civitatem maritimam HOAIGAN sive *Hoaynungam*, quæ octava *Nankingæ* censetur ad Orientalem Canalis ripam, centum & viginti *Ly Panciena* distantem in paludoso solo exstructam, pervenimus. Non una, sed duplex civitas, muro discretæ, unique iterum utraque inclusa, censetur. Ea, quæ Austrum spectat, vera *Hòaigan* est, altera versus Barrapeliotem *Yengching* vocatur. Ipsa *Hoaigan* ingenti ad trium milliarium longitudinem quaquaversum protenso suburbio spectabilis. Ad dextram totus sepulchris campus constratus videbatur. Ibi sedes Proregis, cui septem Australes Provinciæ obediunt, cujus præcipua cura res ad victum spectantes colligere, ac *Pekingam* cum Imperatoriis navibus transmittere. Quare in omnes huc appellentes naves studiose inquirit, ac inde *Pe-* 28. Maji HOAIGAN.

O *kingum*

Tres ingentes Catadupæ. *kingum* merces ablegat. Qua Boream urbs respicit tres ingentes aquarum ductus, velut ad Catadupas Ægypti, unde non navigantibus modo, verum & toti ab inundatione regioni ingens periculum, nisi eorum vis catarractis aggeribusque & perpetua multorum hominum vigilantia coërceretur. Primus horum fluvio *Hoai*, periculosissimus censetur, aquis cum ingenti fremitu præcipitatis. Fluvius *Hoäi* ab Occidente urbem præterfluens, Oceano Indico Orientali aquas suas permiscet, ac nisi ingentibus aggeribus constringeretur intra alveum, plana cuncta & campestria stagnaret.

Altius alia adhuc Catadupa *Tiensi* Sinis, id est, *Cœleste Præcipitium* dicta, unde haud levius præternavigantibus periculum, præsertim tempestuoso cœlo, imminet, quod aquæ fluminis horribili fragore cum ingenti spectantium audientiumque terrore despument. Tam præsenti evitando periculo Imperator aliquot centenos alit viros, qui urgente necessitate, quocunque tempore, naves quarundam rotarum ope trajicere tenentur. Nec tam præceps aquarum impetus coërceri possit, ni per vicinam cataractam præcedentis aquæ motus sisteretur. Duplex in suburbio *Hoaigan* telonium, in quorum uno vectigalia mercibus imposita persolvuuntur: in altero singulæ naves præter Imperatorias tributum pendunt, quæ pecunia in cataractas & aggeres fluminis expenditur & ejus, quod superest, ærario Cæsaris accedit.

Duo Telonia.

Territorii fertilitas. Quanquam vero ager hujus urbis paludosus & uliginosus sit, fertilitate tamen oryzæ & frumenti eam naturæ deformitatem compensat. Ipsa urbs supra multas alias opibus ædificiis eminet. Regio creberrimis irrigua fluviis, ac paludibus fœda; magna maria dixeris, qualia versus Boream mare *Xecho* piscosum, & Oceano Indico approximans, ad Orientem lacus *Hung* arundinetis, quibus vice lignorum utuntur, frequens. Quippe lignis carens, omnis illa maritima ora & arborum sterilis non alio quam ex arundinibus igne fovetur. Plurimæ insuper ad Oceanum cortinæ, quibus salem excoquunt. Montibus quoque crebris *Nankinga* cœlum ferit. Apud sextum Oppidum *Hai* mons celebris *Yocheu*, Pagoda sanctus. Apud secundum Civitatis *Fungyang* septimum Oppidum *Xeu*, mons *Cukin*, in quo massa auri ingens, morbis multis salutare subsidium, unde arte Chimica confectum fuisse aurum credebant, reperta. Apud oppidum *Hintai* eodem tractu mons *Moyang* sive *Pastorum*, quod formosa quondam puella olim artem ibi Pastoritiam exercuisse perhibetur.

Legati *Hoaggan* appellunt. Quam primum Legati *Hoaygan* appulerant, mox *Palankynis*, equis, lecticis adduci jussis, Gubernatorem Magistratumque invisere conabantur. Sed pluvio admodum cœlo, iidem missa Epistola Legatos excusari volebant, gratiis pro bona eorum voluntate & affectu agentes. *Pinxentous* Mandarinus splendido, ut ei mos, convivio nos ea meridie excepit. Vesperi Jesuita quidam Vasco natione Legatos convenit humanus admodum,


MUSA
ANANAS



dum, & ut videbatur, aperti pectoris; sed attonitus satis mirari nequibat: *quo fato in ultimas illas remotissimasque Sinarum oras, & quid ibi acturi, venissemus*, nec aliter ac *cœlo delapsos* contuebatur. Nec obscure significabat, postquam subintellexisset de libera mercatura agi, structas nostris à *Makaoensibus* Lusitanis in *Pekingensi* aula calumnias, & difficilem fore aliquarum rerum successum, id quod exitus probavit. Delectati tam generosa libertate viri Legati, convivio exceptum humaniter, multa felicia apprecantem, dimiserunt.

Haud diu in hac urbe morati, altera die per fertilissimas utrimque & innumeris navibus constratas aquas conspeximus, sole occaso pagum SIAMPU per cataractam non absque periculo, quod *Heytous* aliique Sinenses in majus auxerant, innavigavimus. Tanta hujus pagi inter Canalem Regium & *Croceum* flumen siti longitudo est, ut integra die ejus finem pedibus perambulantes invenire non potuerimus. Ædes & Pagodæ splendidi; ipse pagus Oppidi jura, & telonium, quod à tribus publicanis curatur, habet. Nam quicquid navium Canalem, & *Croceum* flumen ultra citraque commeat, hic excutitur. Unus publicanorum *Suicheeuwensis* natione cunctas naves, quarum erant octo, præter duas Legatorum, visitare conabatur, quod *credere non posse* diceret, octo tam magnas naves non aliis, quam Imperatoriis bonis onustas esse. Nec profuit excusatio ad *Kantonensem* Proregem duas spectare: Ipse propositi pertinax, *malle se*, dixit, *officio suo cedere, quam fidem erga Dominum exuere. Irent* Pekingam; *ibi de injuria, si quæ ipsis fiat, conqueri posse.* Ita ejus obstinatio prævaluit.

Pagum SIAMPU prænavigant.

Pertinacia Publicani.



Pagum NEYNEMIAO transeunt.

Inde NEYNEMIAO pagum perventum valida munitum cataracta duplicatæ structuræ ad majorem aquæ vim inferendam. Olim, ut incolæ referebant, firmissimum ad *Crocei* fluminis, regiique canalis defensionem ibi Castellum, à Tartaris, quod rudera ostentabant, funditus excisum deletumque. Ibi exacta nocte flumen *Croceum* ingressi, aquas ejus crassas limosas viscidas, ut usui humano inidoneæ videantur, admirati fuimus.

Descriptio fluminis *Crocei*.

Ingens hoc flumen, Sinenses *Hoang*, id est, flavum, nos *Croceum* ab aquæ colore appellamus. Quippe fundus ei limosus, dum undis turbatur, croceo sive flavo colore aquas fluminis tingit. Procul paludem lutosam refert: at ubi invectus fueris vim aquarum forti agmine profluentium sentiens, haud amplius de ingenti flumine dubitabis. Nec adversum navigari velis remisque potest; helciariis opus numerosis, antequam eniti navigia queant. Longum octingentis milliaribus, latitudine, ut plurimum, dimidii milliaris vel amplius. Sinenses turbidam hanc, si quando ea uti volunt, aquam injecto alumine fecibus ad fundum secedentibus, præcipitant potabilemque reddunt. Est igitur hic fluvius hujus extremæ Asiæ magnitudine & celebritate nominis secundus. At nihilo propterea magis Sinicas leges veritus ab exteris nationibus egressus Sinam ingreditur, ac veluti odium, quo Sinæ advenas persequuntur, prohibentque, ultus, eluvionibus sæpe circumjacentes Regiones late fædat, mutato sæpenumero alveo, dum limo, quem copiosum vehit, plenus, illum, illiusque vehiculum exonerat. Montes *Quenlun*, quibus ortum debet, omnino Amasæos esse existimo, eosque haud ita procul dissitos ab altera Magni Magoris Regia, quam *Laor* vocant, aut à Regno *Tebet*, imo iisdem in montibus scaturire *Gangem*,

Bengalæ,



Bengalæ, *Meſon*, *Laorum*, *Hiſtoremque Cambogiæ*, alioſque non ignobiles fluvios, qui *Sion* & *Pegu* Regiones irrigant, ipſe locorum, Regionumque ſitus ſuadet: plurima enim maximaque flumina, quæ Auſtrum verſus manant, inde ſuam petere originem, demonſtrant Sinæ. Croceus porro *Sifan* & *Tanyu* immenſos terrarum tractus Sinis minime ſubjectos prætergreſſus ad illorum appulit ditionem, ubi *Lingao* urbs eſt, haud procul à Civitate *King*, Provinciæ *Xenſi*, qua murus ille magnus ſpectat ad Orientem, quem non tam præterlabitur, quam alluit, raditque: mox deſertam illam ſolitudinem, qua in Ortum, qua Boream verſus tanquam hoſtiles campos celerrimo curſu prætervectus ad bis mille plus minus ſtadiorum longitudinem. Ad Auſtrum vertit iter & per *Se* muri magni portam illapſus limites ſtatuit inter *Xenſi* & *Xanſi* Provincias. Inde *Hoan* adit, tunc *Xantung*, per quæ *Kiagnan* Provinciam magnam itineris partem conficit, donec ad *Hoaigan* urbem in mare turbidus adhuc & violentus ſeſe immergat. Olim *Peking* & *Xantung* percurrere ſolitus; at Sinarum induſtria, & labor alveum illius procul avertit, quod Regiones illas in longiſſimam, latiſſimamque fuſas planities ſua exoneratione, exundationeq; prorſus elueret. Nivum tamen reliquere Sinæ, qui antequam *Crocei* ſemitam conmonſtret.

Primâ Junii TANJENJEEN, aliis *Taoyven*, Oppidum quartum octavæ Civitatis *Hoaigan*, ad ſiniſtrum vel Auſtrale *Crocei* latus prætervecti, munitum mænibus terreis ſolidis pariter elegantibuſque, quæ ſuperne lato ex cocto latere firmiſſimi operis ſepimento cincta ſunt. Intra mænia magnifica civium ædificia ſurgunt, juxta Architecturæ regulas curioſe exſtructa: non tam magnitudine, quam populi frequentia & quæſtu excellit. Fertili ſitum

1. Junii Oppidum TANJENJEEN appellunt.



situm agro, sed præ reliquis fructiferarum feraci arborum. Pyra, Poma, Pruna & cerasa mirâ succi fragrantia afficiebant palatum: tam vili veneunt pretio, ut pecuarium nostrum his fructibus bene instrui curaremus. Ingens præterea toto hoc *Hoaiganensi* tractu coturnicum, Phasianorum, perdicum, & id generis alituum proventus.

4. Junii ad THISANG perveniunt.

Inde oram solventes integro triduo *Croceum* navigantes nullo spectabili loco, donec quarto Junii ad dextram sive Boream amæniori loco radici editioris collis adjacens oppidulum TSISANG, appulimus, quod octoginta *Ly* à *Tanjenjeen* situm, absque muris solo munitum Castello, unde, quia civitatis privilegiis destitutum, à quibusdam inter pagos numeratur. Cætera copiosum & frequens navigationibus valde opportunum, unde varias majores civitates quæstu superat. In ipso portu Pagoda jucundo aspectantibus situ surgit.

Pagi natatiles.

Dum ita per *Croceum* inter innumeras classes navigavimus res mira, conspectui nostro oblata, natatiles pagi, quarum hæc est ratio. Ex arundinibus, quas *Bambu* vel *Bamboes* Lusitani vocant, validis super sudibus fune ex *Rotang*, ut appellatur, colligatis tanta densitate, ut nullus aquæ transitus detur, latas contexunt aquis innatantes carinas; iis ex levi materia casas & ædiculas inædificant, quas tegetibus tectas Sinæ cum familia omni, non secus ac terram continentem & copiosa mercatura immigrantes, de loco in locum, ut ratio vel necessitas jubet, vagabundi, & in ædibus suis navigantes, feruntur. Nec velis opus habent ex arundinibus, ut Sinæ alias in universum solent; contis, aut helciariis, si adversum flumen; secundo, sponte aquarum suos hos pagos ducentarum frequenter & amplius familiarum



liarum, quo volunt, transportant. Ubi subsistere commerciorum utilitas suadet, palis terræ impactis natantem pagum, velut jacta ancora, alligant. Quod Europæis inusitatum invisumque memoria dignum judicavimus. Neque solum talibus inhabitant pagis natantibus Sinæ; verum longe major numerus ætatem perpetim in ipsis navibus degit, ubi cum familia & pecore, quingentarum sæpe Jonckarum una quasi societate inita, civitates maritimas, sed hinc inde divagantes repræsentant. Dixeris, ubi vela expandunt vel remos aquis ad migrationem immittunt, aut tractione promoventur, integras transferri civitates, ac fugere terras. Præcipua iis porcorum cura. Ubi locum appulerunt, mensibus aliquot persistere soliti, communem inter se, quanquam diversis orti regionibus, linguarum, sensa animi exprimendi, comminiscuntur rationem, cæteris accolis non intellectam, de qua latius in parte ultima Legationis capite secundo agitur.

Haud diu provecti alium ex Croceo Occidentem versus per *Xangtung* profluentem Canalem Regium nomine *Jun* ingrediebamur. Omnis Provinciæ *Xantung* fortuna ab hoc canali, mediam secante, pendet; quippe alius nullus tota Sina *Pekingum* navibus datur transitus. Initium ejus versus Boream à nono oppido *Socien*, ubi ex *Croceo* flumine derivatus navigabilis humana industria factus fuit; inde *Ciningam*, *Lincegam* porrectus fluvio *Guei* hauritur. Et quia aquæ passim minus profundæ magnis navigiis sustentandis, sexaginta & amplius cataractæ secto lapide firmissimi operis, aquas pariter attollunt & deprimunt, prout valvæ sublatæ, aut remissæ cursum aquarum vel suspendunt, vel laxant. Nondum media inter *Ciningam* via ex palude *Cang* ingenti cataracta aquæ ejus, quantum necessitas poscit, augentur.

Canalis Regius *Jun.*

gentur. Et quia palus altior circumjacente regione humili, octo contiguæ cataractæ, Sinis *Tungsea*, vim aquarum incumbentem ex alto coërcent. Ad paludis unum latus canalis, aggeribus utrimque incumbentibus, naves transmittit, ne paludem transire cogantur. Octo singulis cataractis robusti viri sumptu publico, qui navibus aditum aperiant, claudantque, præfecti.

Ita provecti fossa *Juno*, *Nankinga* post tergum relicta, *Xantungam*, ejusque primum sexta Junii pagum *Kia-Kia* appulimus.

Quartæ Provinciæ *Xantung* descriptio.

Xantungæ Australe, Orientale & Boreale latus Oceano alluitur, cætera ad Occidentem fluminibus cingitur, ita undique navigabilis est. Versus Septentrionem *Peking*, in Austrum *Nanking* sitæ sunt, à quâ per flumen *Croceum* separatur. Reliqua Canalis Regius *Jun*, & fluvius *Guei* ambit. Regio omnis frumentorum & esculentorum ferax, ob paludum & fluviorum irriguam copiam, tam uberi proventu, ut unius anni fertilitas decem annorum commeatum incolis suppeditare dicatur. Avium, ferarumque copiosissima venatio: aquæ piscibus scatent: decem libræ quatuor obolis emuntur. Sericum non à bombycibus, ut alibi, sed alio vermium genere, quod haud absimile erucis est, per arborum ramos passim producitur: unde tenuia fila instar instar telarum araneæ à Sinis collecta, sericeas vestes suppeditant. Ingens pyrorum, castanearum & prunorum copia, quæ cæteris Regionibus communicantur.

Incolarum indoles.

Incolæ rudi ingenio, pauci doctrinam capiunt, corpus validum laboris & frigoris tolerans, animus audax. Pueri nudo corpore in glacie & nivibus volutantur, rigentes aquas insiliunt, qua etiam in lucem prognati abluuntur. Latrociniis dediti, & in exercitus sæpe prædonum coëunt. Multa ultimo bello passi, quod indomabiles Tartaris nunc faverent, modo iterum ab iis deficerent.

Metropoles sex sunt, urbes nonaginta duæ, tredecim munitiones. Metropoles sunt *Cinan*, *Yencheu*, *Tungchang*, *Cingcheu*, *Tengcheu* & *Laicheu*.

CINAN prima Provinciæ Metropolis à *Ci* maximo hujus Provinciæ fluvio nomen habet, ac olim isthic Regum *Cy* erat Regia, quibus exstinctis ab Hanâ Familia urbi *Cinan* nomen factum, quia vere ad *Ci* fluminis australem partem jacet, quod *Cinan* significat. Hæc ædificiorum splendore ac magnitudine inclyta paludoso jacet loco, lacubus intra & extra mænia, præcipue ad occiduam civitatis partem lacu *Taiming*, ex quo canalis ad lacum *Choyng* intra eadem mænia excurrit, ex quibus Sinarum industria per universam urbem ducti canales eam ubique naviculis perviam reddunt, nihilominus, ingenti pontium ex secto lapide firmissimi operis numero, pedibus ubivis transitus datur. Inter quos pons *Pehoa* pluribus fornicibus arcuatus eminet, qui insulam cognominem in dicto lacu *Taiming* connectit, contiguo ad alteram usque ripam ductu: ad urbis Australem partem duo supra septuaginta numerantur fontes, ex iis *Kiuto* reliquos aquæ præstantia superat. Idolorum, heroumque hic fana plurima, sed decem

cem illuſtriora, quorum reliquos antecellit fanum. *Tungo*, ab *Hoangtio* fabricatum, in quo ſcribunt Reges omnino duos ſupra ſeptuaginta, abdicato rerum mundanarum ſtudio religionem coluiſſe. Triginta ſub ſe habet civitates, *Cinan*, *Changkieu*, *Ceuping*, *Chagxan*, *Sinching*, *Cibo*, *Citung*, *Ciyang*, *Chihuen*, *Iuching*, *Linye*, *Changcing*, *Fiching*, *Cingching*, *Ling*, *Taigan*, *Sintai*, *Laiuu*, *Te*, *Teping*, *Pingyven*, *Vuting*, *Yangſin*, *Haifung*, *Loling*, *Xangho*, *Pin*, *Licin*, *Chenhoa* & *Putahi*. Quarum primariæ ſunt *Taigan* & *Vuting*.

Yencheu ſecundæ Provinciæ Metropolis territorium ad Auſtrum fluminibus *Croceo*, Boream verſus *Ci* circumcingitur; apud Sinas magnæ æſtimationis, quod Philoſophorum Princeps in eo natus ſit, innnmera paſſim gratæ poſterorum memoriæ etiamnum monumenta exſtant. Regio ipſa fertilium camporum amænitate læta piſcoſis lacubus & fluviis ſcatet. Quinimo circa *Kiuhiang* auriferam regionem volunt, nam ipſa vox auream ſonat patriam, quod præcipue ex *Kinye* monte olim hauriebatur. Viginti ſeptem numerat civitates, *Yencheu*, *Kioheu*, *Niuyang*, *Ceu*, *Teng*, *Ye*, *Kiuhiang*, *Yutai*, *Tan*, *Chinguu*, *Cao*, *Cao*, *Tingtao*, *Cining*, *Kiaciang*, *Kiuye*, *Kiunching*, *Tungping*, *Venxang*, *Tungo*, *Pingyn*, *Iangco*, *Xeuchang*, *Y*, *Tanching*, *Fi*, & *Suxui*. Quarum primariæ ſunt *Cao*, *Cining*, & *Tungping*.

Tungchang tertia Provinciæ Metropolis jacet in ipſo ſinu, quo *Guei* fluvius & Regius canalis *Jun* in unum confluunt, unde ex univerſa propemodum Sinâ naves ac merces excipit. Quapropter telonio inſtructa eſt, in quo portorium mercium ac vectigal à triplici exigitur Præſide. Nec magna inter lacum *Nanyang* & ipſam Metropolim datur diſtantia. Solo in planities pariter ac fertiles agros diffuſo gaudet. Bombyces magnam ſerici copiam hic concinnant. Urbs ipſa celebris eſt ac magnifica; extra mænia conſpicitur turris novizonia; figurâ octogonâ, cujus exterior paries ex ſubtiliſſimæ Porcellanæ argilla eſt, artificioſis figuris extantibus, ac picturis exornata: interior variegato veſtitus eſt marmore, quæ adeo plana, lævigataque ſunt, ut adinſtar terſiſſimi ſpeculi, præſertim dum nigriora ſunt, aſpicientium vultus exhibeant. Quam turrim ipſemet conſcendi, & oculis diligenter perluſtravi. Ditione ſua civitates duodeviginti complectitur, *Tungchang*, *Tangye*, *Poping*, *Choangping*, *Kieu*, *Sin*, *Cingping*, *Keu*, *Lincing*, *Quontao*, *Kaotang*, *Gen*, *Hiacin*, *Vuching*, *Po*, *Fan*, *Quonching*, & *Chaoching*. Quarum primariæ tres *Lincing*, *Caotang*, & *Po*.

Cingcheu quarta Provinciæ Metropolis ad dextram fluminis *Pelang* jacet, haud procul à fluviis *Si* & *Hiaquei*, per quos navibus in Sinus *Cang* patet aditus; qui magnam territorii partem prope ſibi ſubjectas urbes *Logan*, *Xeuquan*, *Chuching*, *Gechao*, alluit. Tanta hic agrorum ex maris fluviorumque fæcundatione laſcivia, ut nullibi rerum neceſſariarum major copia, aut vilius pretium. Piſcium multitudo tanta, ut vel ex ſolis Squartiatum (*Segrin* vulgo vocant) pellibus magnum faciat lucrum. Mo-

deramine suo quatuor & decem civitates dirigit, *Cingcheu*, *Lingchi*, *Pohing*, *Caoyven*, *Logan*, *Xeuquang*, *Changlo*, *Linkiu*, *Gankiu*, *Chuching*, *Mungin*, *Kiu*, *Yxui*, (quarum primariæ) & *Gechao*.

TENGCHEU quinta Provinciæ Metropolis, qua Ortum, Occasum & Boream spectat, maritima est, & in insula sita, quamvis territorium maximam partem continens sit. Mons *Chevii* ad Boream urbis maris impetum coërcet. Ad fluviorum fauces duo munimenta exstructa sunt, *Xechin* & *Chin*. Ob maris viciniam ostrea hic copiosa dantur, & præter naturæ ordinem arundines quadratæ luxuriant. Octo civitatibus Imperat. *Tengcheu*, *Hoang*, *Foxan*, *Leuhia*, *Chaoyven*, *Laiyang*, *Ninghai*, quarum primaria est *Venteng*.

LAICHEU sexta Provinciæ Metropolis ad lævam. Fluvii *Ye* jacet, qui se in Oceanum exonerat. Ejus territorium, in promontorio situm tertiam partem mari alluitur, cætera montes claudunt, in littore octo numerat munimenta, scilicet, *Haicang*, *Punglai*, *Kixan*, *Gueihoi*, *Siaoye*, *Chingxan*, *Chingai*, *Ningcin*. Singula ad certam maris linguam exstructa, eâdem fere distantiâ. Lacum piscosum *Hiang* gremio suo concludit. Qui tanta fæcunditate interiores agros irrigat, ut nulla rerum necessariorum inopia sit. Septem regimine suo moderatur civitates, *Laicheu*, *Pingtu*, *Vi*, *Changye*, *Kiao*, quarum primariæ *Caomie*, *Cieme*.

Tredecim Regio hæc maximam partem maritima ad sui custodiam numerat munimenta, præcipue ad fluviorum fauces erecta, ubi maris recessus, aut navium statio datur, quorum varia magnitudine ac populi merciumque frequentia magnis civitatibus comparare liceat. Eorum hæc sunt nomina, *Ningcing*, *Cinghai*, *Chingxan*, *Gueihai*, *Sanxan*, *Kixan*, *Civenxan*, *Mauan*, *Siaoye*, *Haicang*, *Punglai*, *Cin* & *Xechin*.

Hujus Metropolis territorium septentrionem versus in sinu *Cang* sex insulas *Cingui*, *Pingyang*, *Maxe*, *Tung*, *Xamuen*, *Caomiao*, à parte mendionali totidem, *Sialao*, *Talao*, *Tenheng*, *Kiu*, *Yuxa*, *Suifo*, ad Occasum unum *Fevyeu* jurisdictione complectitur. Quarum præcipuæ sunt *Fevyeu*, non magna quidem, sed culta tota. *Tienheng* prope *Caomie*, deplorando celebris casu, quo quingenti Philosophi præ Imperatoris *Xii* tyrannide generosam eligentes mortem se in mare præcipites dederint. Nam *Xius* odio vaticano in literas tenebatur. Et *Xamuen* incolis frequens, omnium maxima in sinu *Cang*, ubi commodissima navium statio, ex qua in Coream, *Peking*, *Leaotung*, facilis est trajectus, maxime opportunus ad magnas expeditiones locus.

Liber Sinicus, in quo singulorum locorum viritim adscriptus habetur numerus, in hac Provincia censet familias septies centena & septuaginta millia familiarum, quingentas insuper, & quinquaginta quinque, 770555. Virorum sexagies septies centena & quinquaginta novem millia, sexcentos & septuaginta quinque 6759675.



Tota Provincia *Chamo* pro tributo ſolvit milii, oryzæ & tritici duodetrigeſies centena, duodecim millia, centum & novemdecim ſaccos 2812119. Serici confecti voluminum quinquaginta quatuor millia, nongenta & nonaginta, 54990. Goſſipii librarum quinquaginta duomillia quadringentas quadraginta novem, 52449. Pro Regiis equis ſtraminis ac fæni faſces trigeſies octies centies & viciesquater mille ducentos & nonaginta 3824290. Præter vectigalia teloniorum, quorum tria habet in fluvio *Jun*, per quem omnes naves *Peking* tendunt; licet mercium portorium leve ſit ac exiguum, tanta tamen earum varietas & copia, ut ipſemet illud ad decem milliones, ſeu centies centena aureorum millia à Præfectis computari audiverim, præter id, quod clanculum ſibi inde Præſides ſurripere, ac in rem ſuam convertere norunt.

Pagus KIA-KIA fettilibus undique arvis paſcuiſque ingentem, qua conſpectus patet, planitiem mira jucunditate, nullis niſi verſus Orientem montibus occurrentibus, repræſentat. Roriſmarini uberior ibi & copioſior, quam in Velavia Ericæ, proventus; unde odorifer late ſe diſpergens mira nares jucunditate è longinquo adhuc titillat. Ferarum aviumque arbores pariter campique pleni, cervi cum fœminis phaſiani, alaudæ gregatim; unde Tartaris noſtris per avia diſcurſantibus ferina in promtu, ipſis mirantibus, quod diſcurſantes cervas, vel phaſianos medio volatu dejiceremus. Carnes ob roriſmarini depaſtionem, ſapidiſſimæ, grato illo infectæ odore, non ſecus ac ſi arte incoctæ eſſent. Situs KIA-KIÆ.



Pagum JAX-HINNO prænavigant.

Triduum provecti regia fossa *Juno* undecimâ Maji pagum JAX-HINNO, sex & triginta altissimis, sumtuosisque regia liberalitate structis conspicuum turribus appulimus. Vix luce orta cursum promoventes inter amœna planaque camporum, Sole oriente altissimis montibus quasi obstipato. Quorum præcipuos commemorare volupe erit. Mons *Tai*, *Taiganam* sextum altitudine, si fides incolis, ut quadraginta stadiis sublimior Solis ortum paulo post mediam noctem ostendat, plenus cellularum, quas Eremicolæ sacerdotesque Pagodibus inservientes, in eo exstructis, habitant. Haud procul decimo octavo ejusdem civitatis Oppido *Laiuu* mons *Taxe* ferri inexhaustis dives venis. Mons *Fang* secundo civitatis *Yancheu* Oppido *Kiocheu* adjacet, celebris parentum magni Sinarum Philosophi Confutii tumulis, quem Imperator *Xius*, cum adversam sortem ex montis figura à montilogis illis impostoribus percepisset, quinquies mille hominum sudore perforari jussit, ut fatalem impediret influxum, quo mons hic alteri Imperatori Regnum portenderet. Quartum Oppidum mons *Ceu Changping*, natalis Confutii, ut perhibent, locus, attingit. *Fungum* montem octavnm & decimum ejusdem Civitatis Oppidum saltibus agrisque fertilibus instar undulati serici variegatum spectantibus ostendit.

Tam vastus hujus Provinciæ ambitus est, ut præter dictos montes numerosos contineat lacus, quorum ripæ spectantium oculos Fanis, Palatiis, Cænobiis, Musæis, Sylvis, hortisque amænissimis mirum in modum pascunt, horum præcipuos, ne lectori injurii simus, enarrabimus. In secundâ Metropoli *Yencheu* prope civitatem *Cao* lacus *Lui* est, quod tonitru significat, in medio ejus lapis, tanquam phora, conspicitur, imâ parte draconis, summâ

hominis



hominis formam referens; hunc Sinæ tonitrui Spiritum superstitiose colunt, audacter effutientes, ad illius ventris contactum subito fragore intonare cœlum. Haud procul à Civitate *Ven* lacus *Nanvang*, Naumachia illustris, amæno situ spectantibus occurrit, in quo Duces milites ludicra subinde pugna instituunt pugiles, quo paulatim præliis navalibus assuescant. Imperator *Hiaovus* olim cum bellum in Australiores Provincias meditaretur, ubi omnia navibus atque aquis abundant, suos ad certamina futura ludicris hisce exercitationibus instruebat, ut ibi, non secus, atque apud Romanos, militiæ tyrocinium statuerent. In lacu *Tingting* datur insula natans, in qua splendidum monasterium eminus conspicitur, cujus molem arundinum & arborum radices sibi mutuo implicatæ & implexæ, mediis in undis pendulam, quasi in æqui librio sustinent, atque ob continuam succrescentiam solutionis periculum secure excludunt. Hic lacus ingenti inundatione dicitur exortus, unde præter hanc aliæ numerantur populosæ, Cænobiorum plenæ, quæ sacerdotes, Idolorum cultui vacantes, tranquille colunt.

CINNINGSIU quartum & decimum secundæ Metropolis *Yengcheu* Oppidum Legatos splendide, cum ob perruptum *Crocei* fluminis aggerem ipse abesset Gubernator, per *Kantonensis* Proregis Junioris Ablegatum excepit. Quingentis & septuaginta quinque *Ly* à *Tanjencien*, & medio regii Canalis *Jun* intervallo situm, commerciis pariter vectigalibusque prætemavigantium floret; unde non omnia modo, quorum viginti septem numerantur, verum ipsam quoque Metropolim *Yengcheu* magnitudine, populo, opibus, ac splendore superat. Ipsum antiqua structura Oppidum, densis intus ædificiis, duos sublimes Pagodas, copiosum suburbium, duasque cara-

13. Junii appellunt CINNINGSIU.



cataractas aquis coërcendis, quæ sæpius sex altitudine pedum internas superant, ostentat. Solum late paludibus deforme, & pigris aquis suffocatum. Proxime *Cinningam* palus *Nannang*, aliquot milliarium circuitu piscosissima. Fons *Tao*, Confutii, quanquam siti laborantis, abstinentia, quod nomen illud aquam prædatoris significaret, clarus tertium Civitatis *Yencheu* Oppidum nobilitat.

Avis LOUWA, & mirus cum ipsa piscandi modus.

Sed præcipuum apud *Cinningam* non assuetis prodigium erat, mirus piscandi per avem modus, quem paucis commemorare animus est. LOUWA ales vocatur, corpore infra anserem, haud multum corvo absimilis, collo protenso, rostro aquilæ, sed impensius contorto.

Modus piscandi talis est. Piscatores scaphis ex arundine suo modo artificiose compactis, insidentes transtris aves *Louwa* secum in flumina mariave devehunt. Illæ ex navicula in undas missæ admirabili celeritate urinantes piscem sub aquis captum extus deglutiunt; mox manu piscatoris in scapham attractæ, rictu vi diducto, eum ingluvie expuere coguntur. Ita denuo, & quoties visum, in aquas conjecta eodem modo, tanquam nassa, captis piscibus scapham nullo domini labore implent. Ac ne pisces, quarum esca impense delectantur, in stomachum trajiciant, annulo ferreo ingluvies constringitur: ita pisces nullo transitu dato in extimis faucium partibus, donec expuatur, conquiescunt. Si vero major, quam ut fauces subintrare possit, sit piscis, eum rostro prehensum magnis ad piscatorem, ut auferat, clangoribus deferunt. Segnities earum in urinando piscandoque immitibus castigatur plagis, ita ut pennæ earum vi corpore avolent. Ubi pensum absolvisse videntur sufficienti captura, annulo exolutæ, sibi pisces capere, & ventrem

trem implere permittuntur, unde prompta eorum in Dominos obedientia. Nec hæ, mirum dictu, Cæsaris annuo tributo exemptæ. Inde precium avibus, prout artificii hujus assuetæ. Unica sæpe quinquaginta argenti Toelis vendita, quæ centum & quinquaginta circiter florenos valent. Senex incanus piscator à nobis rogatus: *Num venales ipsi tales aves, & ubi nascerentur*, negavit se iis carere velle, quod illorum venatu familiam aleret. *Originem earum aut patriam se ignorare, à majoribus ad se hæreditate transmissas, generare illas, sed lenta ac diuturna expectatione.* Piscatori capturam fere ex carpionibus, quorum nonnulli longitudine sesqui spithamæ & fere libram ponderantes pretio persolvimus, novitate rei & miraculo haud parum exhilarati.

Similem piscandi modum *Joannes Gonzala de Mendozes* capite vigesimo secundo libri primi partis secundæ Historiæ Sinensis, postquam admirandum ex ovis anates excludendi & educandi artificium explicuisset, describit his verbis: *Educationi anatum quidam piscationis modus industria non cedit. In singulis civitatibus, quas fluvii alluunt, Rex domos habet, in quibus corvos, quos marinos vocant, numerose alit, qui illis, quibus pisces ova projiciunt, mensibus ad piscationem adhibentur hoc modo: Corvos è caveis eductos ad fluminum ripas, ad quas multas in circulo scaphas aqua semiplenas constituerunt, portant, illisque longam sub alis cordam annectentes, arctantesque filo fauces, ne pisciculi in stomachum illabantur, projiciunt in aquas, in quas avide se demergunt, donec quidquid inter rostrum & supremum stomachum interjacet, pisciculis impleverint, tunc eadem celeritate emergentes in aquas scaphæ capturam evomunt, vacuo deinde gutture piscationem quatuor horas sæpe reiterantes, donec justum piscium numerum scapharum aquis infuderint. Tum liberatis filo faucibus eosdem in aquas ad piscationem suo servituram alimento, quo ob pridianum, quod agere coacti fuerunt, jejunium egregie indigent, remittunt. Ita tertio quoque die per omnes menses, quibus durat piscatio, ad exercitium redeunt. Illo autem trimestri eam capiunt pisciculorum abundantium, ut suo tempore integro sufficiant, atque exiguo admodum pretio, Regno, suppetantque locis semper pisces recentes etiam à mari remotissimis.*

Diversoria singula Musicis scenicisque ad omnia voluptatum exercitia per pagos abundant. Comœdi, dum hospites convivantur, multiplices pretioso, ut videtur, habitu, & quales ipsi (ad sunt enim libri) desiderant, promte recitantur, voce plerumque canora, & tremula. Tam vili omnia hic pretio veneunt, ut duo Maas, quod Hollandicæ monetæ duodecim stuferos fere æquat, laute tractarent hospitem, nulla præterea in Comœdos impensa, quod nobis præcipue mirum videbatur, unde & pretiosarum vestium & reliquum apparatum tam exiguo lucro acquirere possunt. *Diversoria propriis instructa scenicis.*

Cinninga altero die discedentes pagus NANWAIG ad sinistram Juni, ubi fluvio *Luen* miscetur, excepit. Mira nobis Tartarorum pariter & Sinen-



& Sinensium visa fabula, si novem bacillos injicias, sex Austrum, tres Boream versus vergere. Visa res experimento digna, & deprehensa veritas: nam vix conjectis in flumen novem bacillis, mox sex in Austrum, reliqui ad Boream flectebantur, causam ipsi reddere poterant nullam. Sed haud difficilis conjectura ex vario adversorum fluminum motu, ac plerumque fortuitum est. Pagoda quidam, quem Regium Serpentem vocant, è regione erat, cum bacillos aquæ immitterem.

19. Junii veniunt XANTSUI. Vigesimâ nonâ ejusdem mensis tertium & vigesimum Civitatis *Yengcheu* Oppidum XANTSUI, aliis *Xeuchang*, centum & quinquaginta *Ly Cinninga* distans ad utramque Regii Canalis Juni ripam vasto extentu & inexpugnabilibus Castellorum molibus situm pervenimus. Quadra forma, ambitu sesquihoræ, validis muris: intus pleraque inculta & longo, præter Tartaricam vastitatem, ævo exesa. Palus extra Oppidum, ubi olim Pagodam cum sacrificulis ob impietatem terra haustum referebant, nobis ostensa. Propius vero eluvione *Crocei* fluminis integras sæpe, ruptis aggeribus molibusque cum pagis regiones absorbentis, undosa hæc & paludibus scissa locorum subinde fieri.

Xantsui summo mane abeuntes densis undique ab utroque latere pagis & cataractis, unde haud parum iter retardabatur nostrum: quippe à *Xantsui* ad *Lincing* octo & quinquaginta cataractas transivimus. Haud longe *Xantsuio* eminentissimus Pagodarum TEYWANMIAO, non tam altitudine spectabilis, quam mole sua, & elegantia. Prævalido cinctus muro, cujus ima ex lapide secto, suprema coctilibus rubro viridique colore. Ipsum templum eadem structura ex saxo, tectum cinabarino intus colore, extus

Pagoda TEYWANMIAO.


TUNCHAM.



20.

extus imbricibus flavis (color is Imperatori convenit, & magnatum præcipuis) quibus Sole radios ſuos immittente flamma auri æmula erumpebat, Draconibus paſſim aliiſque Sinarum monſtris variegatum. Frons & ſecreta intus characterum mirabili ductu arcana vel nomina cultorum Idoli deſignantia. Cætera, ut in aliis, plena ſimulacrorum variæ magnitudinis: Retro hortus paradiſi imagine ad ſpectantium delectationem variis arboribus plantiſque conſitus.

Vigeſima Junii tertia *Xantungæ* Civitas TUNCHAM ſive *Tunchang*, horæ quadrato ambitu nonaginta *ly Xantſuia* diſtans. Nullam tota via munitiorem natura, vel arte urbem conſpeximus. Duæ intus præcipuè crucis forma interſectæ plateæ. Medio earum exceſſum quatuor fornicibus diſcretis tectaque aſſurgente altitudine ſingula Palatium, velut umbo, attollebatur. Portæ quatuor munitionibus ſingulæ inexpugnabili robore. Boreum latus aquæ foſſa ingenti, quam Pons ſublicius centum & triginta ſeptem paſſunm longitudine ſternit, innumera commeantium turba ſemper gravis; ea quippe unica in ſeptentrione in urbem via. Ad Auſtrum amplo inſignis ſuburbio magnitudine alteram civitatem repræſentante. 20. Junii *Tunchang* perveniunt.

Ædificia templaque pro dignitate loci. Orientem verſus Pyramis ferrea ſepulchro cujuſdam Herois, ob merita à civitate gratitudinis ergo jam ante ſeptem ſæcula impoſita, inter varias multipliceſque de ea fabulas incolæ oſtentabant. Pyramis ferrea.

Regio circumvicina in omnia frugum genera, imprimis olerum, fructuum, ſegetum ferax ſe effundit: ſed nuſpiam copioſior ſerici proventus, unde opes tantæ incolis. Verſus tractum quartæ civitatis *Cingcheu*, viginti hinc in Ortum diſtantis milliaribus, ex vaccarum ventriculo Lapis *Nieuhoang*, id eſt, *Flavum Vaccarum* ovi anſerini magnitudine, cretæ inſtar friabilis flaveſcenſque, Bezoar mollior (unde & nonnulli eum pro Bezoar jactant) exſcinditur. Mira de ejus viribus Sinenſium Medici prædicant: *Frigidiſſimum, ita ut ferventem injectus aquam ſtatim ejus ebullitionem ſiſtat, & frigida adſperſum vaporare, hinc defluxionibus ſiſtendis idoneus.* Lapis *Nienhoang.*

Mons hoc tractu apud undecimum Oppidum *Caotang* nomine *Mingxe*, quod *Lapidem Soni* denotat. Quippe, ut ab incolis *Fungchan* auditum, in ſummitate ejus centum alta perticas columna, quæ digito tacta inſtar tympani reſonat, & hinc monti nomen. *Palus Ho* apud ſeptimum & decimum Oppidum *Quonching*, in quo referunt Imperatorem *Guei* olim grues curioſa induſtria aluiſſe. Nam hodieque harum regionum indigenæ pleriſque in domibus grues cervoſque alunt, quod longævarum animalium continuo & domeſtico aſpectu eorumque anhelitu vitam prolongari arbitrantur. Nox apud *Tungchang* in navibus exacta, Orta luce magno labore prætervecti piſcoſum lacum *Nanyang*, Mons *Mingxe.* *Palus Ho.*



Legati veniunt LINCING, & à Præside excipiuntur.

Oppidum LINCING sive *Linxinsui*, centum & viginti *Ly* ab urbe *Tungching* attigimus. Ea ad utrumque Canalis *Juni* latus porrecta, ubi jam desinit & fluvio *Guei*, *Xantungam Pekinga* disterminantis absorptus, nomen simul aquasque perdit. Vix appulsos Præfectus, *Pinxentouo* aliisque Mandarinis prævertentibus, in sellis inter eos juxta mœnia considens, Legatos excepit, professus, *excusationem hanc æquis auribus admitterent, quod cum nondum* Magnum Chamum *salutassent, eos aula sua excipere, neque munera admittere posset, id quod revertentibus illis haud gravatim facturus esset.*

Frequentissima *Lincingæ* navigatio est. Quippe ad ostium Canalis *Iun* fluvii *Guei*, ubi aquæ eorum coëunt, sita, omne mercimoniorum naviumque totâ Sinâ genus recipit, telonio ditissimo ob permeantium frequentiam, quod à tribus publicanis exigitur. Atque hæc commoditas præcipuam inter reliqua octodecim Oppida Civitatis *Tungchang* incolarum ædiumque multitudine *Lincingam* facit. Utrumque latus *Iuni* totidem Castellis validis clauditur, prohibitum, ne quis absque venia, aut vectigali transeat. Duæ insuper cataractæ aquis fluvii *Guei*, quæ altitudine aliquot pedum Canali superiores sunt, excludendis. Urbs, qua Boream spectat navali ponte novem pontonibus contexto, & facile dissolubili, transmittendis, quæ vectigal solverunt navibus, conjungitur. Ad utrumque latus parvum ex ferro tormentum conspiciebatur. Oppidum densis constructum intus ædificiis in sabulosa planitiè, vallo cinctum triangula forma, circuitu fere bihorii, jacet. Copia fructuum ingens, imprimis pyra sapida, quæ ætatem ferunt.

Extus



Extus mœnia Boream versus PAGODÆ sublimis TURRIS, in quam cochlea ascenditur, unde latus in jacentia secus canalem *Jun* & fluvium *Guei* terrarum prospectus. Formâ Turris octangulâ, novem contignationum, quarum singulæ novem altitudine cubitorum; ut tota ejus altitudo nonaginta cubitis constet, justa simul latitudine. Superficies non ex limo, sed terra subtilissima, unde Porcellanæ excoquuntur, variis picturata imaginibus. Parietes intus ex marmore variegato, tanta politis, ut speculi instar imagines excipiant reddantque inspectantibus, præcipue marmor nigrum. Ambulacra & porta, quæ novem ex solido marmore imaginibus variis inciso: ad angulos laterum campanulæ levi aëris impulsu suaviter resonantes, dependent. Fenestræ ferro inaurato clathratæ, unde radii Solis fulgentissime emicant. In cacumine ex gypso triginta altitudine pedum forma fæminea, cui turris sacra, simulacrum argento auroque extus inductum. Circum turrim varii Pagodæ templaque præcipuo per Sinam honore. Eximia Turris extra *Lingcing.*

Lincingæ Pinxentous uxorem, liberos & reliqua impedimenta deposuit, ipse nobiscum *Pekingam* profectus. Ibi quoque mortalitate exutâ tubicen noster *Verman*, in Pagoda Magistratus permissione sepultus, postquam quadraginta annis & amplius eo munere perfunctus erat. Hic obiit in solo à Patria remotissimo, memoriæ ergo hoc Epitaphium reliquit Musa:

Abstulit occasus Verman, *dum tendit in Ortum.*
Qui toties Batavis classica signa dedit.
Buccina delabitur manibus, dum spiritus efflat,
Tranquillæ nequiens clangere pacis opus.

 Emen-



Emensos Regium aquæ ductum *Jun*, eo Prelicto *Lincing* fluvius *Guei*, limes *Xantungam* inter ac *Peking*, nos excepit. Fontes ejus apud quartam *Honanæ* Civitatem *Gueihoei*, unde multis mæandris Orientem versus *Xantungam* à *Pekinga* dividit, donec exacto profluvio, Sinu Oceani *Cang* nonaginta milliaribus hinc distante, hauritur. Orientem versus provecti vigesima quinta Junii quartum decimum civitatis *Tungchang* Oppidum UCIN vel *Vuching*, centum & viginti *Ly Lincinga*, attigimus. Dextram ea, ad Austrum *Guei*, in ultimo *Xantungæ* margine ripam quadrata forma stringit, & ipsa Tartariæ furoris monumentum miserum. Ager circumjacens amœnitate vallium colliumque spectantes delectat; sed præcipuum à piscoso naviferoque *Gueio* commodum incolis ac emolumenta. Ita naturam in exornanda hujus Oppidi ubertate certantem quasi colluctantemque videas, terra an aquæ majora beneficia præbere possint.

23. Junii UCIN attingunt.

Anteaquam urbes, quas in hac Provincia *Peking* permeandi data fuit occasio, describamus, ejusdem situs, fines, & Civitatum numerus, ut in reliquis, præmittendi sunt.

Hæc Provincia, in splendore aliarum facile princeps, ab ipsa Metropoli *Peking* nomen habet. Hæc Imperii & Aulæ sedes ab eo tempore fuit, quo familia *Taiminga* ex urbe *Nanking* in Boreales hos tractus, arcendis velut ex propinquo Tartaris, migravit. Sinus *Xanchai* inter *Koream* & *Japoniam* Orientale latus alluit, versus Barropeliotem *Leaotung*; ad Boream murus, & Veteris Tartariæ pars in Occidente *Xansi*, à qua longâ montibus serie, Sinis *Heng*, separatur, sitæ sunt. Flumen *Croceum* eam, qua Notolybicum, à *Honan* separat, *Guei*, qua Austrum & Notapeliotem spectat, cum *Xantung* conjungit.

Aëris

Aëris ibi, quanquam quadragesimum secundum gradum vix superet, frigus, & glacies quatuor sæpe mensium, jumentorum & curruum ferax: navibus omnibus gelu adstrictis. Hyems Novembri incipiens non ante Martium desævit. Una die undæ concrescunt, quas vix multorum dierum tepor resolvet. Regio sicca, sed plana & salubris, magnam partem ob arenas & deserta sterili solo; sed aulâ, ad quam toto imperio cuncta confluunt, illum defectum compensat.

Feles candidissimæ, auribus dependulis, villosæ, quas Meliteorum Catulorum instar fœminæ alunt; sunt & aliæ murium captatores. Iter capessitur jucundo & grato artificio, in curru unirota, trium hominum capace, duo ad latus, in medio unus sedet. Currus ab aurigâ perticis propellitur, mira celeritate, & absq; ruinæ periculo. Hinc error in Sina currus vento agi.

Olim *Peking* in plures divisa Regiones, *Jeu*, *Ki*, & alias. Hodie octo Metropoles. In universum centum triginta quinque urbes: Vicorum & pagorum innumera multitudo. Octo Metropoles sunt: *Xuntien*, sive *Peking*, *Paoting*, *Kokien*, *Chinting*, *Xunte*, *Quanping*, *Taming*, & *Jungping*.

XUNTIEN, sive *Peking* prima Provinciæ Metropolis Imperatoria sedes est, de qua infra latius. Viginti sex urbibus jura dat, *Xuntien*, *Xuny*, *Changping*, *Leanghiang*, *Mieyun*, *Hoaijo*, *Kugan*, *Jungcing*, *Tungan*, *Hiangho*, *Tung*, *Sanho*, *Vucing*, *Paoti*, *Cho*, *Fangxan*, *Pa*, *Vengan*, *Taching*, *Paoting*, *Ki*, *Jotien*, *Fungjung*, *Cunhoa*, *Pingko* & *Que*. Quas inter excellunt, *Tung*, *Cho*, *Pa* & *Ki*.

PAOTING secunda Provinciæ Metropolis ab Imperatore *Chuenhioo* structa ante Deum natum, annis bis mille quingentis, ad ripam fluvii *Un* jacet. Qui ex montibus *Ye* exortus à Borea in Occasum urbem circumdat, unisque mæandris insulam *Pehoa* efformat. In confinio *Lienhoa*, qui exiguitatem amænitate compensat; nam floribus ejusdem nominis, de quibus alibi actum, in conviviis maxime desideratis, civibus ac accolis delicias præbet. Circa fluvium mons *Lan* verticem tollit, nemorum colliumque fertilitate commendabilis. Viginti urbes territorio complectitur, *Paoting*, *Muonching*, *Ganso*, *Tinghing*, *Sinching*, *Thang*, *Poye*, *Kiagiu*, *Jungching*, *Huon*, *Ly*, *Hiung*, *Khi*, Xince, *Tunglo*, *Gan*, *Caoyang*, *Singan*, *Ye* & *Laixui*.

HOKIEN tertia Provinciæ Metropolis, quod inter flumina sonat, à re ipsa nomen accipit; quippe hujus territorium à variis fluminibus ad modum insulæ cingitur. Quæ piscium, ut & Cancrorum melioris notæ feraces sunt, ob maris viciniam, nam terminos ejus Oceanus alluit, ubi latissimi sunt campi, in quibus sal ex marinis aquis concrescit. Ipsa urbs jacet ad extremitatem Canalis, qui Boream versus è fluvio *Chochang* egreditur. Agris maximam partem in fertilem planitiem effusis. Duodeviginti civitates moderamine dirigit, *Hokien*, *Hien*, *Heuching*, *Soning*, *Ginkieu*, *Kiacho*, *Cing*, *Hingci*, *Cinghai*, *Ningcin*, *King*, *Ukiao*, *Tungquang*, Kuching, *Cang*, *Nanpi*, *Jenxan* & *Kingyun*. Omnibus antistat *Chang*.

CHINTING quarta Provinciæ Metropolis jacet ad ripam fluminis *Kikutho*, quod territorii Austrum, & Boream montes *Heng* claudunt; qua Orientem solem spectat urbs, ingens ac magnificum templum Idolis dicatum, cujus partem posteriorem magna occupat aula in novem divisa cænacula, ad quinque contignationes assurgit, easque triginta & centum cubitis altas. In adyta interiori statua angusta, & ingens magno elaborata artificio (*Quonin* Idolum vocant) muliebri virginis figura ad tres supra septuaginta ascendit cubitos. Civitates numerat triginta duas, *Chinting*, *Chinking*, *Hoëlo*, *Lungxeu*, *Khoching*, *Loching*, *Uukie*, *Pingxan*, *Heuping*, *Ting*, *Sinlo*, *Kioyang*, *Hintang*, *Ki*, *Nancung*, *Sinho*, *Caokiang*, *Vuye*, *Cyn*, *Ganping*, *Jaoyang*, *Vukiang*, *Chao*, *Pehiang*, *Lungping*, *Caoye*, *Lincing*, *Ganhoang*, *Ningcin*, *Xin*, *Hengxui*, & *Yuenxi*. Præcipuæ sunt *Ting*, *Chao*, & *Xin*.

XUNTE quinta Provinciæ Metropolis conspicitur intra montium cacumina ad ripam amnis *Tung*, qui ex lacu *Talo* ortum habet. Qui fructu aquatico, *Linkia* dicto, per universam celebratur *Sinam*. Hic fructus tribuli fere figuram habet, adinstar triangularis pyramidis undequaque prominens. Cortice viridi, & crassiori est, ad apices rubescente, dum siccatur ingrescit, interiori substantia albissimâ, sapore castaneæ nucis, magnitudine tres, quatuorve æquat. In stagnantibus aquis per totam Sinam seritur; planta foliis est exilibus, longissimo tractu per aquæ summam superficiem proserpentibus. Hic optima & subtilissima arena reperitur ad gemmas poliendas miride ac tripoli melior est, abradit enim, nec offendit. Novem sub ea civitates sunt, *Xunte*, *Xaho*, *Nanho*, *Pinghiang*, *Quangcung*, *Kiulo*, *Thangxan*, *Niukieu* & *Gin*.

QUANPING sexta Provinciæ Metropolis, cujus territorium fluviis *Si* & *Ming*, qui ex flumine *Guei*, & *Chochang*, qui ex lacu supra dicto scaturit. Hic nihil notatu dignum occurrit, quam quod Sinæ hic Heroem apparuisse volunt, qui incerti pueri animum tantæ sapientiæ idæis imbuit, ut primo summus Philosophus, deinde ob scientiam præcipuus Imperii Præfectus evaserit. Novem civitates jurisdictione complectitur, *Quanping*, *Kiocheu*, *Fihiang*, *Kice*, *Hantan*, *Quangping*, *Chinggan*, *Guei* & *Cingho*.

TAMING septima Provinciæ Metropolis, ad radicem montis *Talo* posita est. Hæc maxime Australis hujus Provinciæ urbs est, cujus territorium ad Boream *Guei* fluvius, ad Austrum *Croceus* claudit: qua patet fluminibus lacubusque irriguum. Lacus in eo octoginta stadiorum ambitu delicatulis piscibus abundans. Mira soli fertilitas & amænitas. Divisum ab *Yvo* in duas olim Provincias, pars Borea ad *Kicheu*, Australior ad *Yen* pertinebat, illa sub asterismo *Xe*, hæc sub *Pie*. Hic *Xanga* antiquissima familia quondam Imperii sedem tenuit. Hodiernum nomen à *Sunga* familia habet. Undecim recenset civitates, *Taming*, *Taming*, *Nanlo*, *Guei*, *Cingfung*, *Nuihoang*, *Siun*, *Hoa*, *Kai*, (quarum primariæ sunt) *Changyven* & *Tungming*.

JUNGPING octava Provinciæ Metropolis non procul à fluvio *Lo*, jacet ad radicem montis *Jang*, varios emittentis torrentes, qui urbis, Notolybicum circumfluunt; recta in Ortum ab urbe Regia protenditur Territorium ejus, opportuno ad Imperii Sinici custodiam loco positum, sinu maris *Cang*, fluminibus, montibusque circumdata parvo terrarum spatio sex civitates complectitur, *Jungping*, *Ciengan*, *Vuuing*, *Changly*, *Lo*, & (quarum primariæ est) *Loting*.

Yenking, *Jungping*, *Paogan* tres extra ordinem civitates sunt, quæ contra Tartarorum subitas excursiones atque impetus, si forte murum perrumpere conarentur, optimis ac munitissimis à natura locis conditæ sunt, in eis militum Præfecti habitant. *Prima* vitibus, atque uvis luxuriat, vinum tamen non exprimunt, potu ex oryza elicito contenti, tanta præstantia, ut vinum ne ab Europæis quidem desideretur. *Secunda* Boreali ripæ fluminis *Lukeu* seu *Sankan* imposita est, magno ex secto lapide ponte, eidem fluvio superstructo, fulget. Ad Notolybicum urbis rudera priscam gloriam jactant. Nam ab *Hoangtio* exstructam civitatem antiqua obsoletæ vetustatis memoriæ vestigia testantur.

Quatuordecim numerantur hujus Provinciæ ad celeberrimi illius muri tutelam condita munimenta. Inter quæ *Siven* urbis, dignitate gaudens ac privilegiis, reliqua ambitu, & populi frequentia superat. Multa militum millia alit. Hic rerum, quæ ad bellum & victum spectant, annona datur. Ex qua reliquis provideri solet. Chrystallus lucidissima, marmor ac Porphyrites effoditur è vicinis montibus. Flavis scatet felibus, quarum pelles à Sinis expetuntur. Nomina Munimentorum sunt: *Siven*, *Vanciven*, *Hoaigan*, *Caiping*, *Lungmuen*, *Chang*, *Gan*, *Cheching*, *Juncheu*, *Vuning*, *Yu*, *Iungping*. At omnium maxima sunt, *Xangai*, & *Tiencin*.

Xanghai munimentum ingens jacet in *Cu* insula, ubi Sinus maris in Boream protenditur, in quem ex Tartaria *Linhoang* fluvius illabitur, ibi altissimi montes, atque ipsum mare facillimam efficiunt muri defensionem. Post ingressum Tartarum per *Leaotung* ingenti præsidio tum navium, tum militum fuit instructum, & tanquam frænum objectum Tartaro.

Tiencin Munimentum in ultimo Sinu maris *Cang*, ac angulo jacet, ubi totius Provinciæ flumina concurrunt, altissimaque ac fortissima mænia longissimo tractu prætergressa mari se immiscent. Emporium, quod de opibus, ædificiorum splendore, ac loci capacitate cum reliquis certat. Ex mari, mediterraneisque Sinarum locis huc omnes confluere debent naves, unde earum copia in tantum accrescit, ut biduo ad ipsas, quæ ad utramque ripam stationem firmarunt, lustrandas opus sit. Optima quæque hic vendi solent, eo quod mercimonia ibi liberiora sint, nec impositum vectigal.

Liber publicarum rationum, qui totius Imperii censum continet, numerat in hac Provincia familias quater centies & octodecies mille, nongentas, & octoginta novem, 418989. Virorum tricies quater centena, quinqua-



quinquaginta & duo millia, ducentos,& quinquaginta quatuor,3452254. præter magistratus & milites.

Tributum, quod ex oryza, milio vel tritico pendet, sunt sexies centena & unum mille, centum & quinquaginta tres sacci, 601153. Non laboratæ byssi ducentæ & viginti quatuor libræ, 224. Ex serico confecto quadraginta quinque millia, centum & triginta quinque libræ, 45135. Gossipii tredecim millia, septingentæ & quadraginta octo libræ, 13748. Salis pondera centum & octoginta millia, octingenta & septuaginta, 080870. Ad Regios equos alendos straminis fascium septies & octogies centena triginta septem millia, ducenti & octoginta quatuor, 8737284. Exceptis teloniis & vectigalibus.

26. Junii KUCHING appellunt. Vigesimâ sextâ Junii KUCHING primum Provinciæ *Peking*, & quartumdecimum tertiæ Civitatis *Hokien* Oppidum, ad lævam Septentrionem versus fluvii *Guei* nonaginta *ly Vuchinga* distans in campestri amœnaque planitie, circuitu bihorii, situm, accessimus. Haud diu morati, quod imminens jam *Pekingæ* proximitas festinare juberet, ultra provecti ad utramque *Guei* ripam campos arboribus, gossypii feracibus, abundantes transmisimus, unde copiosa ibi ejus telæ mercatura.

27. Junii TACHU perveniunt. Vigesima septima TACHU aliis *Ukiao*, duodecimum tertiæ Civitatis *Hokien* Oppidum, in conspectu fuit. Septuaginta *Kuchinga* distans in quadratâ dextræ *Guei* ripæ adjacet, muro triginta altitudine pedum firmissimo cincta amplis utroque fluvii latere suburbiis. Tanta ibi Jonckarum navigiorumque multitudo, ut magnam diei partem illis prætervehendis insumserimus. Sedem ibi propriam, & ut loquuntur nostrates, stapulæ jus



21.



jus coctores cerevisiæ Sinensis *Sampsou*, sive *Sanpe*, quæ ex oryza premitur habent; unde toto Regno Tartari Sinensesque & ipsi incolæ eum potum impertiunt.

Sinæ, verum an fabula sit perinde; multa hic de lacus *Vo* apud secundum Civitatis *Hokien*, *Hien* Oppidnm, decem à *Tachu* milliaribus prodigiis narrabant: *Lapidem in ejus aquas conjectum sanguinis instar rubescere, folia arborum ripis impendentium, ubi deciderint, vi aquarum mox in volantes hirundines converti*, & qualia vulgi commenta ad lubitum credulorum aliæ quoque gentes comminiscuntur, vel opinione deceptæ falso credunt.

Vigesima octava celeriter prætervecti tertium decimnm Civitatis *Hokien* Oppidum Australi ripæ sagittæ procul jactu adsitum TONQUAM sive *Tungquang*. Unicum præ paucis privilegium hoc habet, quod soli Sinenses, Tartaris seclusis, eam præsidio custodiunt. Quadrata & ipsa, ut pleræque, horæ ambitu, amplo muro latâque fossâ, jucuudo passim arborum per campos prospectu. Ipsa regio Civitatis *Hokien* terra pingui limosaque Orientem versus; ubi Oceani Indici fluctus littora plangunt, ingentes salinis pleni campi, ac planities. 28. Junii prætervehuntur TONQUAM.

Oppidum in medio foro leonis ex fuso ferro imagine celebre, cum *Pinxentous* jactaret, ejus elegantiæ videndæ studio ingressum cupiebamus; sed negarunt cives, & metu panico ad lares suos confugientes se Batavorum oculis subducebant cuncti, unde portis clausis, exteriora contemplari contenti discessimus ad navigia, quibus Legati vento fluvioque secundis ad certum propellebantur pagum, ubi nos in mediam noctem præstolabantur, donec adveneremus. Nobis parum refectis narrabat hospes,



hunc pagum ædificiorum populique frequentia platearumque latitudine plures civitates superare. Multa alia mira nobis *Pixentous* & alii Sinæ referebant, quæ hanc civitatem commendarent. Hic obviæ arbores ineffabili navigantibus arridebant amænitate, fructu *Lungyæ*, id est, oculus Draconis, gravidæ, paulo minor ac rotundior fructu *Lichni*, de quo alibi actum, ut cerasa fere Europæa majora, pelle tamen aliquantulum *Lichni* duriore, magisque squamosa constat. Exsiccatum Sinæ per totum Imperinm ad delitias distrahunt, qui tamen ob suavioris succi exhalationem recentibus multum cedit. Succus expressus, quem Sinenses vinum vocant, suavitate palato gratus.

2. Julii Oppido SANGLO appropinquant.

Secunda Julii Oppido SANGLO ducentis & viginti *ly* à *Tonquam* dextræ *Guei* ripæ adjacente, appropinquantes Tartaros quamplurimos (id quod hactenus factum non fuerat) obviantes, adventum gratulaturos, habuimus. Oppidum ipsis maximâ humanitate deducentibus ingressi, ad Ortum quinque priscos Arcus Triumphales conspeximus. Conscenso multis gradibus vetusto muro, ut urbem lustrarem, nil nisi vastitatem Tartaricam reperi, & urbem in urbe quærebam. Sed suburbia splendida non minus quam ampla, densis ubivis ædibus, ac magna mercaturæ frequentia: an hæc à Tartarorum fuere intacta, vel ex cineribus renata, incertum.

Colloquium Præsidis conjuge.

Præfecti uxor quosdam nostrum milite misso ad se evocavit, exceptosque humanissime (triginta Tartaricæ puellæ pretiosis unionibus vestituque ornatam honoris ergo stipabant) considere ad sinistram jussit; multa de *Olancæ* (ita Hollandiam nominabat) statu, fœminea curiositate inquirens. Quæ referebam, aperto Batavorum pectore dixi: hic animi candor

tanto-



tantopere placebat, ut per reiteratas ad potum invitationes linguam ad uberiorem patriæ nostræ explicationem ſimul invitare videretur. Subinde bellariis (præcipue fructibus *Muiganli*, id eſt, pulchræ mulieris prunis, figura ellipticâ aut ovali, adeo magnâ & præclarâ, ut Damaſcena longe ſuperent) potuque laſſos quaſi, à via reficiens. Excuſabat illa multis mariti *Pekingam* profecti abſentiam, eamque cauſam eſſe, cur Legatos pro meritis ac dignitate excipere non potuiſſet. Dum vero Legati ipſius maritum è *Magni Chami* intimis ex interpretibus perciperent mox munus & quædam rarioris facturæ gratitudinis ergo miſſa, libenter admiſit.

Alta adhuc die *Sanglo* profectos veſpera in TONNAU ſtitit, qui è regione validi Caſtelli Tartarorum inſeſſi præſidio pagus, caſas ex limo furnorum inſtar viliſſimæ ſtructuræ habebat. Quadrata intus vacuaque area, ſuperne fumo tranſmittendo foramen, & feneſtra accipiendo lumine ac janua ad latus: nulla inſuper conclavia; ita Tartaris placet. Vulgus in hoc tractu ultra fidem rude, continuis ſe mutuo rixis deprædationibuſque conficiunt; furto & rapinæ omnino dediti. In pomæriis magna ſylvarum imprimis mororum denſitas, tantæ molis reperiuntur arbores, ut craſſitie octoginta hominum amplexum ſuperent; imò ſunt, quæ intra trunci cavitatem octo & triginta homines recipiunt. Vera latronum latibula. Moros, ut Europæi vites, quotannis putare ſolent, nec in altas arbores excreſcentiam tolerant, quod minorum folia præſtantiorem byſſum ac filum producere longiſſimo annorum experimento edocti, atque hinc primam texturam fili à ſecunda optime diſtinguunt. Ea eſt, quæ à vernis illis molliculiſque ac delicatioribus foliis, quibus bambyles aluntur, prodit, altera ab

Pagum TONNAU adeunt.



æstivis ac durioribus. Tantam operis mutationem affert, vel sola cibi varietas in subtilissimis illis animalculis, quæ holoserici stamina tanta copia producunt, ut ex solo eorum quæstu delicate queant vivere, quorum abundantia procul dubio horum vitiorum causa fuit. Noctu hic morantibus, incendium in Mandarini *Kantonensis* Jonka fortuitum, accurrentibus civibus pariter, ac militibus, qui præsidia in Castello agebant velut contra, prædones, qui ibi frequentes ex vicino Castello Tartaris haud levem trepidationem injecit; sed mox flamma uvidis vestimentis aliaque materia oppressa, desedit.


3. Julii SINKICIEN attingunt.

Tertiâ Julii septimum Civitatis *Hokien* Oppidum dextræ sive lævæ *Guei* ripæ impositum quadraginta *ly Sanglone* distans, SINKCIEN, sive à quibusdam per literarum contractionem *Cing*, attigimus. Oppidum hoc ambitu exiguum, sed populo commerciisque grave. Ædificia extus intraque urbem priscam ejus testabantur felicitatem. Regio pingui gleba, unde arborum segetum fructuumque uber proventus. Magna armentorum imprimis ovium ac caprarum copia, & rivi piscosi; præcipua tamen cancrorum gloria. Rari alias toto tractu *Hokiensi*, cui subest Oppidum *Cing*, montes; sed hic satis alti, quos inter à Sinensibus *Si* celebratur pastoribus pariter agricolisque ab pascua fertilesque campos habitatus. Nascitur in his planta Æolica, sive herba ἀνεμόδεικτος, æque ac in Provincia *Quantung*, *Chising* dicta, quasi ventorum herbam dicas, ex cujus geniculorum pluralitate, vel paucitate non modo nautæ ventorum copiam, verum etiam ex nodorum à radice distantia, quo mense tempestates incepturæ sint, prædicere posse, vana superstitione præsumunt. Sunt præterea in his monti-



montibus arbores, ut & in Provincia *Junnam* & *Kiangsi*, quarum ligna inter pretiosiores merces merito connumerari possunt; *Aquilinum*, & *Calambanum* vulgo dictum, quæ ætate, non specie discrepant, dum adhuc tenerum, & in florida ætate, *Aquilinum*, dum annosa & maturior evadit, *Calambinum* dicitur. Ejus pretium in odore, licet, dûm recens non adeo fortem spargat, ut ætate provectior. *Calamba*, cujus odoris fragantia vix suavius datur, eo quod in multis internodiis, cum jam adoleverit, vis osmetica efficacior sit, non item in Aquila, ob humiditatis necdum bene compactæ, ac facile resolubilis abundantiam. Hic passim in Sina magno pretio venditur, at in India centuplo lucro distrahitur, præsertim *Brachmanibus*, qui pyra ex illo exstructa in magna solennitatis die, quo fœminæ vel se ipsas ob maritorum amorem incendio consecrant, aut magnorum meritorum virorum cadavera comburuntur, singulari rituum insolentia utuntur, nam stolide credunt, Deastros suos hujusmodi odoribus vehementer delectari, animabusque defunctorum in transmigratione propitios fieri.

Quartâ Julii octavum Civitatis *Hokien* Oppidum, triginta *ly* à *Sinkicien*, Oppidum SINKOCIEN celeri navigio prætervecti, parvum quidem, sed elegans variisque juxta propugnacula speculis munitum. Res inter navigandum amænissima, integros sæpe videre lacus floridos, non sylvestribus illis, minimeque frugiferis, sed domesticis pariter ac hominum manibus satis, quorum culturâ singulis annis renovatâ semen intra ipsas projicitur aquas, quinimo in hortis ac viridariis, & in ipsis Palatiorum atriis intra vasa testacea, limo & aqua repleta, Magnates illorum tam pulchritudine tum amænitate allecti, excolunt, ac educant. Domus exiguæ 4. Julii SINKOCIEN.



ac humiles, cæterum illustribus plenum Pagodibus, quos inter præ reliquis extra muros prope flumen spectatoribus admirationem artificio suo movere poterat. Tres contignationes fornicatæ. Lato pedi saxeo, in quem octo gradus ducebant, innitebantur. Infima magnis veluti portis vel fornicibus pervia columnis ad latera altis suffulta, quibus tectorum ex prima contignatione moles incumbit. Media foraminibus fenestrisque Sinico more, columnisque tectum sustentantibus ornabatur. Suprema ejusdem formæ. Extrinsecus variæ picturæ, aliaque statuariorum ornamenta. Tecta, quorum prominentiis cymbala ærea appendebantur, Draconibus monstrisque obsessa. Sed interiora ejus sine ornatu: Simulacra parieti plurima triplici ordine innixa. Id Sinensium religionem arguit, quod toto Imperio æque gravia Pagodis tributa ac privatorum possessionibus imperantur, unde reditus Sacrificulorum, quanquam ingentes, multum imminui solenr.

Pagodæ Telonio subjiciuntur.

Neque eadem in Septentrionalibus Provinciis, quæ versus Austrum Idolorum cultura. Passim prostratæ neglectæque jacent imagines sub puro Jove, & vili sæpe amiculo in ludibrium, aut stramineo pileo contra cœli injuriam tectæ conspiciuntur.

In agris SINGLE mirabilis locustarum venatus.

Eadem die Oppidum SINGLE sive *Cinchai* quod nonum Civitatis *Hokien*, octoginta *ly* à *Siuko*, prætervecti amplo dilatatum suburbio ad utramque *Guei* ripam. Ad lævam Occidentem versus Pagoda sublimis verticem attollebat, qui inter arborum nemora muro interclusus erat, cujus cum videndi desiderio flagrarent quidam nostrorum, Interpretes *Virginum sacrarum cœnobium virisque inaccessum dixerunt*. Ad dextram & alius Pagoda,



7



7.

Pagoda, ibique tres ſepulchro cujuſdam præfecti impoſitæ honoris ergo Pyramides prominebant.

Circa veſperam mirum nobis ſpectaculum locuſtarum in illas regiones ad fructus agroſque depaſcendos, unde magna ſæpe annonæ caritas, adventus conciliavit. Quippe omnes ejus tractus incolæ, expanſi vexillis turmatim, velut ad bellum, egrediebantur tuendis contra hoſtilem locuſtarum exercitum agris ſuis. Singulis illæ annis hoc menſe Orientali vento advectæ innumerabilibus agminibus cuncta ſata & quicquid viride intectumque depaſcuntur. Ergo agricolæ paſſis vexillis tæniiſque per aëra vario motu circum agitatis, ingenti clamore cœlum implent, cunctis paſſim late reſonantibus locis. Quiſque cum ſua familia ſociiſque proprios agros tuetur, contentus locuſtas inde in viciniam expellere. Altis affixa perticis vexilla utraque manu ſine intermiſſione vibrant, iiſque auras verberant clamore maximo; unde turmatim advolantes locuſtæ inſolito perterritæ ſono motuque aëris, interdum recedunt ac alibi, ubi, minus cuſtodiæ, cuncta radicitus depaſcentes, denſa nube conſident. Quem hoc tangit infortunium, ei annus periit. Tum vero agricolæ felici ſucceſſu adeo percelluerunt locuſtas, ut agminatim in flumen *Guei* præcipitatæ undis mergerentur, quod cum fieret, noſtræ naves adeo iis conſtratæ jacebant, ut pedem, niſi iis ejectis, promovere nemo poſſit. Mira locuſtarum captura.

Eadem adhuc die maritimam urbem TIENCIENWEY, quæ & *Tiencien*, principem tota Sinâ portum Emporiumque attigimus. Tres quippe Sinæ portus. Primus *Kanton*, ſive *Quaucheu* in Provincia *Quantung*. Secundus *Jencien* in Provincia *Peking* ad ſinum *Cang*, ubi tria maxima Borealis Sinæ flumina triquetram inſulam firmiſſimo Caſtello munitam confluxu ſuo efficiunt. Regio humili ſitu, ac hyeme aquis per paludoſa loca ſtagnantibus fere inacceſſa, quod Caſtelli firmitudinem haud parum auget. Ipſa urbs *Tiencienwey* centum & viginti *ly* à *Singlo*, quadrata forma, muro quinque & viginti pedum altitudine, octo paſſuum latitudine, validiſque propugnaculis munita eſt. Circuitu non adeo magno, verum denſa ſplendidiſſimorum Pagodarum ædificiorumque ſeries, & ob totius quaſi Sinicæ navigationis compendium parem toto Imperio vix Sina habet, quippe omnium & Oceano & fluminibus *Pekingam* tendentium claſſium communis receptrix. Unde perpetua ibi innumerabilium navium ultro citroque tendentium etiam ſpectantibus incredibilis multitudo, quam mercaturæ omnibus hic exercendæ libertas vectigalibus ſoluta in immenſum auget. Et quanquam ipſa urbs intra mediocritatem ſit, ſuburbiis tamen adeo vaſtis ſpacioſiſque Palatiorum, Pagodarumque plenis undique extenditur, ut ei granditate ſimile in Sina non viderimus. Unde nobis maxime probabile eſt, hanc eſſe illam *Pauli Veneti* decantatam ad miraculum Europæiſque fabuloſam creditam *Quinſay*, licet *Martinius* eam *Hancheu* eſſe putet. Eâdem die TIENCIENWEY appellunt.

Arx



Arx Tiencien.

Arx triquetræ superstructa insulæ, quam tres concurrentes fluvii cingunt quadrata forma altis crassisque in sublime Pyramidis instar muris adscendit, præsidium urbi & universæ Regioni circumsitæ. In hoc munitissimum ac celeberrimum totius Sinæ Castellum ludebat Musa:

Hanc Sinæ struxêre suis in finibus arcem;
Quæ mediis undis surgit ad astra poli.
Tartaricas experta faces, bellique furorem,
Sæpius hostiles risit acerba minas.
O Sina! humanis peccantem legibus arcem
Instruis, atque Deum vis tua jussa sequi.
Hinc Tiencina *dolis & inexpugnabilis armis*
Corruit, & victas dat gemebunda manus.


Proxime advecti mænia, ibi pernoctavimus, orta luce mox mutuis consiliis agitatum, qua methodo Legatorum causa juxta Gubernatoris mandatum Cæsareæ Majestati proponenda foret. Post crepusculum ipse Præfectus cum Magistratus Præside Legatos in navibus salutatum venit, eosque salute mutuâ peractâ honorifice excepit. Verum Mandorinus *Pixentou*, ut sui venerationem tacite innueret, astu effecit, ut primus in salutando honos ipsi, dein Legatis deferretur. Ille juxta decretum Legatorum adventum *Magno Chamo* indicaturus, à Seniori Prorege *Kantonensi* delegatur, ut terrestri itinere eorum adventum anteverteret. Quos Legati cum Præfectorum reliquis in illustri Pagodâ convivio magnificentissimo exceperunt, eo fine, ut mutuis votis deliberaretur, ad quæ maxime in Curia

atten-



attendendum foret. Legatis, toto itinere in instructione Interpretum occupatis, id unice curæ fuit, ne tam magnifica Legatio optato careret successu: hinc indies dicenda tacendaque inculcabant, sermonis brevitatem, & respondendi tarditatem summopere commendantes; hac cautela ad Aulam usque repetitâ, ut ad mutua responsa attenti identica, non vero contradictoria, dicerent, ne ex præpostera interpretatione Legatorum fides *Magno Chamo* suspecta foret: ut rem proponendam succincta methodo, ut rei gravitas postulabat, explicarent, ne Legati toties repetitis quæstiunculis in præsentia tot illustrium Virorum turbarentur *utrum immediate ex Hollandia? Quis literas* Magno Chamo *destinatas, subsignaverit? Quo titulo Batavicæ Societatis Gubernator gauderet? Quo jure hæc loca possideant? Qualis sit Reipublicæ forma?* In cujus explicatione postea anxie laboratum fuit, dum Sinis Monarchia duntaxat perspecta sit. Ab his & similibus, si non curiosius fieret examen, abstinerent, expresse voluerunt Legati, ne Tartarorum animos novarum rerum narratione confunderent.

Mandorinus *Pixentou*, cum hæc & ejusmodi motiva à Legatis clare distincteque proposita, ac media, quibus Magnatum favor aucupandus, ac via ad liberam per universam Sinam mercaturam munienda, sufficienter demonstrata & inculcata forent, mediâ nocte se terrestri itinere ad Cæsaream *Pekingæ* Metropolim contulit. Legati cum universa pompa navigiis ipsum insequentes undecima Junii per canalem fluvii *Chaoleang* octavum Civitatis Imperatoriæ *Peking* Oppidum JOESWOE centum & octoginta à *Tiencin ly* ad Occidentem situm appulerunt, quod circuitus dimidiæ horæ munitum populosumque, tanta ibi transeuntium navium multitu- Oppidum JOESWOE attingunt.



dine, ut ripæ terrarumque conspectum eripiant; quippe telonium hic celeberrimum, ditissimumque, cui Cæsar Publicanum præficit, ad portoria ultro citroque tendentium navium exigenda. Quandoquidem in singulis Provinciis tributorum summa, tum in istis decem, quæ in limine itinerarii nostri annotatæ, tum in his quinque, quas peragravimus, expressa sit, quæna singulæ annuatim Imperatori solvunt, exceptis portoriis & vectigalibus, attamen, quantumvis sedulus, expiscari non potui, quantum singula telonia Cæsari annuatim pendant, (quod procul omni dubio ob teloniorum multitudinem incredibilem summam facit) non enim in libro Sinico, qui omnium Provinciarum censum continet, exprimitur, quia rationem istam sibi vel intimis Consiliariis, qui secretiora tractant, reservat. Unde Imperator Telonas pro lubitu eligit, constituit, suspendit, abrogat. Præfectus Legatis eadem magnificentia in palatio suo, ut *Nankingæ* factum, exceptis, munera, quæ gratitudinis ergo offerebant, abnuit, communi usus deprecatione: *Cæsare nondum à Legatis viso, id non licitum*, Lagenulas tamen aliquot rosacea aqua plenas, gratissimique odoris non detrectavit.

12. Julii Oppidum FOEHEEN appropinquant.

Altera die duodecimâ Julii sextum & vicesimum Civitatis *Peking*, sexaginta à *Joeswoe ly*, sinistræ ripæ paulo remotius appositum Oppidum FOEHEEN, quæ & *Que*, mole quidem non magnum, sed Sinico more, Ædibus, Palatiis, Pagodis, Turribusque novem contignationum ac Triumphalibus Portis & speculis, ac machinis bellicis splendens appulimus. Hic uber florum *Quei*, quod nomen cum civitatis nomine fere coincidit, per totum territorium est proventus, qui licet nullibi per totam Sinam copiosior, quam in prima Metropoli decimætertiæ Provinciæ *Quangsi*. Nascitur autem



tem flos in procera arbore, quæ foliis laurum vel canellam æmulatur, colore flavescente, in racemulos dispersus, suavissimi plane odoris. Apertus in ipsa arbore incorruptus, ac integer longo temporis spatio perseverat, minimeque flaccescit: ubi decidit, interjecto unius mensis intervallo, denuo arbor repullulat, novumque florem, autumnali gignit tempore. Tam fragrantem gratumque hic flos exhalat odorem, ut Regionem, cui arbor vicina est, suavitate recreet, atque perfundat. Hunc ipsum florem Turcæ limonum succo maceratum, ad crines tingendos adhibent. Sinæ vero multa bellaria ac naribus gratissima, ut alibi fusius dictum, adornant.

Decimâ sextâ Julii duodecimum Civitatis *Peking* sinistræ sive Orientali ripæ fluminis adsitum quinquaginta â *Foeheen ly*, Oppidum SANSIANWEY sive *Sanho*, quarto *Pekinga* lapide distans pervenimus. Populosum id supra modum, & Castello munitum. Porta hic Triumphalis medio foro tantæ magnificentiæ, juxta Gothorum architecturam ex secto lapide, ut cum præcellentissimis tota Sina comparari possit. Ad Austrum lapideus insigni latitudine pons, quinque innixus fornicibus, quadraginta duos pedes longus, ab utroque latere ædibus superstructis. Hic flore albo *Genista*, sive tertium. *Clusii* Spartum Hispanum justa proceritate arborescit, lignosas & arboreas radices agit, cineraceo assurgens caudice, numerosos implexosque ramos viridi pallore tingit, ex iisdem virgulas more passi, dissipatique capillamenti demittit densissimas, prætenues, fere cubitales, ramulosas, lentas, instar viminis ductiles, ocellisque distinctas creberrimis, unde rubæ foliolis minutiora foliis, flosculique uno tantum nodulo rubentes, cætera candidi, pulchre pendulis floridis virgulis tanquam margarita-

16. Julii SANSIANWEY appellunt.



rum ſineis. Vere toto vernat, exinde cartilagineas ſubrotundas ex viridi flaveſcentes ſiliquas ſeminibus implet ſingulis, raro binis, formâ orbiculari colore fuſco virentibus, lævibus, duris, germinare moroſis.

Hoc & ſequens Oppidum TONGSIOU uſque ad quartum lapidem *Pekingæ* approximant, neque ultra fluvius navigabilis eſt, niſi Boream per aliquot millia paſſuum ſubvehi placeat, ubi fluvii canalis *Pekingum* retrolabitur. Ideo merces plerumque vel *Sanſianweyæ*, aut paulo altius *Tongsionæ* navibus expoſitæ, terreſtri itinere aſinis, aut carrucis, quorum ſemper ibi magna parata in illos uſus copia *Pekingam* deportantnr. Cauſa cur nullo, quod facile, canali *Pekingam* effoſſo urbem urbium adnavigabilem priſci Sinenſes reddiderint, vix reperiri alia poteſt, quam quod ingens plebis multitudo, quanquam viliſſimo pretio ex deportatione mercium victum acquirat. In hoc pago Mandarinus *Pinxintous Pekingæ* redux nos offendit. Poſtera die quatuor & viginti cum curribus ſarraciſque à Magnatibus Imperii, deportandis muneribus ad *Magnum Chamum* deſtinatis, impedimentiſque Legatorum advenerunt. Omnibus convaſatis & in currus congeſtis Legati recta *Pekingam* tali ordine progreſſi fuerunt.


KRYGHS-ORDRE IN HET MARSEREN.
Ordo equitantis exercitus.

18.

PARS TERTIA LEGATIONIS BATAVICÆ, AD Magnum Tartariæ, Sinæque CHAMUM,

QUÆ

Acta à Legatis in urbe & aula Imperatoria Pekingensi *complectitur.*

POstquam jam in conspectu Imperatoria tot molestiis periculisque quæsita *Pekinga*, Legati eam solenniter & pro dignitate muneris, quod sustinebant, ingressuri, hunc ordinem inter suos constituerunt. Duo tubicines agmen equis vecti, velut viæ ductores, præibant. Post illos vexillifer, vexillum Auriacum gestans; tum duo Legati aliquot Tartarorum Magnatibus honoris ergo stipati, omnes equestri pompa. Claudebant agmen centuriones militesque, qui eousque per Sinam Legatos præsidio suo deduxerant, quinquaginta circiter, inde carpenta, quibus dona impedimentaque vehebantur & Mandarini suo quisque ordine: ultimus iterum vexillifer incessit. Tota hæc *Pekingam* usque via vectabulis, sarracis, trahis, equis, mulis, asinis, bobus, hominibus, adeo implebatur, ut exercitus imaginem procul intuentibus præberet; sed omnia inter se nullo ordine confusa permixtaque. Viæ ipsæ adeo luto sordibusque scatebant, & inæquales passim in scrobes fossasque desidebant, ut carrucarii jumenta, atque ipsa suppellex nostra fœdis paludibus immersa extractaque videretur.

Legati pompa bene ordinata *Pekingam* tendunt.

Decima septima Julii undecimum Civitatis *Peking*, Oppidum *Tongsiou* quæ & *Tung*, humili ad dextrum viæ latus, lævamque *Guei* ac depresso & uliginoso solo situm præterivimus. Magnitudine mediocri validis cincta mœnibus, media alio muro in duas partes secatur, nullis divisa plateis, sed sparsim ædibus Pagodisque sine ordine, sine cura permixtis. Crebri

hinc

hinc inde pagi & ad finiſtram viæ proximus Pagodes, ubi prandio feſtinanter ſumto, progreſſi campum haud procul amœnum, innumeris per eum hominibus paſſim diſcurrentibus, conſpeximus. Prima poſt meridiem hora ſuburbium *Pekingæ*, quæ totius Imperii Tartarici Sinicique caput eſt, viginti quinque *ly Tongsiouo* & ſexies mille centum & viginti quinque *Kantona* in Septentrionem diſſita.

Legati ſalutantur à Magnatibus.

Per duas altiſſimas ac magnificas urbem portas invecti, apud Pagodam inſigni elegantia equis deſcendimus reliquum comitatum & impedimenta noſtra expectantes. Vix ingreſſi fuerant Legati templum, cum Eunuchus *Magni Chami*, *Kapado* dictus, extra falconem ſuſtinens, mox qui Proregum *Kantonenſium* in aula res procurabant, Magnatumque nonnulli, adventum iis magna affectus teſtificatione gratulati fuerunt. Refectis cibo potuque aquæ glacialis viribus, cum Eunuchus impedimenta noſtra excuſſiſſet, ac vehicula numeraſſet, in aliud magnificum, haud procul Palatio Imperatorio, hoſpitium muro alto cinctum, tribuſque magnis portis areiſque ſpectabili, ſolemni pompa deducti ſumus.

Legati jam tandem ſtabilem nacti, ſecurumque locum, munera *Chamo* deſtinata, ſuamque omnem ſuppellectilem explicantes, nihil amiſſum corruptumque, omnia ſalva & integra compererunt. Hinc gratiis DEO pro tanti itineris incolumitate actis, ut porro clementer conſilia tam glorioſa & Reipublicæ proficua dirigeret, proſperaretque, impenſe precabantur. Veſperi duo Tartarici Duces duodecim ſtipati militibus portas Palatii, contra vim externam, & ut omnia ex voto & voluntate Imperatoris adminiſtrarentur, obſederunt.

Summo mane Mandarinus *Pinxentous*, duoque alii Præfecti *Kantonenſes*, paulo poſt nonnulli Senatores Imperii, eorumque princeps Secretarius *Thonglouja* Sinas, comitatus Mandarinis Tartaris *Quanlouja* & *Hoolouja*, qui & ipſi arcana Senatus, quanquam Sinicæ linguæ expers, tractabat. Salute mutua data; *Miſſos ſe à* Magno Chamo *& Senatu Imperii*, dicebant, *qui & adventum Legatis gratularentur, & de valetudine illorum, cæteriſque ad Legationem ſpectantibus, quo numero, à quibus, unde, in quem finem miſſi & quæ afferrent munera, inquirerent.* Ad quæ reſponſo accepto, comitatum Legatorum (eramus in univerſum quatuor & viginti) recenſuerunt, ſingulos nomine evocantes: cæteri, qui in catalogo non extabant, abſcedere juſſi. Inde munera juxta diſcriptionem *Kantona* acceptam, curioſe inſpicientes, ſingula quo loco & quomodo confecta, cui inſervirent uſui, verſus quam mundi plagam Regiones, ubi talia provenirent, ſitæ, & quot menſium itinere tam ab Hollandia, quam *Pekinga* diſtarent. Cumque eorum curioſæ inquiſitioni ſatisfactum eſſet, laudavêre munera, & quæ præterito anno à *Liqueſibus* allata fuiſſent, quod corrupta violataque viderentur, ab Imperatore ſpreta, contemtaque, ac ne inſpicere quidem illa dignatum. Inde iterum ad interrogationes verſi, *num Hollandi mari progeniti, nec aliam patriam,*

quam

quam mare habitationemque stabilem haberent. Quod si propriam regionem haberent, quod ejus nomen, ubi sita, à quo, in quem finem missi, quis eorum Rex, & qua ætate esset. Legati cæteris facile transmissis, *id vero se mirari* ajebant, *inquiri ab illis, an mare habitarent: nam qua id ratione fieri possit, ut populus aliquis sine certa stabilique regione, perpetuo mari vagus instabilisque oberret? Eos vero, qui talia de se suaque natione per calumniam sparsissent, cum tempore mendacii manifestos deprehensum iri. Terram suam Hollandiam vocari; eam à multis retro seculis habitationem, semper patrio jure, non spolio, aut rapina, à Majoribus suis hucusque possessam.* Denuo Mandarini: Qua ergo mundi plaga eorum Regio, terrestri itinere, quantum *Pekinga* abesset; ac per quas Provincias, si terra adiri posset, proficiscendum eò commeantibus. Cumque firmiter sibi persuasissent Hollandos terra continenti carere, sed maria tantum pervagari, vel insulas quasdam ignobiles habitare, accuratam descriptionem & picturam ejus, quam possideremus, Regionis sibi repræsentari volebant. Ergo tabula mundi explicata Hollandiam illis vicinasque Provincias Fœderati Belgii, locaque singula, ubi mercaturam exercerent, ad oculum demonstrarunt. Mandarini nomina locorum singulis inscripta schedulis mappæ affigebant, *Magno Chamo* se monstraturos dicentes. Inde multa de regimine Hollandiæ & authoritate illorum, à quibus missi, inquirebant. Præcipua difficultas, nomen Reipublicæ, naturamque Aristocratiæ ipsis explicandi, ac quid sibi nomen Principis vellet. Quippe Tartari Sinæque unius Imperio assueti, quid Respublica plurium sociatis laboribus gubernata sit, capere non possunt. Dum vero Præfecturam Principis Auriaci intelligerent, Legatos ab ipso missos judicabant, unde mox corona pretiosa cum sericeâ togâ Tartaricâ flavescentis coloris, inauratis Draconibus acupicta, quod *Magno Chamo*, vel ejus Vicario proprium est, paratur, ad illam præter alia munera Principi offerenda, verum postea Tartarorum Magnatibus hanc Legationem duntaxat à Generali *Joanne Maatzuikero* nomine Societatis Batavicæ institutam intelligentibus, alia dona substituta sunt, quæ mox recensebimus. Hinc cum illis de Republica quasi Regno, aut unius Imperio loquendum est. Quare frequenter de Principe inquirebant, ejusque statu ac *an Legati ex cognatis ejus essent*, scire volebant. Nam *nullis Legatis, qui non sunt ex cognatione illius, à quo mittuntur, caput coram throno Imperatoris inclinare permissum, neque* Coreâ & ex Liquesis *insulis ante annum missos, nisi fratres ac affines Regum fuissent, id impetraturos. Quippe Majestatem Imperatariam aliter salvam esse non posse.* Post multa quæsita responsaque Mandarinorum & Legatorum, (sigillatim illa commemorare, cum ejusdem fere generis & argumenti cum illis sint, quæ *Kantonæ* acciderant, haud opus est) ad munera Imperatori offerenda conversi, *an rectà ex Hollandia apportarentur, quærebant*, Legatis pleraque, panna, succinum, corallos, specula, tubos opticos, thoraces ferreos, ephippia, & similes armaturas, Hollandica esse, aliqua autem à Præfecto Bataviæ venire.

Aliæ quæstiones Legatis propositæ.

venire. Hinc novæ emerſerunt quæſtiones.: *quis ille Præfectus; & quæ illa Batavia?* Gubernatorem Generalem ratione auctoritatis *Kantonenſium* Proregibus æqualem, nam cum Hollandi nulli ſubjiciantur Regi, nec Hollandia Regnum ſit, ipſi minime Proregis, ſed Gubernatoris duntaxat titulum competere: Bataviam vero ratione opportuni ſitus univerſalem omnium navium, Hollandiâ vel aliis locis ſolventium portum, & velut Batavicæ Indiæ Metropolim. Cumque ſatisfactum eſſet curioſitati illorum, (omnia, quæ dicebantur, per ſctibas ſuos annotari curaverant) reſpondentibus.

Sinarum variarum quæſtionum curioſitas.

Mox omnes iterum ordine reverſi plura adhuc exquirentes. Primus ſe ab Imperatore miſſum dicebat, ejuſque conſilio, ut literas fidei afferret, quæ magna ſolennitate & reverentia in theca argentea, triplici panno coccino tecta, deportabantur. Alter arma inſpiciens, *an ex puro auro argentoque addita illis ornamenta eſſent, ac qua arte confecta*, quærebat. Tertius de bello ſciſcitabatur, *quibus in eo armis Hollandi, & contra quem uterentur*; præcipue, ac inſtantius, *an cum Luſitanis* Makaoenſibus *pax illis, vel bellum: Luſitania Sinæ propior, an Hollandia eſſet.* Ita reſponſo ad ſingula accepto diſceſſerunt, ſed mox ſexta jam ſeptimaque viâ redeuntes, multa de Legatorum dignitate honoribuſque, quibus in Republica fungerentur, interrogabant, ac per quot gradus ad talem dignitatem daretur aſcenſus, reſpondentibus Legatis, per decem gradus aſcendi, & per quatuor iterum deſcendi, antequam quis talem dignationem conſequeretur. Diſceſſuri multis importunitatem ſuam excuſabant, *juſſu Imperatoris talium ſupra modum curioſi ſatisfaciendum, cui illa adhuc die omnia ſcripto comprehenſa à ſe exhiberi deberent.*

Ingrediuntur Senatum.

Cancellarius omnibus his intellectis, altera die *Quaaloujam* & *Kaoloujam* ad Legatos miſit, imperans, ut abſque ulla mora cum muneribus ſuis in Senatum venirent. Sed cum imber vehementiſſimus tum caderet, veriti Legati, ne munera lutoſis plateis, ac pluvio cœlo corrumperentur, bis deprecati tantam feſtinationem, & differri rem in commodius tempus inſtantiſſime rogantes, nihil impetrare potuerunt. Ergo conſcenſis equis munera metu pluviæ domi relinquentes, ad Senaculum feſtinarunt, ſed non admiſſi, niſi poſtquam munera quoque eo deportata, quæ *illa adhuc die inſpecturum Imperatorem*, referebant. Ingreſſi, antequam ullos Senatoribus tam illuſtribus honores exhibere poſſent, ſtatim conſidere juſſi. Cancellarius ſupremo loco complicatis pedibus more Tartarico; ad dextram duo Tartarici Magnates; ad lævam Jeſuita quidam, *Adam Scaliger*, Colonia Agrippina, ut ipſe ferebat, oriundus, qui jam per quadraginta & ſex annos in *Pekingenſi* aula, adhuc ſtante familia *Taiminga*, honoribus floruerat, extrema jam ſenecta ac promiſſa in pectus incana barba venerabilis videbatur. Nihil ibi magnificum, vilia ſcamna, detrito linteo ſtrata, ipſe Præſes Conſilii nudis cruribus lacernula cannabina nudum corpus tegebat. Compellati ab

Adam Scaliger Jeſuita Ubius Legatos ſalutat.

ab eo Legati paucis, ſed honoris verbis; mox Jeſuita Oratione Germanica (cujus promtam adhuc ore loquelam jactabat) eos allocutus, multa de Amſtelodamo, ejuſque nonnullis civibus, quos nominabat, rogitans. Medio temporis Mandarini *Kantonenſes*, & ipſe *Pinxentou*, dona bajulorum inſtar ſudore diffluentes, inferebant, nobis haud parum vilia ſervitia eorum mirantibus. Præſes ſingula ipſe ſua manu ex ciſtis depromens, unde, cui bono, ubi emta, confecta, & locus, quantum *Pekinga* Hollandiâ diſtaret, interrogabat. Interpres ejus Jeſuita *Adam* erat, qui ſingula ſuo quoque teſtimonio confirmabat. Quoties rari quid & egregii expromebatur, altum pectore ſuſpirium *Adam* emittebat. Cumque Præſes pretium organi pneumatici, ſcire cuperet, noſtris quantum æſtimarentur reſpondentibus, *pulcherrima eſſe*, dixit, *& juxta cum armis, epphippio, ſuccino, corallis rubris præcipuam apud* Magnum Chamum *gratiam habitura.* Quicquid reſpondebant Legati, id omne à duobus Mandarinis verbatim ſummo ſtudio conſignabatur.

Quæ dum ita geruntur, Imperator miſſo in Senatum decreto, *Adamum* ſcribere juſſit, ut ea adhuc veſpera ſibi exhiberentur, Hollandi terras haberent, necne, & ubi ac quantum Imperio ſuo diſſitas, tum nomen Hollandici Principis, ac quæ Reipublicæ Hollandicæ regiminis forma eſſet.

Adam inde juſſu Præſidis de Principis Auriaci, & Celſiſſimorum Præpotentiumque Ordinum Fœderati Belgii ſtatu quædam cum inquiſiviſſet, Legatis, quod res erat, reſpondentibus, prolixo omnia ſcripto comprehendens, in quo multa falſa alienaque, inter alia, *Hollandiam adhuc Hiſpanici juris eſſe*, ad *Adamum* converſus dicens, *te ſcire Hollandos propriam ſuamque regionem habere, à tua haud procul diſtantem patria, & quomodo illa regatur: teque linguæ eorum peritiam habere ſufficit.* Tertium tranſcribere exemplar & ſcommata delere juſſus, ætate debiles oculos obtendit; unde à famulo ejus tranſcriptum, quod cum Cancellarius probaſſet, manu ſua ſignatum Imperatori cum munuſculis quibuſdam ſtatim tranſmiſit. Dum Scribæ occupantur, Præſes ſive Cancellarius laridum afferri juſſit, quod pinguedine & cruore per os manuſque diffluente (ſemicrudum & fere incoctum erat) avidiſſime cum cæteris Procerum Tartaricorum vorabat. Hoc jentaculo cum ruentem ſtomachum fulciviſſet, filio *Kokkonus* nomine Senioris *Kantonæ* Proregis, qui in aula morabatur, juſſit, ovem porcumque è veſtigio ad prandium Legatis excipiendis pararet. Quod tanta celeritate factum, ut vix ſemicoctas carnes menſæ illatas pari appetitu Cancellarius Tartaricique Magnates deglutirent, Legatis ipſoque *Adamo* (nam & is convivio intererat) ſolo aſpectu comedendi deſiderium perdentibus; non aſſuetis cruda Scythico more paſci; quod ex facie conjiciens Præſes, tolli reliquias ſapidiſſimi cibi & ad ædes Legatorum deferri lautiarum loco juſſit, appoſitiſque fructibus & bellariis elegantiſſimo convivio Tartarico finis impoſitus fuit.

Adam inter alia, *ante quatuor menſes Legatum Rußicum centum perſonarum comitatu, quos inter aliquot Æthiopes*, Pekingam *annuæ mercaturæ ergo veniſſe* referebat, *ſed hactenus quod Imperator, modo intra, modo extra civitatem verſaretur, audientiam impetrare non potuiſſe.* Ita multis ultro citroque ſermonibus cæſis, veſpera jam ingruente in Palatium ſuum reverterunt, Jeſuita *Adamo*, quem quatuor in *Palankyna* ſedentem, humeris geſtabant, aliiſque equitibus eos honoris ergo pompoſe comitantibus.

Secretarius conſignat munera.

Sequenti die primarius Secretarius *Thouglonja*, cum Mandarinis *Qualouja* & *Holoonja*, juſſu Cancellarii ad Legatos inviſerunt, munera, quæ Imperatori, ejus matri & primæ Sultanæ proprio nomine offerenda haberent, conſignaturi. Quo facto, mox iterum reverſi Secretarium Legatorum cum muneribus in Senatum citabant. Ita *Henricus Baron* cum illis eo ſe contulit, cunctiſque peractis, reverſi denuo iidem cum Mandarino *Pinxentouo* & duobus aliis *Kantonenſibus*, ac qui res Proregum in aula obſervabant, *munera Imperatori, ejus matri & uxori gratiſſima eſſe* retulerunt, ac ſi quid adhoc linteorum alborum, minimum quinquaginta volumina, quibus carere poſſent, ſupereſſet, remunerandis *Kantonenſium* Proregum filiorum uxoribus, id ſibi quod præcipuam delectationem in iis cepiſſet, mitterent. Cui mandato ſatisfacientes ſex & triginta volumina, Tartaris multum gaudentibus, donarunt. Sæpe poſtea reverſi illi Mandarini, ac Secretarii de ſtatu Hollandiæ propiora ſciſcitabantur, ſed cum vix ſatisfieri verbis eorum, vel curioſitati, vel ignorantiæ ac ruditati poſſet, charta pura, ipſis ita poſcentibus, prolata, quæ quatuor ſecta juxta mundi plagas lineis rudem, & ut manu fieri poterat, varias obiter delinearunt Regiones, unde digito dignoſcere ſitum Hollandiæ poſſent, arguendæ illorum ſupinæ vel ignorantiæ rerum mundanarum, vel calumniæ malignorum, qui ipſis grande mendacium obtruſerant, terra carere Hollandos, & nonniſi maritimam in navibus vagamque vitam, piratarum inſtar, agere.

Tertio Auguſti *Pekingam* Legatus Mogolicus ab Imperatore Indiæ intra & extra *Gangen* miſſus, componendis, quæ nuper inter Sinicum Indicumque Imperium exortæ, controverſiis miſſus, & liberum religionis per Sinam Mahommedicæ, an Ethnicæ incertum, exercitium, ut ferebant, petiturus. Munus attulit Imperatori (quippe nefas immunem ad aulam admitti): trecenti & triginta ſex generoſi equi: duo vivi ſtruthiocameli, adamas pollicis magnitudine, ter mille libræ lapidis *Colerini* venenis præſens antidotus vel medicina, quæ omnia ſuo pretio magnam ipſi & benevolentiam conciliarunt, & poſtulatorum conſequendorum ſpem haud ambiguam.

Adamas pendebat duo *maas*, id eſt, octo ſcrupulos.

Pinxentous cum quodam Duce Tartaro *Pekinga* antehac *Kantonam* luſtrandæ militiæ miſſo, ubi ejus notitiam habuimus, Mandarinis comitantibus Proregum *Kantonenſium* procuratoribus, Legatos quadam die conveniens, quid in literis fidei nomen *Julii* ſignificaret, quæſivit. Cumque ſeptimum anni menſem Europæis, & Tartaris ultimum anni deſignare intellexiſſet,

xiſſet, *num ergo*, inquiebat, *Hollandia jam à mille ſexcentis quinquaginta quinque ſtetit, & à tot retro annis principium ſuum ſupputat?* Reſponſum: *ſemper ab ultima rerum memoria unam eandemque gentem Hollandiam habitaſſe, & annorum illam epocham à nato Jeſu Chriſto, quem Redemtorem ac Salvatorem religioſo cultu agnoſcunt, perpetua nunquamque interrupta ſerie deduci.* Ita literis fidei ſecum ablatis, muti ſilenteſque diſceſſerunt.

Poſtquam *Magno Chamo* per tot inquiſitiones ſatis ſuperque cauſa Hollandorum cognita perſpectaque plenè innotuerat, non vagos mari errones, ſed gentem priſca origine & ſtabili ſemper patria, inter Germanias ſemper nobiliſſima, jam priſcis fuiſſe ſeculis, trigeſimâ primâ Junii edicto Senatum monuit: *Se Legatos agnoſcere & ad conſpectum ſuum, ſi velint, admittere*, ubi in novo Palatio thronum inſediſſet. Ac tanta Imperatoris fuit hac in re circumſpectio, ut literas fidei altera vice verbatim quam accuratiſſime transferri à Jeſuita *Adamo*, examinandas à Philoſophis ſuis, curaverit, tanta ejus ſatisfactione, ut ſecundo tertioque edicto primum Imperii Scribam moneret: *Poſtulata Legatorum favorabiliter tractarent, ſuæque Majeſtati de omnibus, quæ agerentur rationem redderent.* Exemplar utriuſque epiſtolæ *Magni Chami*, quia res imprimis memorabilis, verbotenus ex lingua Sinica tranſlatum, huc inſerere viſum.

Legati agnoſcuntur à *Magno Chamo*.

Magnifici LIPEOS,

Ita Senatores Imperii appellantur.

Legati Hollandici Imperatorem ſalutatum obſervantiamque teſtatum cum muneribus ſuis venerunt; quod unquam alias à millenis annorum contigiſſe nulla extat memoria: Et quia primæ hæ vices ſunt, Legationem illorum acceptavi, illiſque poteſtatem concedo, ut poſtquam in novo meo Palatio throno inſederim, in conſpectum meum, reverentiæ exhibendæ, adducantur; eo fine, ut poſt bonam tractationem, & poſtulatorum ſufficientem examinationem, quam fieri poteſt, citiſſime ad diſceſſum expediantur. Idque eo magis, quia celebritate nominis mei commoti, mare terraque longiſſimis viis emenſi, velut ex altiſſimorum montium umbra pedes ſuos Pekingæ *demum quieſcere voluerunt, ut claritatem Solis in cœlo apertis oculis contuerentur. Qua ratione ejuſmodi hominibus tam longa via huc profectis contradicere, aut eorum poſtulata abnuere queamus?*

Prima *Magni Chami* Epiſtola.

Sexta & decima ſexti menſis die, literis Hollandicis ſecundum prælectis, ex ſenſu earum percipio Legationem Hollandorum, quam ſponte & proprio motu ſuſceperunt, fundamento & ſincero animo inchoatam, ex Regionibus trans mare magnum Oceanum ſitis, non ſecus ac avis per aëra volitans ad deſcenſum cogi non poteſt. Et quia hanc Legationem maximi facio, ac tanquam me ipſum amo, imo ſingulariſſime gratum habeo, ideo tibi, Cancellarie, aliiſque Senatoribus, ut eorum petitioni, quam hac Legatione faciunt, libere Imperium meum peragrandi, & in illud veniendi convenienter ſatisfaciatis, meque, quid concluſeritis, certiorem faciatis.

Altera *Magni Chami* Formula.

Cancellarius, voluntate *Magni Chami* intellecta Legatos per Deputatos ſuperius memoratos, interrogari juſſit, *annon ſingulis annis vel ſaltem trien-*

Cancellarius ſingulis quin-

quenniis Legationem concludit.

trienniis semel Pekingam *salutando Imperatori, venire possent.* Legati responderunt; singulis quinquenniis id sibi commodius fore, hac conditione, ut interea quotannis *Kantonensem* mercatum quatuor navibus adire sibi liceat. Igitur Cancellarius Senatu Tartariæ simul, ac Sinæ, cujus caput est, convocato, *æquam sibi Hollandorum videri petitionem, per singula quinquennia Imperatorem salutandi,* exposuit, ejusque sententiam omnes Tartarici Senatores probabant: Verum Sinæ majorem erga Hollandos benevolentiam simulantes, *nonnisi singulo novennio reditum eorum requirendum,* ob itinerum pericula, casusque. Sed id animo subdolo, quippe subintelligebant, id quod Tartari non observaverant, medio temporis commercia *Kantonensia* iis fore illicita. *Præterea consideraret Senatus, num sub Hollandorum nomine Angli delitescerent, qui ante triginta annos quatuor navibus ex portu* Heytamon *naves Saliferas capto Mandarino, arce diruta, multisque hostiliter actis, abduxissent, à quo tempore pro hostibus habiti, & Sina prohibiti; ita clarioribus opus fore documentis fidei Hollandicæ, antequam in regnum admitterentur. Nam præterquam quod libera, quæ peterentur commercia, juribus regni & priscæ consuetudini repugnarent, ne quidem in literis fidei, quas attulissent, tale quid peti, unde sibi suspicionem oriri, suo id, non publico, Legatos nomine petere.*

Tartarorum Senatores ad novennium extendunt.

Liberæ mercaturæ obsunt.

Novum id Legatis inopinatumque penitus accidit, qui secundo Imperatoris Edicto *Kantonam* ad Proreges misso, libera *Kantonam* commercia plene Hollandis concessa, neque aliud, nisi ut *Magno Chamo Pekingæ* ob id beneficium gratias agerent, superesse arbitrabantur. Non jam amplius artes Patris *Adami* & duorum præterea Jesuitarum ignorare poterant, qui impediendis Legatorum conatibus amplius trecentis teilis argenti impensis, majora adhuc pollicebantur, & ea calumnia Tartarorum animos illorum suggestione occupatos, obtentu mercaturæ aditum in Imperio quæri, ex quo prædas agerent, congestamque rapinam secum aveherent. Præterea referebatur, tres hos Jesuitas vehementissime conquestos, *Makaum* penitus vicinia *Kantonensis* mercaturæ, perituram. Et altius in animos Tartarorum Sinensiumque impressa variorum, à *Makoensibus* pecunia corruptorum, calumnia descenderat, quam ut penitus evelli posset; *Hollandos conflugem variarum nationum, sine solo, sine patria, nisi quam sibi toto mari oberrantes vi facerent, esse, & ex præda aliorum vivere.* Adeoque novâ corruptela opus, ut Primus Imperii Cancellarius, aliique Senatotes, verba *ire & redire licitum foret,* in publicæ fidei literis expressa, *Magno Chamo* interpretarentur, non alium quam liberæ mercaturæ, habere sensum. Quod plane præter Legatorum mentem erat, cum haud melius scirent, quin ista tria millia, & quingentæ argenti Toelæ (de quibus Proregi *Cantonensi* nomen fecerant) in hunc finem erogata forent. Unde Legati varia se premi invidiâ, & à *Kantonensibus* deceptos videntes, non tamen animum destinata prosequendi amittebant; iterum in consilio, quod secundus Imperii Cancellarius in eum finem convocaverat, annua *Kantonæ* commercia urgere, primo per Mando-

Ut & Patres Societatis.

Secundo convocatur Senatus.

Mandorinum Senioris *Kantonenſis* Proregis Cancellario promittere, non ante ſe *Pekinga* diſceſſuros, quam ſua Majeſtas *Chamica* plene certa fieret, Hollandos ſe, non Anglos, eſſe. Sigillum metallo inciſum, quo omnes ſuorum literæ maritimæ Sinam adnavigantes, diſtinguendis ab aliarum nationum navibus, obſignarentur, & peculiare vexillum de ſummo malo juxta Hollandicum præfigendum petebant. Tandem ſupplici per ſcribam libello compoſito, diſertis verbis petebant, *ut Hollandis eodem, quo indigenæ, vel ſubjecti, jure per Sinam, exemplo* Lieugiowenſium, Amiamorum, & Siamorum, *quibus id antiquis Sinenſium Legibus permiſſum, proficiſci, habitare, tributa & vectigalia perſolvere, & eorundem trium populorum more ſingulo triennio Imperatorem cum muneribus venerandi jus, ac poteſtas concederetur. Hac tamen conditione, ut navis, vel Naves Legatorum non tenerentur reditum eorum præſtolari, quod ſalſis in Oceano aquis aſſuetæ dulcibus computreſcerent.* Sed fruſtra omnia moliebantur apud animos calumniis & largitione aliena præoccupatos. Decem vel quatuordecim millia Toelarum argenti vera & unica methodus ad viam liberæ mercaturæ muniendam. Verum tantam pecuniarum ſummam, præter tot donativa jam erogata, incerto fini expendere minus conſultum Legatis videbatur.

Varia petunt.

Magnus Chamus tandem intellecto, quid à Senatu Regni in Hollandorum cauſa hactenus actum fuiſſet, & Hollandos (ita ipſi retulerant) ſingulis quinquenniis Legationem *Pekingam* mittere paratos, ſupputans integro opus iis, ad tam grande iter perficiendum, quinquennio, ſi interdiu tantum, noctibus non computatis, proficiſcerentur, ſua ipſe manu, deleto quinquennio, octennium præſcripſit benevolentia quaſi erga Hollandos, ac ne nimium gravarentur, commotus. *Nam quâ* inquiebat ad Senatores, *ratione id illis poſſibile fuerit, & cur illis tantum imponeremus onus, qui mea non indigent opera, neque ſibi à me metuunt, ac proprio motu ſinceroque animo tot muneribus venerantur. Æquitas omnino poſtulat, duum triumve annorum requiem illis poſt tantum peractum iter, concedere ac indulgere.* Quæ quidem omnia argumento erant, nihil jam reſtare agendum, niſi ut omiſſa impræſens ulteriori cura, meliorem patienter occaſionem præſtolaremur. Ipſe primus Imperii Scriba, feſtinationem & nimios conatus plus detrimenti, quam commodi allaturos. Et cum Mandarini Proregum Kantonenſium eum propterea compellarent; *Annon ſufficit, iniquiebat, quod qui nunquam antehac Imperatorem ulla Legatione compellaverant, & ob adverſam famam pleriſque Magnatum ſuſpecti habebantur, amicorum loco haberi. Si commercia nimis urgeant, utráque gratiâ facile excidere poſſent. Non exiſtimare debent Hollandi, prima ſtatim vice cuncta, quæ petunt, illis concedenda, ac è re noſtra foret, vel teneremur ipſis Batavis liberum permittere negotium. Si intra annum, aut quam primum poterunt Imperatori pro hoc favore & amicabili acceptatione gratias agant, melioribus forte fatis tunc uterentur.* Tempus interea appropinquabat, quo Imperator novum Palatii primo ingreſſus inauguraturus Legatos ſimul in conſpectum

Patiuntur repulſam.

Cancellarii reſponſum.

ſuum admittere decreverat. Antequam vero id fieret, in priſca aula, ubi Imperatoris ſigillum cuſtoditur, reverentiam ei exhibere tenebantur. Nam ut Sinenſes referebant, cum Palatium illud Imperatore vetuſtius, & ab ipſo cœlo electum ſacratumque ſit, huic primos illi honores deberi; ac ſi quis huic ſe conſuetudini Legatorum exterorum non accommodet. Inauditus ſpretuſque, quod Legato Ruſſico accidit, unde venit, remittitur; Nam is contra *Czari* ſui Majeſtatem id eſſe exiſtimans, abnuerat. Neque quiſquam Magnatum ante Imperatorem adire poteſt, quam hac cerimonia perfunctus ſit, & quod præcipuum, ipſe, antequam Imperio inaugeretur, *Magnus Chamus* ſe hic inclinare tenetur. Triduo ante ſolennem audientiam hæc ſolennitas peracta fuit.

Legati reverentiam ſigillo *Magni Chami* exhibent.

Vigeſimâ ſecundâ Procuratores Proregum *Kantonenſium* cum Mandarinis *Pinxentouo* aliiſque, & tribus Doctoribus Sinenſibus, nec non Magnatum nonnullis, trabeati omnes, quadratis in pectore & tergo opere Phrygionico inſignes characteribus. Hi pompa ſolenni Legatos, eorumque Comitatum in antiquam aulam, Bibliothecæ vel Academiæ ſtructura ſimilem (nam togatis & librariis omnia replebantur) deductos parumper in cellula extra turbam conſidere juſſerunt; inde in mediam aream, ſub puro cœlo, exigua cathedra clauſa per porticum pergere, & ter corpus incurvare, caputque terram verſus inclinare ad præconis clamorem juſſi fuimus. Mox præco inclamare *Kaſchan*, id eſt, DEUS Imperatorem miſit: iterum *Quee*, in genua procumbite, & denique *Kanto*, caput flectite & *Kee*, ſurgite: idque tertium repetiit. Tum voce *Koe*, ad latus recedite, diſceſſimus.

Solitas ceremonias abſolvunt.

Huic ſolennitati aliquot centuriæ Doctorum Sinenſium interfuere; qua leviter peracta Legati in palatium ſuum reverterunt. Dies vigeſima quinta Auguſti publicæ audientiæ Legatorum, quâ in præſentiam conſpectumq; Imperatoris admitterentur, conſtituta jam prope aderat, cum novo infortunio omnis iterum perturbata & abrupta ſpes fuit ſubita & inopina fratris junioris *Magni Chami* morte, qui ſedecim Princeps annorum vigeſima tertia Auguſti diem ſupremum obiit, & quidam vim ſuſpicabantur. Quippe acribus cum Imperatore verbis contendens, ira exaſperata eo furoris prorupiſſe Interpretes narrabant, ut Imperatorem tangere auſus fuerit, quod Senatus crimen morte piandum cum cenſeret, veneno necatum. Sed plures obitum ejus amori imputabant, quod *ſeparatam aulam, procul matris & Ephororum cura, haberet, Virginum duarum nimia conſuetudine exæſtuans, laſſuſque, cordi refrigerando vitrum aqua glaciali improvide hauſto, repente extinctis, ſopitiſque nimio rigore ſpiritibus vitam finiiſſet.* Quæcunque cauſa obitus fuerit, conſtat Imperatorem ingenti mœrore extrema ejus accepiſſe, prohibitis alloquio familiarium intimis, & edicto cæteris monitis; *ne intra triduum quiſquam à ſe aliquid peteret, aut dolorem ſuum interpellaret.* Exanime tanti Principis corpus integro inſepultum menſe, gentium more, ſupra terram jacuit, vigeſimâ octavâ Septembris demum Regiis monumentis

illatum

illatum, quæ causa, cur Legati non ante secundam Octobris admitti ad audientiam potuerint.

Decimâ quintâ octobris Legatus Russorum *Czari*, quod cerimoniis coram sigillo Imperatorio defungi se posse negaret, ut supra dictum, nulla admissionis spe, proficisci certus, Legatis per famulum valedixit, simulque schedulam, quam Moscoviæ mutui congressus in urbe *Peking* testem ostendere posset, petiit, impetravitque. Sed detentus tam diu à Tartaris fuit, negataque ipsi ante descedendi libertas, quam à *Magni Chami* literas salvi reductus obtinuisset. Unde ante descessum nos cum cæterarum nationum Legatis solenni excepit convivio, ubi varios quisque de patriæ mirandis sermones miscens, ad stuporem percipiebat historiam venenositatis pilorum Tigridis, quàm Magni *Mogoris* Legatus, longo de alexipharma lapidis Serpentini virtute præmisso, referebat: circa labra prælongis nutrire pilos, quos adeo venenosos experientia ibidem docuit, ut si quispiam, sive homo, sive ipsamet bellua, illorum vel unicum incautius susceperit, irremediabili sui ipsius toxico intereat. Unde à *Bengalensibus*, apud quos ingens in sylvis hujusmodi animalium multitudo vagatur, observatum fuisse, dicebat, quod hæc bellua semper aquam *Ganges*, aliusve fluminis, ore juxta fluminis cursum admoto, nunquam ex adverso hauriat, relictis stagnantibus, quantumvis vicinis, ne aqua pilorum virulentia infecta ei necem inferat. Unde Regio edicto cautum, ne quispiam hujusmodi pilos, occisa Tigride, retineat, sed sub pœna vitæ omnes ad curiam Mogolis mittere tenentur, ubi à Medicis Regiis pilulæ conficiuntur exitiali veneno turgidæ, quæ iis, quos Rex clandestinæ morti destinat, exhiberi solent. Addebat exemplum exoticum & admiratione dignum; puerum septennem ὀφιόφαγον, *Brachmani* cujusdam filium, in urbe *Agrâ*, qui tanta aviditate in cibum sectabatur venenosa animalia, araneos, scorpiones, serpentes omnis generis, ut iis vix satiari posse videretur. Quam rem cum intellexisset Legatus, rei experimentum sumpsit, præcipiens domesticis, ut puerum quæsitum sibi sisterent, atque una serpentes, quos poterant, magis pestiferos, eà tamen cautela absconditos adferrent, ne puer primo statim intuitu in eos nimio appetitu perculsus incurreret, quod uti præceperat, factum fuit; sed desideratæ lethææ deliciæ puerum minime latere potuerunt, ingressi siquidem cum canistro nonnullis serpentum exitiosissimis referto, vix dum ei se stiterant, ecce, sive ex odore sive ex naturali quodam sympathetici affectus consensu, in canistrum, moram non sustinens, puer ὀφιόφαγος, velut impetu facto, irruit, & mirum dictu, raptis canistri clausis, sine ullo delectu unum post alterum manu ereptos, sine ulla virulent fellis, intestinorumque exemptione, à capite ad caudam usque famelici canis adinstar, ad unum omnes devoravit, tanto cum gustu, & voluptatis sensu, ut non pestiferum quid, sed deliciosum cibi suavissimi edulium devorare videretur. Quæ rei narratio, uti præsentes summa admiratione affecit omnes, ita quoque protinus

Præsens pilorum Tigridis venenum.

Puer ὀφιόφαγος.



tinus de rei inſolitæ eventu, uti fieri aſſolet, & de prodigioſa hujus ὀφιοφαγίας cauſa, diſquiſitio nata eſt.

Altera poſt funus fraternum die Imperator edicto Cancellarium monuit, *Hollandos, Mogolicos & Occidentalium Tartarorum Legatos, coram throno Majeſtatis ſuæ ſiſteret.* Moniti quoque publicis edictis omnes *Pekingæ* Magnates, ut *ejuſdem diei ſolemnitatem ſua præſentia conſpectiorem redderent.*

Legati coram throno apparent.

Tandem poſt tot remoras exoptata illa illuxit dies, qua Magni Tartarorum Sinæque totius *Chami* conſpectum audientiamque admitteremur. Altera poſt mediam noctem hora Mandarinus *Pinxentou* cum reliquis Proregum *Kantonenſium* procuratoribus, aliiſque aulicis magnifico apparatu lucernis, Legatos deducturi, in Palatium noſtrum venerunt. Ex univerſo comitatu noſtro ſex more gentis, qui Legatos in aulam comitarentur, ſelecti; reliquis domi manere juſſis. Per duplices aulæ Portas magnis latiſque areis diſtinctas introducti, nudis inſidere ſub cœlo ſaxis tamdiu, donec lux oriretur & Majeſtas *Chamica* in throno ſuo conſpiciendam ſe exhiberet. Parvo poſt intervallo Legatus *Mogolicus* quinque ſtipatus Præfectis, ac viginti Æthiopibus *Abiſſinis*, ad Legatorum latus & ipſe conſedit; idem *Lammâſum* & Occidentalium Tartarorum, qui ab ipſis *Sutatads* appellantur Legati fecerunt.

SUTATADSUM Legatus Principem in aula locum gratiamque obtinuit, nec quiſquam citiorem expeditionem nactus, quod *Magnus Chamus* amicitiam Regis illius maximi ob viciniam & copiam præſtantiſſimorum equorum, faciat. Quæ mandata ejus fuerint nobis non conſtat; munera *Chamo* & pro ſalute vota ferre dicebatur.

Sago



Sago infra ventrem ex crudis ovium velleribus, lana extrinſecus conſpicua propendente, abſque manicis, indutus, nuda ab humeris brachia lacertoſque oſtentabat, pileolo Tartarico, cujus ex Zabellina pelle margo aliquot digitorum latitudine, apex pilis equinis, quibus in rubrum ſingulari arte colorati criſtarum inſtar utuntur. Infra laxis ad talos caligis, veli cujuſdam imagine crura verberantibus. Ocreæ tanta craſſitie & pondere ſolearum, ut & incedentem tardarent, & facili negotio pedibus ob laxitatem excuti, ac evibrari poſſent. Ad dextram (more Sinico) acinacis latus graviſque, ut militem primo aſpectu non Legatum dixiſſes. Neque alius comitum, quos ducebat habitus, ſed ſinguli pharetram ſagittis refertam in dorſo geſtabat.

Legatus MOGOLUM tunica cœrulea auro rigente ad talos uſque indutus, laxa toto corpore, niſi quatenus cingulo ſerico conſtringebatur, à qua pretioſi flocci propendebant. Crura ocreis ex corio Turcico concinnis, caput Tulbando verſicolore magni pretii tectus erat.

Qui cum tantæ magnitudinis adamantem juxta tot libras lapidis *Colubrini Magni Chamo* dono dediſſet, mira de inaudita multitudine pariter ac magnitudine adamantum *Magni Mogoris* prædicabat, ac ſi univerſum mundum in adamantibus poſſideret; ut & de virtute lapidis *Serpentini*, quem partim naturalem in Serpentes concretum; partim ex variis venenoſorum animalium, potiſſimum hujus colubri piloſi, tranſmutatum à *Brachmanibus* in quorundam certi generis Serpentum capitibus adinventum referebant. Colore marmor adæquans, ſed magis ad glaucum vel cæruleum vergente. Antidotum toti fere Indiæ, & Chinæ uſitatum. Cujus experientiam

Legatus Mogolicus mira de lapide Serpentino refert.

rientiam nobis præsentibus in Sinæ manu Scorpionis ictu læsa fecit; vulneri vix lapis admotus, quin omne virus intra musculorum interstitia diffusum, repulsum, & à lapide tanta proportione & celeritate, ac à magnete ferrum, attractum fuit, ut Sina veneni jam ad hunc, modo ad viciniorem plagæ locum affluxum digito monstraret, & lapis jam vulneri contactu unitus, veluti suo officio probe functus, qui plagæ inseparabiliter fixus adhæserat, suâ sponte delapsus hominem perfectæ sanitati reliquit. Quo experimento commotus, prece & pretio mihi lapidis portionem comparavi, quem à Tornione ad formam calicis excavari jussimus, cum cujus fragmentis postea in cane à vipera morso periculum feci, quorum aliquod vulneri à vipera cani inflicto mox appositum, protinus ita cohæsit, ut difficiliorem avulsionem pateretur, tamdiu affixum vulneri, donec exucto om[illegible] veneno hirudinis instar jam satur sponte sua decideret, quo peracto canis paulatim liber à veneno, etsi aliquanto tempore torpidus, ad se tamen rediit pristinæ sanitati restitutus. De hoc lapide *P. Michael Boim* in sua flora Sinensi meminit: *In India & Regno* Quansi *in quorundam certi generis Serpentum*, (*quos* Cobras de Cabelo, id est, *Capillatos Serpentes Lusitani vocant*) *capitibus lapis reperitur contra morsus, ibidem à Serpentibus inflictos homini alias spatio viginti quinque horarum interituro. Lapis hic rotundus, lenticularis, ut plurimum figuræ, coloris in medio albi, & circumcirca glauci, aut cærulei; vulneri applicatus per seipsum hæret, veneno vero jam plenus decidit. Post lacti immersus per aliquam moram ad statum naturalem se reducit. Lapis hic non omnibus communis, si iterato vulneri adhæreat, virus omne exhaustum non fuit, si non adhæreat, moribundo indigenæ de superato mortis periculo congratulatur.* Præterea referebat *Brachmanes* hunc lapidem arte æmulari, ex confusis, hujusmodi intra Serpentes lapideis frustulis, vel etiam vitalium ex capitis, cordis, hepatis, dentiumque una mistis portionibus terræ sigillatæ conflantes, qui eâdem, qua naturalis, polleret virtute; quam artem nemo adhuc à *Brachmanibus*, aut *Joguis* etiam magna pecuniæ vi oblata impetrare potuit. Illum calicem in patriam retuli, quem etiamnum Amplissimus Vir *Roetert Ernst* Scabinus & Senator Amstelodamensis inter rariora naturæ miracula reservat.

Regnum *Magni Mogoli*, qui hunc Legatum magnifica ad Magnum Tartariæ Sinæque *Chamum* miserat pompâ, Boream Indiæ partem complectitur, quæ monte *Caucaso* (jam *Dalanguer* dicti) Oceano, & fluminibus *Ganges* & Indi in orbem clauditur. Hoc Regnum *Mogol* sive *Mogor* à Tartarorum Rege, qui olim hanc gentem ferro subegerat, nomen suum obtinet, in varia distinguitur Regna, quorum aliqua alii Duci pareant. Præcipua sunt *Kambaya*, *Dely*, *Sanque*, *Mandro* & *Bengala*. Aulam hic Magnus Dux in Regno *Dely*, ac urbe cognomini tenet. Universum hujus Ducis territorium pingui gleba & omnium rerum feracissimum. Nam oryza, triticum, cera, saccharum, Thus, & alia aromata, gossypium, & se-



& ſericum magna copia ex hac plaga à vicinis & exteris petuntur, unde grande incolis emolumentum datur.

Certò creditur, quod hic *Magnus Mogol* mox ad cantum claſſici ter centena millia Equitum, & quinquies centena Elephantum, & ineffabilem peditum numerum recenſeat.

Legatus LAMMASUM flavo habitu, lato, ut Cardinales Romani, pileo, ad latus globuli precatorii dependebant. Hi *Lammaſæ* genus hominum religioni deditorum eſſe perhibentur, qui diu intra Sinam ſacra ſua cum exercuiſſent, ab ultima familia *Taimingæ Vanlieo* aut *Zungchinio*, pulſi ad Tartaros majori libertate fruituri conceſſerant. Reliqui per hunc Legatum nomine totius Sectæ reſtitutionem integram, & ſacrorum ſuorum libera per Imperium exercitia ſupplices petebant. Ante portam hujus, in qua diem præſtolabamur, areæ, tres nigri Elephanti, magnifico ornatu, dorſo turribus inauratis multa imagine variegatis, in quibus vigiles excubabant, conſpiciebantur. Inde ingens & innumerabilis turba, tota ad ſpectaculum ſedibus ſuis civitas excita, & ipſa illa confuſio pars magnificentiæ habebatur. Legati LAMMASUM.

Utrumque portæ latus innumera militum prætorianorum copia, qui omnes Tartarico habitu armiſque, obſidebatur. Loco paulatim tenebras fugante, Magnates Sinarum Tartariæque, Imperatoris, ut dictum, edicto ad pompam evocati, intentis in nos oculis peregrinitatem noſtram ſtupebant ſimul & admirabantur: vix hora tranſierat, cum ſigno dato omnes celerrimo quaſi tumultu excitati, conſurgebant. Duo ex Tartarorum Magnatibus

Legati secundam & tertiam aream intrant.

bus, qui hactenus internuncii Legatorum fuerant, eos aliâ portâ in secundam aream, & ipsam milite Tartaro, aulicorumque plenam; huic tertia quartaque porta in intimam aulam, ubi Palatium *Magni Chami* ejusque Thronus conspiciendus dabatur, deduxerunt. Area hæc interior quadrata ambitu quadringentorum passuum, milite utrimque togis ex rubro serico floribus variegato indutis latera ejus tegentibus. Subsellium Throni Imperatorii centum duodecim selecti, vario singulorum habitu vexillisque, sed omnes pileis nigris, plumis flavis & floccis induti, hoc ordine cingebant.

Ornamenta Throni.

Proximi throno *Magni Chami* duo & viginti, quisque flavum manu tenentes umbraculum. Inde decem alii, singuli circulum aureum Solis specie, & sex præterea circulos instar Lunæ plenæ in altum elevantes. Postea sedecim contos, quorum extremis magni ex serico versicolore flocci dependebant, protendentes. His adstabant triginta & sex vexilliferi vexillis Draconum aureorum, monstrorumque varia forma, quod Imperatoris insigne. Inde quatuor alii, quorum singuli clavam inauratam vibrabant dextrâ, quos quatuor bipenniferi, aliique convenientem Sinicæ Majestati prosopopæiam agentes subsequebantur. Et hæc unius ad Thronum lateris positura; alterius eadem plane facies, & circumcirca innumerabils aulicorum, uno omnes vestitu, regia luxuria superbientes. Ante gradus Solii ab utroque latere sex candore nivibus candidiores equi, stragulis multo auro rigidis, frenis gemmarum splendore micantibus, stabant. Dum hæc admirabundi spectamus, campanula penetrantissimo sonitu aures demulsit.

Vix campanula sonare desierat, cum miles Tartarus in medium prosiliens, flagellum, quod ex concavo corio Serpentis instar consutum videbatur, tribus spiris tanta arte & celeritate quatiebat, ut haud minori sono, quam bombardæ, aër ejus impetu diverberaretur, idque cum tribus vicibus, repetitum ab eo fuisset, denuo multitudini se immiscuit.

Tutangus alii reverentiam exhibent.

Tum omnibus nobis consurgentibus Senior *Tutangus*, amplius triginta aliis Magnatibus ejus vestigia prementibus, ad Imperatoris Solium propius accessit, qui præcone acclamante *Magnum Chamum* capite novies ad terram inclinato venerabantur. Suavissima interim Musica instrumentis pariter & cantantium vocibus inter se certantibus aures omnium titillabat.

His à Solio digressis, Cancellarius duoque ex Senatu aliam magnificorum & illustrium Magnatum turmam ducentes, eadem veneratione Solium adorabant. Inde Legatis *Sutadsorum*, *Lammasumque* ab utroque Cancellario pari pompa deducti. Tum Cancellarius ad Legatos nostros reversus, qua dignitate censeri vellent, rogavit, illis *Thiomping* respondentibus; ita enim à *Kantonensibus* Proregibus nominati jam dudum fuerant. Eadem ex *Mogolico* quæsivit, qui cum se parem Hollandicis Legatis professus esset, utrique pari honoris dignitatisque gradu ut *Thiempingæ* habebantur.

Cancellarius rogat, quo dignitatis loco Legati haberi velint.

In areæ medio è regione mediæ Throni Imperatorii portæ viginti saxa, veluti limites, Sinensibus æri incisis characteribus notata conspiciebantur,

quæ

quæ ubi quisque pro gradu & dignitate sua subsistere ac honorem Imperatori exhibere teneretur, designabant. *Tutangus* minor ad lævam subsistens nutu significavit Legatis, ad decimum lapidem accederent, ibique subsisterent. Tum præco alta voce exclamavit: *Ite & ad thronum appropinquate.* Accessimus omnes. Iterum præco: *locum vestrum occupate.* Occupavimus. *Ingeniculate.* Ingeniculavimus. *Caput ter incurvate.* Incurvavimus. *Surgite.* Surreximus. Tandem: *redite in locum vestrum*, & statim ad latus secessimus. Legati nostri, *Mogolicusque* in theatrum trium altitudine virorum, cui domus Throni innitebatur, variisque *Cochleis* & ex alabastro vel albo lapide pergulis exornatum deducti, cum iterum incurvati caput terram versus inclinassent, considere jussi, Tartarico potu *The* lacte mixto & ligneis *Carchesiis* hilariter reficiebantur, nobis in area subsistentibus, eodemque potu ab aulicis copiose tractati. Interea denuo campanula insonuit & flagellum coriaceum intonuit, cum omnis in genua procidit multitndo. Nos avidi tantum Imperatorem in summa Majestate conspiciendi, innumera cum cingente hominum copia prohibebamur. Legati solitas *Magno Chamo* reverentias exhibent.

Triginta circiter passus à Legatis in Throno, auro gemmisque refulgente, considebat. Peristylia Throni specie duorum Draconum adeo faciem ejus inconspicuam reddebant, ut Legati non nisi extrema ejus videre possent. Ei assidebant Proreges, Principes consanguinei & Proceres aulæ primarii, togis sericeis colore cœruleo, Serpentibus aureis Draconibusque intextis, tegmine capitis apice aureo & gemmis refulgente, qui & ipsi potum *Thee* ex ligneis vasculis alacriter hauriebant. Bina Throni latera viginti Prætoriani arcubus & Sagittis instructi, sed nullo peculiari vestitu, cingebant, qui Legatis penitus aspectum Imperatoris eripiebant.

Vix octavâ horæ *Magnus Chamus* in sublimi Throno consederat, cum & ipse & omnis ejus aulici surrexerunt, Legatis nostris ex theatro tum quoque descendentibus; quod dum utrimque fit, Legatorum unus *Jacobus de Keyser* observavit *Chamum* eos oculis suis retro prosequi. Statura, quantum in ille transitu Legatus notaverat, media, juvenis adhuc colore albido, carnosus, aurea à talis ad verticem veste, ita ut serica filamenta nulla conspicerentur. Id mirum nobis videbatur, nec conspectu Imperatoris, nec alloquio Legatos potiri potuisse; sed ita Sinensium mos fert, quoties in throno Majestatis consident, nulli Legato, neque aliis, nisi intimis aulicorum videndos se præbere. Qualis *Magni Chami* in Throno sessio.

Cum Legati descenderent, simul omnes aulici confusa quasi fuga repente discesserunt. Milites vexillis suis in humeros absque cura rejectis, sine ordine domum quisque suam properabant. Neque Legatis facile fuit, per densos multitudinis cuneos ad Palatium penetrare, quanquam custodiæ corporis nostri destinati milites populum ad latera fustibus dimoverent.


Vix in hospitium se Legati receperant, cum duo Primarii ex Senatu adfuerunt,

fuerunt, qui nomine *Magni Chami* veſtitum Hollandicum, cujus inſpiciendi cupido inceſſiſſet, petebant. Data ipſis ex villoſo holeſerico nigro integra veſtis, cum ocreis ex Hiſpanico corio, calcaribus, tibialibus ſericeis, & quæ inſuper lintea requiruntur, gladius, & fibrinus pileus. Tanta voluptate ea *Chamus* adſpexit, ut dixiſſe adſtantes retulerint: *Si hæc Legatorum veſtimenta ſunt, quibus ergo ipſi Reges utentur?* Veſte circa veſperam remiſſa præcipue pileum ex pilis fibrorum contextum mirabantur, ubi, quomodo conficerentur, ſolito ipſis more interrogantes.

Quandoquidem hæc aula *Pekinenſis* præ incredibili magnitudine, ſplendore, artificio, proceſtriis, theriotrophiis, hortis, piſcinis more omnium, omnem omnino Europæorum ſuperans apparatum, ejus planum in hoc ſchemate cum accuratiſſima locorum delineatione, ut propriis oculis, & auribus uſurpavimus, exhibemus.

Aulæ PEKINENSIS deſcriptio.

Aula quadrata, ambitu duodecim *ly*, ſive trium horæ quadrantum intra ſecundum urbis murum Boream verſus, firma altitudine, quindecem amplius pedum muro, coctilibus rubris, ſupra flavis tegulis tecto. Quatuor ad ſingula latera, verſus mundi plagas, à quibus denominantur, portæ: Auſtralis præcipua & maxime commeantibus frequens. Nos Throno Imperatoris appropinquantes, per hanc portam Auſtralem in aream quadringentorum paſſuum, foſſâ ponte quatuordecim paſſuum ſtratâ, ſed illum & gramine ob neglectum luxuriante, milite Tartarico equeſtri & pedeſtri ibi magna copia ſtationem habente, deducti fuimus. Ponte transmiſſo prima porta, ad cujus utrumque latus plerumque tres nigri Elephanti excubias agunt, occurrit. Per hanc quingentos paſſus longam & quinque elegantibus arcubus innixam portam, area & ipſa quadringentos lata pedes, in quam à *Pixentoo* ſummo mane, ut cum aliis Legatis diem expectaremus, deducti fuimus, ſe aperit ædificiis inſignis; tria craſſis firmiſque muris eminebant, ex quibus tota area defendi poteſt. Inde in alteram aream tranſitus ejuſdem magnitudinis & ſtructuræ, ac tandem per concameratos fornices in tertiam ultimamque lapide ſecto ſtratam, ubi *Chami* ſedes, ac palatia ſupra fidem, Sinico opere, ſplendida, præcipue quatuor tria latera cingentia & quatuor gradibus infra ſolum depreſſa. In medio Palatium, ubi *Magnus Cham* Throno inſedit, cum à nobis conſpiceretur; tres Arcus Triumphales eo ducunt: atque ibi Imperator, Auguſta, Eunuchi & Concubinæ; cæteri fere omnes aditu excluduntur. Una tantum uxor ejus, cæteræ concubinæ munia domeſtica obeunt, numero fere quinque mille. Eunuchi præcipua conſiliorum tractant; hortos, vigilias & alia curant. Eadem aulæ facies ingredientibus ab aliis lateribus: nam media area in crucis formam ſecta, verſus quatuor mundi partes æqualiter extenditur: circum horti, ambulacra, luci, lacus, piſcinæ paradiſi ac palatia, quæ inter liberos & concubinas, quarum quatuor præcipuæ, diſtribuuntur. Varia per tertiam aream, Eunuchis, Concubinis, Ancillis, Sacerdotibus aliiſque habita-


Interior aulæ Imperatoriæ facies.
T KEYSERS HOF van binnen
1. Palatium in quo Imperatoris solium continetur.
2. Legati Batavorum.
3. Legatus Magni Mogolis.
4. Duodecim albicantes equi.
5. Tartarus cum coriaceo instrumento.
6. Fecialis
7. Imperatoris Somatophylaces.
1. 't Palleys daer s'Keysers Throon in staet
2. de twee Nederlandsche Ambassadeurs
3. Een Ambassadeur van den Grooten Mogol
4. twaelf sneeuw-witte Paerden
5. Een Tarter met een leere wint slangh
6. den Herout
7. Keysers Lyfwachten.
12.

habitata ædificia; cum plures quam ſedecim mille homines in Palatio degant: eſt & gerontophrophium, in quo ſenes decrepiti aluntur.

Omnia ædificia intus extuſque magnificentiſſima, auro & ſtatuis ac opere Topiario ita exornata, ut ſpectantibus ſtuporem præ admiratione injiciant. Frontiſpicia ædium firmis columnis ſuffulciuntur amplis ex ſecto marmore ambulacris decorata. Quicquid lignorum lapidibus inſertum, lacca *Cie* illitum, aut auro obductum cernitur. Tecta flavis & inſtar auri Sole fulgente reſplendentibus, ex luto coctis imbricibus pulcherrime micant: unde error ortus auro puro Palatii tecta conſtare. Singulæ tegulæ clavo caput inauratum firmantur: ut nihil in Palatio, quod non ſit flavi & regii coloris, conſpiciatur.

Præter illam illuvie & gramine fœdam foſſam, alia adhuc profundior crebris mæandris per totam aulam diſcurrit, ac varios lacus facit, hortos, Paradiſos, lucos irrigat & humectat. Hæc foſſa aquas ſuas ex fluvio *Yo*, cujus fontes in montibus *Jociven* ex palude *Si* oriuntur, accipit; tanta profunditate, ut magnarum navium ſit ferax, & ejus beneficio onerariæ naves in ipſam aulam merces ſuas deferant. Idem fluvius rivos ſuos in hac aula per arte factos montes & rupes diſpergit. Non aliâ in re clarius Sinenſium ingenium, quam in montibus ejuſmodi artificioſis elucеſcit, ubi ipſam naturam ſuperare videntur. Ex lapidibus & marmore fiunt, hinc inde floribus & arboribus pulchre exornati. Ditiorum & Mandarinorum horti ac Palatio iis ſuperbiunt. In *Pekingenſi* territorio reperiuntur, qui non ſpeluncas modo, verum cubicula, aulas, ſcalas, vivaria & omnis generis arbores habent, tanta arte, ut Europæi noſtri palmam Sinis concedere cogantur. Uſus horum montium arte factorum eſt, Solis ardores æſtivo tempore gratiſſima umbra & frigida aura frangere, ſpiritus reficere, convivia celebrare & ſtudiis incumbere.

Sunt, in quibus Labyrinthi tot erroribus confuſi, ut vix trium ſpatio horarum emetiri poſſis. Innumera alia ſunt, quæ fidem & admirationem ſuperant: ſed vel ex his conſtat, quantus aulæ & urbis *Pekingenſis* ſplendor ſit, quæ compendium totius Imperii Sinici eſt.

Moris *Pekingæ* eſt, ubi in conſpectu Imperatoris comparuerint, argumento præſentiæ tranſiiſſe hac vice, ut tribus ordine Imperatoriis conviviis excipiantur Legati gentium nationumque, quorum ſingula decennio circumaguntur, integro menſe ad *exactionem* requiſito. At quia celeriori Legatis reditu opus erat, quam ut tam diu ſolennia expectarent, interceſſione ſupremi Cancellarii non abſque multis inſtantiis obtentum fuit, ut tribus continuo ordine diebus conviviis abſolverentur.

Secunda poſt meridiem hora ejuſdem, qua *Magni Chami* præſentia fruiti fueramus, Mandarinus *Pinxentou* aliique *Kantonenſes*, qui *Pekingam* nos ſeduxerant, Imperatoris nomine domum *Lipui*, qui vel Cancellarius vel Regni Præfectus vocari poteſt, evocati ad ſplendidum convivium fuimus.

Legati

Legati quoque *Mogolum* Indorum , *Sutadzorum* & *Lammazum* aderant. Hollandi à dextris juxta *Mogolicum* ; cæteri ex adverſo comitatus ſinguli retro conſederunt. Duabus vicibus ſplendida congeſta fercula : primæ menſæ fructus,& ex ſaccharo toſta bellaria: alterius ex ovibus,Bubus & Camelis coctæ carnes. Singulis Legatorum ſeparata menſa, & ex comitatu duobus idem honos habitus; triginta argenteis patinis cibariorum molem ægre ſuſtentantibus. *Magni Chami* repræſentans aulæ Imperatoriæ Magiſter ſolus lato, & ſublimi ſcamno cruribus complicatis ſuæ inſidebat menſæ, duobus juxtim Magnatibus aliis, qui cuncta obſervantes Legatis hilarem vultum præbebant. Cibos non alii præter nobiles & purpuratos, menſis ſervientes inferebant.

Antequam Legati diſcumberent, omnes ſimul Boream verſus, qua plagâ *Magnum Chamum* verſari tum dicebant,reverentiam ei corpore ter inclinato exhiberi juſſi fuerant, eo, quo ante Thronum veneratos diximus.

Sublatis bellariis, carnes aſſæ elixæque tribus tantum patinis apparatu adeo ſordido, ut nauſeam potius quam appetitum excitarent. Finito fere convivio,magiſter aulæ famulis omnes,quæ coram ſe, patinas auferre juſſit; ipſe unam tantum, parte Cameli cocta oneratam, qua famelici inſtar paſcebatur, retinuit.Quicquid ciborum reſtabat Legati more gentium,ſecum in ſacciperiis auferre juſſit. Jucundiſſimum ſpectaculum, videre Tartaros coriacea ſacciperia ſua & ovillis pellibus conſutos thoraces ingeſtis cum pinguedine & deſtillante carnium jure ciborum reliquiis farcire effluente per ſaccos ſanie, & veſtibus eorum cereiſque ſevo relucentibus. Certamen inter ipſos, quis plurimum ſemeſarum fruſtarum abriperet.

Poſt prandium ahena ex auro argentoque plena potu *Sampſou* afferebant, quam in malluvia effuſum, inde ingentibus cochlearibus in aurea & argentea carcheſiis infundebant, hoſpitibus ſorbendum porrigentes. Potus is ex lacte dulci diſtillatus perhibebatur , ac peculiaris *Magni Chami* eſſe, cujus cellarium hoſpitibus tam longinquis eo liquore triſtitiam corde expellere deberet. Viribus vino aduſto haud inferior,& cum multoties Legati paribus hauſtibus architriclino reſpondiſſent, quicquid reſtabat, auferre ſecum juſſi; ſed militibus portæ adſtantibus,aliiſque haud parva eorum delectatione diſtribuerunt. Ita cum denuo Imperatori, inclinata ad Boream facie gratias egiſſent, haud parum illa die tot corporis flexionibus fatigati, in Palatium ſe receperunt.

Altera die & ſecundâ Octobris *Tutangus* ſive Imperii cuſtos Legatos interrogavit, *Verumne eſſet quod vulgo de Hollandis perhiberetur, triduo integro ſub aquis eos vivere poſſe.* Nam & hoc Luſitani atque Jeſuitæ credulis Tartaris inſuſſuraverant, nos & extorres eſſe & ex præda maritima, piſcium inſtar, ſupra & intra mare vivere. Legati, irriſa clam vanitate talia vel rogantium vel fingentium, *Mercaturæ mutuæ cum illis omnium jure gentium exercendæ ergo ſe veniſſe dicebant, id quod per plurima orbis totius regna abſque*

fraude

fraude & dolo facerent; *Optasse idem in Sina sibi concedi.* Tutangus *sibi idem votum, nec defore honestis eorum desideriis suam industriam*, respondit. Legatis ipsi demonstrantibus inutiles hactenus & parum proficuos conatus, quos adhibuissent *nunc aliter fieri non potuisse* dicebat; *redirent altera vice, ac* Chamo *gratias pro amicitia, in quam recepti, agerent, libera per universum regnum commercia se haud vana jactantia ipsis polliceri, neque sumtus formidandos: Exiguas quasdam largitiones magnis promovendis destinationibus suffecturas.* Ita Legati primo convivio solenni exacto, altera die post meridiem secundum auspicati sunt, Legato *Mogolico* adversum Legatos cum aliis magnificis Mandarinis ac præcipuis aulicorum considente. Mox deprehensum, majori affabilitate ac affectu *Mogolicos* excipi, nostris mirantibus & interpretem causam rogantibus, *nondum huic, qui convivium præbebat Domino munera honoris ergo exhibita*, dixerunt. Res adeo Legatis improvisa, qui *Pinxentoum* cæterosque *Kantonenses* Mandarinos sufficientibus *Nankingæ* donis, quibus Magnates *Pekingenses* remunerarentur, pro officiis præstandis instruxerant, ut tum demum se deceptos sentientes, rationem accepti expensique exegerint, ipsis eo prætextu abeuntibus, quod eos, in quos munera distribuissent, metu indignationis *Magni Chami* nominare non ausint. Hac & aliis causis, quod nondum ex voluntate Imperatoris res nostræ expeditæ essent, tertium in decimam quartam Octobris convivium rejectum fuit. Quæ cum illuxisset, equis ad Palatium secundi Cancellarii jam muneribus placati & longe aliter quam hactenus erga nos animati, magnifice & humanissime tractati fuimus. Cumque aliquoties mutuis poculis frons exporrecta, nomine *Magni Chami* Imperatoriis donis remunerandos nunciabant. Dona duabus longis tabulis eleganti ordine disposita conspiciebantur. Ac primo quidem munera Domino Generali *Johanni Maatzuiker* à *Magno Chamo* destinata porrigebantur, quæ à Legatis in genua more Sinico procumbentibus utraque excipiebantur manu. Deinde singuli tam Legati, quam comites eorum, nomine prælecto evocati, sua quisque dona ingeniculans accepit. Ita fine his cerimoniis imposito, cum ter iterum Thronum *Magni Chami* Imperatorium incurvato corpore & flexo capite venerati fuissemus, domum equis revecti acquievimus.

SERIES
Munerum à MAGNO CHAMO donatorum, primo

Strenuo Gubernatori *Joanni Maatzuikero.*

Trecentæ argenti Teilæ.
Quatuor volumina serici Damasceni non picti.
Quatuor volumina serici nigri, totidem cærulei.
Quatuor volumina cærulei Damasceni.
Quatuor volumina serici attalici, quorum duo cum Draconibus.

Quatuor volumina serici Phrygiani	Sinis & mercatoribus,	*Thuys.*
Duodecim volumina serici Picti.		*Peling.*
Decem volumina serici Depexi.		*Hockjens.*

Quatuor volumina cærulei picti Damasceni.

Quatuor volumina Xylini,	Sinis & mercatoribus,	*Gazen.*
Quatuor volumina Bombycini,		*Foras.*

Quatuor volumina nigri Holoserici.

Legatis, qui æqualia omnino munera accipiebant.

Centum argenti Teilæ.
Quatuor volumina Serici picti.
Quatuor volumen Xylini.
Quatuor volumina Serici depexi.
Tria volumina Tramo-serici cœrulei.
Tria volumina nigri Damasceni, totidem cærulei.
Duo volumina Serici attalici.
Unum volumen nigri Holoserici.

Secretario *Henrico Baroni.*

Quinquaginta Argenti Teilæ.
Duo volumina Serici picti.
Duo volumina Xylini.
Unum volumen Damasceni.
Unum volumen Serici attalici.
Unum volumen Holoserici.

Aulicis,

Aulicis, qui æqualem cunctis portionem largiebatur; videlicet.

Quindecim Argenti Teilæ.
Duo volumina Serici depexi.
Duo volumina Kuntowaat.

Interpreti *Antonio Carpentier.*

Triginta Argenti Teilæ.

Interpreti *Antonio Duret.*

Toga Damascena Serico attalico circa colla prætexta.

Mandorino *Pixentoo.*

Toga palmata inauratis Draconibus rigens, quæ ex tempore induenda erat.

Reliquis Mandorinis, qui Equites creati erant.

Equi sine Ephippio.

Singulis centurionibus, qui Præsidio militari *Kantona*, *Pekingam* præerant.

Chlamys ex cæruleo Damasceno, circa collum serico attalico prætexta.

Viginti militibus singulis.

Paludamentum ex viliori Damasceno mixti coloris.

Biduo post decima sexta Octobris, qua die *Pekinga* discessimus, duo Tartari Magnates, quorum tam frequens ad nos ab Imperatore fuit commeatio quindecim carros, impedimentis convasandis, palatio nostro admoverunt.

Eadem die Legati per Mandarinum *Pinxentouum* in aulam *Lipui*, ubi Senatus Imperialis habebatur, accipiendis literis ad Generalem Bataviæ à *Magno Chamo* scriptis, evocati, circa decimam equis eo advehentes in exteriori aula quendam ex præcipuis Senatoribus literas, mensæ flavo Serico stratæ impositas attollentem, eas aperientem ac summam circumstantiasque omnes recitantem, conspexerunt. Duplex earum literarum, Sinico Tartaricoque charactere & lingua, exemplar erat, marginibus inauratis, dorso floribus aureis argenteisque picturato circum aureis Draconibus

conibus per ſpiras ſuas intortis. Apertas iterum convolvit & flavo linteo involutas, ne indecore comprimerentur aut maculis fœdarentur, longæ arundini inſeruit ac denuo flavis linteis implicavit. Ita compoſitas munitaſque brachiis Legatorum impoſuit literas, quas genu flexo eximia reverentia exceperunt. Deinde idem Senator literas à Legatis receptis, tergo unius ex Interpretibus alligavit, qui iiſdem quaſi oneratus, Legatos per mediam aulæ portam, quæ ſuis Imperatoriis literis aperiebatur, præcedebat. In tota hac actione, neque in ullo convivio vel verbum de Belgarum poſtulatis movebatur.

Literæ Magni Tartarorum *Sinæque Chami*, ad Generalem Bataviæ.

Rex has literas Bataviam Hollandicam ad Gubernatorem Generalem Joannem Maatzuiker *mittit. Noſtræ regiones tam longe diſtant, quam Occidens ab Oriente, ita ut difficulter convenire poſſimus. Et ab omni ſeculorum ad hanc diem memoria, Hollandi apud nos viſi non fuerunt. Sed tu valde ſapiens & boni animi, qui ad nos miſiſti* Petrum de Goyer, & Jacobum de Keyſer, *qui tuo nomine coram me comparuerunt, & munera attulerunt. Veſtra regio decem millibus milliaribus hinc diſsita eſt; veruntamen ſincerum animum tuum oſtendis, dum noſtri meminiſti. Ideo meum quoque cor vehementer erga te inclinatum eſt. Propterea mitto ad te* duo Serici volumina cum Draconibus, *item* alia duo Serici volumina, quatuor volumina Serici depexi & picti, quatuor volumina Serici cærulei ſine pictura, quatuor volumina Serici undulati, decem volumina Serici picti, quatuor volumina Kin, decem volumina Phanſii, decem volumina Serici rarioris texturæ, trecentas argenti Teilas. *Petiiſti libera per meum Imperium commercia, merces invehendi & evehendi, quod populo valde lucroſum foret. Sed cum tua regio longiſſime diſſita ſit & hic vehementes venti graſſentur, à quibus magnum navibus periculum imminet, & ſævum gelu, nivibus & grandine mixtum dominatur, commiſerarer populum tuum huc adventantem. Sed ſi omnino placet, ut huc veniant, fac ut ſingulis tantum octenniis huc veniant, nec plures centum viris, quorum viginti illum locum, ubi aula mea erit, adire poterunt, & tum veſtras merces in terra exponere ac domui veſtræ inferre poteritis ſine maritima apud* Kantonam *permutatione. Hoc ex benevolentia veſtra bene ita ſtatui & tibi acceptum fore confido. Hoc eſt quod te ſcire volui.*

Anno tertio & decimo, octavo menſe,
die vigeſima nona Imperii

SUNGTEI.

Paulo inferius ſubſcriptum erat,

HONGTEE THOEPE.

Cancel-

Cancellarius Imperii ea ipsa die negotiis aulicis adeo occupabatur, ut ejus ante abitum compellandi nulla Legatis facultas data fuerit: nam eum vehementer adhuc semel alloqui desiderabant: quippe ipso amico omnia ab Imperatore impetrabilia censentur; est enim Tapanta, ut loquuntur. Hic idem ille erat, qui postridiæ publicæ audientiæ, inter alia ridibundus interrogaverat Legatos, *an* Magnum Chamum *vidissent*, & *an verum quod jactaretur Hollandos triduo sub aquis vivere posse.* Quæ ut supra dictum Jesuitarum calumnia & grande mendacium fuit.

Mensura victualium *Legatis* quotidie distributa.

Sex Catti Carnis recentis. { Pondus Catti valet, quinque quadrantes.
Anser.
Duæ Gallinæ.
Quatuor calices potus Sampsou.
Duæ Teilæ Salis.
Duæ Teilæ Tartarici Thee.
Una Teila cum duobus Maas Olei. { Teila Sinica valet decem Maas, singuli Maas drachmam unam & semis.
Sex Teilæ Misou.
Unum Maas Piperis.
Sex Catti Olerum.
Duo pisces recentes.
Duæ Teilæ Suttatti.

Secretario *Henrico Baroni.*

Unum Catti carnis recentis.
Quinque maas Thee.
Unum Catti Farinæ.
Una mensura Taufoe.
Quinque Condrini Piperis. { Condrinus est decima pars unius Maas.
Quatuor Teilæ Suttatti.
Quatuor Maas olei.
Quatuor Teilæ Missou.
Unum Catti Olerum.
Una mensura Arak.

Singulis personis comitatus.

Unum Catti Carnis recentis.
Una mensura Arak. { Spiritus distillatus.
Duo Teilæ Olerum.
Unum Catti oryzæ.

 Præterea

Præterea Imperatoris juſſu quotidie nobis unum *Picol*, id eſt, centum & viginti quinque libræ lignorum ad ſtruendum focum ſuppeditabantur. Ac ſingulis diebus recentia omnis generis poma, mala, pyra, pruna, ficus, uvæ, melones, dactyli, olivæ, cappares, & id genus aliorum magna copia. Ut & varia rei culinariæ ſuppellex. Verum Legati, ut rationem vivendi Hollandorum Tartaris, & Sinis oſtentarent, non contenti illis, quæ quotidie ipſis ex aula ſuppeditabantur, propriis impenſis magnifice ſingulis diebus convivabantur.


PEKING.
22.

Pars Quarta
LEGATIONIS BATAVICÆ,
AD
Magnum Tartariæ, Sinæque
CHAMUM,
QVÆ
Reditum Pekingâ, Nankingum *& inde Bataviam* Javæ *complectitur.*

VIx Legati literas *Magni Chami* acceperant, cum Deputati discessum eorum instanter urgerent, *moris in Sina esse* perhibentes, ut post exhibitas literas ultra bihorium in urbe Imperatoria nemo Legatorum moraretur, nisi quis gravem offensam incurrere velit. Ita post acceptas literas urbe Imperatoria *Peking* excedere coacti, nullam omnino occasionem negleximus ambitum ejus, & posituram, ac si quid rari continet, perlustrandi; quamvis toto mansionis nostræ tempore, velut carceribus quibusdam domesticis conclusi, ne semel quidem animi oblectandi ergo libera deambulatio concessa fuit; quanquam ab Imperatore optime & sufficientissime nobis omnibus rebus necessariis interim prospiceretur, & post habitam audientiam, duplicem mensuram victualium nobis, quod raro exteris Legatis contingit, assignarunt, eo diligentius multa, dum solenni pompa ad Aulam deducebamur, visa, observata, & sciscitata sunt.

Familiâ *Chevâ* Imperante urbs *Peking* vocabatur *Seu*, sub *Cina*, *Xangko*; sub *Hana*, *Quangyang*. Sub *Cyna* dicta fuit *Tanyang*. Demum *Taimingæ* stirps pulsis Tartaris *Peking* vocavit. Idque nunc durat, & Septentrionalem Metropolim ac âulam, sicut *Nangking* Australem notat. *Xuntien* à Geographis Sinicis vocatur, quod cœlo obediens sit. Tartaris *Kambalu*, id est, domini civitas dicitur, gradu latitudinis Boream versus quadragesimo, haud longe muro dissita. Descriptio urbis *Peking*.

Australem

Australem *Nanking* civium, militum, & Magistratuum numero superat: *Nankinga* magnitudine, plateis, munimentis eam præit. Versus Austrum duo ingentes, alti & lati muri, duodecim absque impedimento equorum capaces. Interior murus ambitu quadraginta *ly*, id est, duorum cum dimidio milliarium, tam crebris scatet propugnaculis, ut jactu lapidis non distent. Superne coctilibus, intra cæso saxo constat; intus terra compacta repletur, tanta altitudine, ut nulla totâ Europâ urbs similis. Eximus murus vulgari munimento. Ad portas tria firma propugnacula: Pons fluvio ad Boream tendit, fossæ vicem habenti, impositus. Inde per Australem portam dimidiæ spatio horæ iter, antequam ad interiorem urbem perveniatur, ubi immanis altitudinis moles: inde ad latus munitio duorum tormentorum; ex qua per veterem intimamque portam in urbem aditus. Per cunctas turres ac propugnacula noctu excubiæ militum perpetim, ac si hostes in propinquo. Interdiu Eunuchi, qui omnia in aulâ possunt, portas custodiunt, vectigalibus ab illis, qui transeunt, extorquendis.

Primus ex *Taimingâ* familia Imperator *Tiencien*, qui anno millesimo quadringentesimo quarto Sinam rexit, sedem ex *Nankinga*, *Pekingam* transtulit, ut ab avo *Humvuo* pulsos Tartaros, velut ex vicinia arceret. Hinc incrementa urbi & decora.

Duodecim ei portæ, per quas tota Sina quidquid pretiosum, infertur, multis navium millibus cuncta subvehentibus. Hic ærarium, & Regnorum proventus. Unde flumina & canales, si natura negavit, arte navigabiles: cuncta navigia uno quasi portu *Tiencien* conveniunt. Inde *Pekingam* tendunt. Hæc subvectio sterilem cætera urbem omnium abundantia rerum cumulat. Est ibi quoque eruditionis omnis theatrum: Ex totâ Sinâ, qui Magistratum cupiunt, congregantur, & per examina probati, ut merentur, titulos accipiunt. Plateæ Boreâ flante, nullis quippe silicibus, aut coctili lapide constratæ, itinerantibus ob lutum, vel pulverem molestæ: Solo ob nitrum & pluviorum inopiam caloribus æstatis pulverulento; unde cuncta ædium inficiuntur. Hinc ora velis tecti Magnates incedunt, quæ & pulverem cludunt, & tamen ob subtilem texturam oculos prospectu non arcent. Ipsi invisi aliis cæteros prætereuntes conspicientes nulla ceremoniarum, quæ multæ & operosæ, si agnoscantur, necessitate. Quisque pedes equesve, absque comitatu incognitus velatusque permeare potest. Et ut Boreas, ac calor pulverem: ita pluviæ lutum crassum, profundum, & vix pedibus permeabile excitant. Unde nulla totâ Sina urbs difficilius transitur, luto ipsos calceos, vel ocreas attrahente. Hinc opus prævalidis equis, aut jumentis, quæ tota passim ad eos usus urbe, exiguo pretio, & arti transferendis sessoribus assueta prostant, ductoresque platearum & hominum densis per lutum agminibus commeantium gnaros habent. Neque errari, quanquam vastissima, urbe potest, quia libelli impressi, quibus plateæ & ædes omnium civium describuntur.

Sunt,



Sunt & ſellæ geſtatoriæ, ſed majori, quam equi & jumenta, pretio, ſolis fere Magiſtratibus uſitatæ, & portatores ſemper ad ſervitia parati, ſingulari civilitate operam ſuam offerunt. Sellæ geſtatoriæ *Palankyns* vocantur, arundine contextæ. In medio ſellæ, pelle tigris induta, cui Magnas inſidet. Retro puer umbraculum capiti obtendens. Famuli binatim præeunt, & ſequuntur. Primum par tabulam rubram manu geſtant, poſtica ejus parte caudam trahente. Secundum arundines humeris geſtat, arcendis obviis. Tertium quadratam tabulam humeris geſtat, cui aureis characteribus nomen & dignitas Domini inſcriptum eſt. Quartum vexilla cærulea geſtat. Quintum arundines cùm aureis Draconibus. Sextum cum duobus capitibus monſtroſis ex arundinaceo calamo pendulis. *Palankinæ.*

Tandem duo præcipui domeſticorum Herum gravi paſſu anteeunt. Hinc Dominus quatuor, ſex, octo geſtatur bajulis, ut dignitas requirit. Retro unus domeſticorum equo ejus inſidens. Inde agmen ſex, vel octo famulorum arundinibus humeros onerati, ex quibus lucernæ ex papyro Sinica pendent. Interdiu ſine luce, noctu candelis fulgentes. Ita divites incommoda pulveris & luti evadunt: Pauperes, quorum ingens copia, eo gravius affliguntur.

Ædificia, Turres, Pagodæ, Portæ Triumphales quamplurimæ: quas omnes inſpicere datum non fuit; quia in Palatio noſtro arcte juſſu Imperatoris cuſtodiebamur.

Marcus Paulus Venetus, qui anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto hanc urbem, cum Tartari eâ potirerentur, luſtravit, eam ſub nomine *Kambalu* ita deſcribit: *Civitas* Kambalu *in Provincia* Cathai *juxta magnum*

 ſita

sita flumen, ab antiquis temporibus insignis fuit & regalis. Sonat autem Kambalu *civitas domini. Hanc* Magnus Cham *transtulit in aliam fluminis partem : nam didicerat ab Astrologis, quòd imperio rebellis futura esset. Civitas in quadrum constructa, in gyro complectitur viginti quatuor milliaria, quolibet quadrati latere sex habente milliaria. Muros habet dealbatos, altitudine viginti passuum, latitudinis decem, spissitudo tamen illa sensim ascendendo tenuior fit. Habet quælibet muri quadratura tres portas principales, quæ in universim duodecim sunt, constitutis juxta singulas magnificis Palatiis. In angulis quoque murorum sunt egregia palatia, ubi civitatis conservantur arma. Transeunt per hauc civitatem vici & plateæ rectissimæ, ut ab una porta liber aspectus pateat per civitatem ad portam oppositam, domibus elegantissimis palatiorum instar utrinque constructis. Porro in medio civitatis, ædes quædam magnifica est extructa, in qua campana pendet prægrandis, cum qua vesperi tria fiunt signa, post quæ nemini licet domum egredi usque ad initium sequentis diei, nisi infirmorum aut parentum causa. Et qui noctu per civitatem ire necessitate cogente volunt, lumen secum deferre coguntur. Singulæ civitatis portæ à mille custodiuntur hominibus, non quidem propter hostium timorem, sed latronum & prædonum. Cavet enim rex summo studio, ut fures & prædatores arceantur.*

Extra civitatem Kambalu *duodecim sunt magna suburbia, singulis duodecim portis contigua, in quibus jugiter mercatores inveniuntur, & advenæ homines. Nam propter curiam regis & multiplices mercaturas innumerus indies confluit populus, qui in suburbiis illis rerum negocia tractat. Nec habent suburbia, ut alias fieri solet, domos, quæ à splendore & magnificentia domorum civitatis degenerent, solo regali excepto palatio. Intra hanc urbem nullum hominis cadaver sepelitur, sed extra suburbia idololatrarum corpora comburuntur, & reliquarum sectarum funera sepeliuntur. Et quoniam ingens multitudo exterorum hominum semper illuc versatur, habentur in suburbiis circiter viginti millia meretricum : intra verò mœnia civitatis nulla sustinetur. Dici non potest, quanta vis mercimoniorum & opum in hanc urbem convehatur, putares toti orbi illa sufficere posse. Advehuntur autem lapides preciosi, uniones, sericum & diversarum specierum aromata ex* India, Mangi, Catham, *& aliis regionibus. Nam urbs hæc quodammodo omnium circumjacentium Provinciarum est centrum. Nec transit dies ulla per integrum annum, in qua non circiter mille quadrigæ serico oneratæ huc ab exteris negociatoribus convehantur, ex quo ingeniosos urbis artifices mira parantur indumenta.*

Postquam urbe excesseramus, in Campo aliquandiu morati, situm ejus & circumjacentem regionem admirabundi moles murorum vastissimumque ambitum lustravimus. Colles ad lævam, quibus conscensis, late per campos procul murum illum famosum per montium hiatus ac præcipitia longissimo dorso porrectum, qui Sinam Tartaria abscindit, conspeximus, dimidii, ut Sinenses referebant, diei à *Pekingo*, itinere, ita ut una die *Pekingo* adiri, iterumque in urbem remeari possit.

Ab Oriente in Occidentem quatuor Provincias *Leaotung*, *Peking*, *Xansi* & *Xensi* hic murus versus Boream cingit, trecentorum milliarium Germanicorum

nicorum longitudine, initio facto à *Leaotung* & *Korea*, ubi fluvius *Yalo* ex Tartaria influit: hinc usque ad urbem *Kin* Regionis *Xensi* secus ripam *Crocei* fluminis ad Occidentem non recta semper sed sinuatim, nunquam tamen abruptus, continuo tractu porrigitur. In *Pekingâ* apud munimentum *Hinglo* Boreale latus, & limitanea *Xensi* alti & inaccessi montes intercedunt, & apud *Croceum* fluvium *Hoang* quasi dissectus apparet. Sunt & alii parvi rivi, qui eum per arcus transmeant. Cætera æqualis, & unius etiam, ubi montes, altitudinis, triginta cubitorum, vel quadraginta quinque pedum: duodecim, & sæpius quindecim cubitorum latitudine. Hinc inde excelsæ turres, & speculæ portis suis perviæ, & munimenta habitationi præsidiorum, tum hosti propulsando idonea. Decies centena militum millia & olim & hodie sub *Magno Chamo* in eo custodiæ ergo sustentantur. Imperator *Xius* primus tanti operis pace belloque auctor, quæ pulsis Tartaris è familia *Chevâ* deleta anno Imperii vigesimo, ducentesimo quinquagesimo ante Christum, quinquennio ingenti hominum multitudine laborante, tantum opus absolvit, ex denario totâ Sinâ tres seligens. Ipse murus ex silice & saxo eâ firmitate, ut nulla rima appareat, capitali in eum supplicio constituto, cujus labore ita dehisceret, ut clavus adigi posset. Apud *Leaotung* in ipsum mare per aliquot passuum millia, navibus, ferro & rudere saburratis innixus, protenditur. De quo ita *Gonzales* parte prima libri primi, capite nono. Regni latus murus quingentarum leucarum cingit inter altissimos montes ab Occidente in Orientem magno flexu procurrens. Illum Rex *Tzintzom* bello à Tartaris infestatus fieri mandavit. Sciendum vero quadringentas leucas naturæ montes opportune elevanti centum duntaxat, reliquas humano labori debere; per quas murus montes conjungit. Surgit & completur ex solidissimo lapide, altitudine & crassitie æqualis. Hæc quadraginta duorum est pedum. Opus arduum magno subditorum onere Rex tentavit, cogens ad illud ex tribus subditis unum, ex quinque duos, qui & longorum itinerum difficultatibus, & aëris varietate omnes pene perierunt, quorum mortibus irritati cæteri trucidarunt superbissimi operis auctorem anno Regni sui quadragesimo, ejusque simul filium *Agutzi* nomine.

Omnibus collectis impedimentis eadem, qua veneramus, regia via redeuntes utrimque campos flavis pastinacis, ut in Nordhollandia & apud Leidam, vidimus. Noctem in pago *Pekinsin* transegimus, altera die urbem *Tongsiou* prætereuntes, post meridiem urbem *Sansianwey* attigimus, ubi Imperatoris naves, quibus *Nankingo* veneramus, adhuc reditum nostrum præstolantur. Nautæ Legatis procul occursantes, impedimenta nostra in naves deferebant, Mandarinis quos Imperator, ut *Kantonam* nos deducerent, acriter se opponentibus & volentibus, ut *Jonkas* in eum finem de novo præparatas conscenderent. Hæ *Jonkæ* Castellorum instar, multis intus conclavibus, sed tam profunde & pigrè aquis innatantes, ut Legati vererentur

 iis

iis ſe committere, ne *Moſſone* flante anniverſario ibi hyemare procul *Kantonâ* cogerentur. Ac ne nautas inter & Mandarinos lis oriretur, Legati neque his neque illis navibus utebantur, ſed accelerando itineri, parvas ſcaphas conduxerunt. Ita omnibus expeditis una cum Tartaris Magnatibus, quos authoritatis ergo Imperator nobis comites adjunxerat, & Mandarinis Katonenſibus *Sanſianwyea* diſceſſimus, ſecundo fluvio *Guei* navigantes, & multa jam nocte prope exiguum pagum pernoctavimus. *Pinxentous Sanſianweya* nobis valedixit, terreſtri itinere *Lincingam*, ubi uxor & liberi ejus, contendens.

Legati Cæſareas naves renuunt.

In hoc *Pekinga* Kantonam reditu eadem, qua prius via multas urbes & pagos prætervehebamur, quas olim viſitaveramus: neque omnia loca, quæ appulimus, ſed potiora tantum annotabimus. Vigeſima ſecundâ Octob. *Singlam*, proxima *Sinkocien* venimus. Vigeſima quinta *Tonquam*, vigeſima ſexta *Tachu*, cujus Mandarinus ſe ſubduxerat, quod novos helcyarios procurare non poſſet: ita ut abſque illis ſecundo flumine delaberemur. Trigeſima prima *Lincingæ* à *Pinxentoo*, humaniter excepti & magnifice tractati fuimus, per triduum in gratiam ejus, & uxoris cum lacrimis obteſtantis, ibi hærentes: tum ſecundo vento Boreali adeo frigido, ut citernæ navales conglaciarent, & ſtoreis brachii craſſitie propendentes tota die ſtriæ dependerent: quod frigus moleſtum nobis intra anguſtas ſcaphas, & hactenus molli aëri aſſuetis fuit. Inter provehendum obvias habuimus multas cum hominibus ſplendide veſtitis, & cantu ac Muſicis inſtrumentis magnam hilaritatem oſtentantibus, ſcaphas; qui Pagodas & publicas vias refecturi, copioſam in eum finem pecuniam collegerant.

Quinto Novembris moleſto itinere & frigore, *Tuncham*, proximâ *Xantſin* appulimus, ubi Mandarinus quoque abſentiam ſimulabat, quod helcyarios procurare non poſſet. Legati, ut expedirentur, quos in publico deprehendebant, angarizantes, abripiebant. Sacrificulus quidam, cujus ſervus quoque inter coactos erat, in genua proſtratus magna animi perturbatione exclamabat: *Quæ hæc eſt impietas, quod ne ſacrorum quidem miniſtri à tali labore excuſantur?* Legati reclamabant: *Negotium Imperatoris* ſervitio *Diaboli præferendum* & *ſervo ejus mercedem victumque pro labore accipere*. Ita Sacerdos pacatior acquievit.

Octavo Novembris *Cinning*, decimâ tertiâ *Taujiencien* conſpeximus. Inde *Croceum* flumen invecti.

Decima ſeptima urbem *Jamceſu* appulimus, ubi frater Proregis *Kantonenſis* junioris nothus, ſplendide nos excepit: cui poſtquam valedixeramus, vigeſima Novembris magnum flumen *Kiang*, altera die *Nankingum* venimus. Hic eodem extra portam aquariam, ut ante, loco ſubſiſtentes, quod à Præfecto ad iter accincto, tam celeriter, ut quidem optabamus, nova navigia impetrare non potuimus: unde occaſio nobis data urbem exactius luſtrandi & moleſtias itineris in amœniſſimo Sinæ loco depellendi. Ego ea commo-

commoditate usus, denuo collapsum Imperatoris Palatium ingressus, ruinas murorum & congesta rudera ultimum lustravi. Per foramen quoddam ad interiora super cumulis confractarum structurarum penetrans eo veni, ubi olim ipsi Imperatores habitaverant: Sed omnia penitus diruta & dejecta, nihil integri, sed moles confusæ, ac indigestæ pristinam quasi magnificentiam lamentabantur.

Altera die hybernales venti tam atrociter sævire, ut extra scaphas prospicere vix liceret, nivibus tam dense cadentibus, ut oculos præstringerent & tectis ædium, tota die non liquescens, incubaret. Legati, quanquam multis locis ad convivia invitati, propter tempestatis sævitiem, nuspiam progredi poterant. Tantum duos Publicanos supremos, qui in suburbio habitabant, quorum unus Sina, alter Tartarus, uterque magna authoritate spectabilis, visitarunt, à quibus tubarum tympanorumque festo applausu excepti usque in multam noctem inter varia colloquia detenti fuerunt. Legati ad Papam vel Sacerdotem famosi Pagodæ *Paolinxi* me adventum eorum nunciatum, & ichnographiam Pagodæ, quam primo adventu nostro promiserat, petitum, ablegarunt. Petierat quoque à Legatis, ut saxum memoriæ ergo, cui Latinis literis, qui & quare eo loco fuissent, inscriberetut, erigerent ac picturas suas, inter *Longas* sive præcipuos sanctos, constituerent. Ego imagines Legatorum gypso expressas in præcipuo Pagoda stylobatæ innixas, cui inscriptio Latina, quam ipsi suppeditaveram, incisa erat, Rogabat *num omnia recte*; dicens *Oioya pau o Popsan.* Respondi: *Hollandos imagines libenter videre, sed non in templis.* Postquam omnia lustraveram & templi sciagraphiam acceperam, humaniter & valedicens, ad nostros redii.

Legati visitant duos Publicanos.

Decima Novembris *Nankingæ*, ægre navibus & nautis impetratis discessimus. Decima quinta excelsam rupem, quam primo transitu nostro in memoriam *Wilhelmi vander Beeck, Beeckenburgum* appellaveramus, prætervecti fuimus. Fluvius *Kiang* hoc loco dimidii latitudine milliaris, tempestatibus, aut hyeme grassante, nec mitius, quam ipsum mare sævit. Ad dextram brevia, & sub vadis latentia saxa, quibus scapha Interpretum allisa, magno foramine in carina dehiscebat, aquis tanta copia irrumpentibus, ut momento quasi submersioni proxima esset, & cum ventus interea impetuoso reflaret, nemo in auxilium appropinquare ausus fuit. Tandem post multum laborem scapha iterum liberata, fere noctis ad reliquam classem *Anhingam*, ubi expectabamus, appulit.

Decimâ nonâ occaso Sole *Nankangam* venimus. Ventus tam vehimens tota nocte sæviebat, ut naves nostræ ejus impetu vinculis solutæ mutuis ictibus se verberarent, ac ægre in statione contineri possent. Hæc tempestas absque pausâ ad vigesimam primam duravit, tum ventis aliquomodo sedatis, iter nostrum per mare *Poyan* prosequentes, ad pagum navibus copiosum *Ucinjeen* appulimus, & mox novis helcyariis instructi, discessimus.



Incendium inter ea plures quam centum elegantes domos in cineres & favillas redegerat.

Vigeſimâ tertiâ ad urbem KIANGSI diſperſam ſæva tempeſtate claſſem noſtram deprehendimus. Et cum triduo hic ſubſiſteremus, occaſio mimi data fuit hanc urbem ab altero quoque latere depingendi, ut ex *Icone* patet. Novis ſcaphis acceptis vigeſimâ ſextâ diſceſſimus, ſed parum provectos impetuoſus ventus ad mœnia iterum urbis, ubi tuto pernoctavimus, rejecit. Tam vehemens frigus erat, ut una nocte glacies multis locis homines ferret. Circa veſperam denſa grando nivalibus pluviis mixta, ut ægre extra ſcapham proſpicere licuerit.

Altera die mane progreſſi, montes ad utramque fluvii ripam nivibus late candentes apparebant. Ventus ab Notolibicum acriter flans denſas per aërem nives ſpargebat: & quia præterita nocte pluvia glacialis ac ſequente gelu, ſtoreæ & ſcaphæ ob levitatem vix veſtigia abſque periculo lapſus, incedentium ferebant, magno helcyariorum incommodo, qui ad ripam ægre pedes figere ac ſcaphas protrahere poterant.

Prima Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi urbs *Kinnungam* conſpecta, unde altera die, non abſque magno labore novis helcyariis impetratis, quod aſperitatem tempeſtatis cuncti reformidarent, ſecunda poſt meridiem diſceſſimus. Quinta urbem dirutam & deſolatam *Vannungam* prætervecti, ab ejus ejus gubernatore candelas inter alia lautia ex pinguedine arboris cujuſdam, ut altera parte deſcribitur, confectas, inſigni ſplendore, dono accepimus. Et cum novos helcyarios ac naucleros ſive quibus flumen hoc loco vix navigabile eſt, altera die perreximus.

Scopuli

Scopuli & syrtes non absque periculo, dum subveheremus ob altitudinem aquarum ut conspecti, nunc aliquot pedum spatio supra undas prominentes, medio flumine occurrebant. Legatorum scapha nona Decembris acuto scopulo infixa, & perforata magno hiatu aquas tanta copia admisit, ut proxima submersioni fuerit, nisi eam omnibus viribus ad ripas tractam in sicco collocassemus. Foramine in prora, nullo ad manus fabrili instrumento, non terebrâ, non securi, non clavis, ut poteramus, clauso, hora undecima periculosum rupibus locum, qui *Vannungamo* usque ad Pagodam quendam exiguum, cui Sinæ & Tartari fortunando itineri sacra faciunt, per tria milliaria extenditur, emensi sumus.


Decima Januarii urbs *Kancheu* in conspectu cum gubernator nomine *Tutangi* legatos humaniter salutavit, & quid *Pekingæ* transactum, roganti cum exposuissent Legati, ad *Tutangum* quæ audivisset relaturus, rediit. Eum cum præcipuis ex nostro comitatu *Jacobus de Keyser* (nam alter Legatorum *de Goyer* valetudine se excusabat) gratias *Tutango* pro tanto honore acturus simulque ei valedicturus, comitabatur.

Undecima Januarii sereno & frigido aëre, ripis utrimque gelu albicantibus, cataractas varias & brevia prætervecti sumus, helcyariis sæpe ad pectus in aquas immersis, ut scaphas saxis adhærentes defenderent, miserabili imprimis per hyemem labore, tanto undarum rigore, ut ipsa ossa & medullas penetraret, neque miserorum ulla habebatur ratio, sed ut erant uvidi ac rigentes, absque intermissione ad opus adigebantur. Dum difficilia hæc & periculosa loca prætervehimur, funis scaphæ Legatorum supremo malo alligata & velo proxima casu retro collem alicubi adhæsit, & cum tam subito laxari non posset, malus cum velo confractus in aquas decidit. Tartari arundineta secus ripas incenderant flammis vento adeo invalescentibus, ut scapha ægre incendium evaderet, alteri appulsa ripæ, ubi Tartari duos magnos arundines confracto malo alligantes eam iterum ad navigationem expediverunt.

Decima quinta urbem *Nangan* classe nostra attigimus, in cujus Austrini suburbii spatiosa domo (nam altera in qua Legati olim diverterent, funditus interea à Tartaris cum exercitu transeuntibus diruta erat) hospitabamur. Unus *Kantonensium* Magistratuum qui recens nobiscum in hanc urbem venerat ad præfecturam novam contendens, Legatos visitavit & de *Pekingensi* negotio interrogavit: cui cum Legati cuncta exposuissent faustum precatus iter altera die discessit; nos decimâ nonâ abivimus.

Periculosiora & difficiliora fluviorum loca emensi cum toto apparatu nostro partem viæ terra, per montes *Nanganâ Nambungum* ducentes, conficere cogebamur. Legati, quisque, in *Palankina Nankingæ* huic usui parata, comitantibus triginta militibus, summa celeritate per montes illos, absque cessatione, aut pernoctatione, ea adhuc die

NAM-



19. Januarii NAMHUNGAM appellunt.

NAMHUNGAM venerunt, in magno & celebri diverſorio, Proregis *Kantonenſis* quod in ſingulis menſibus Imperatori viginti quinque *Teilas* Argenti pendet, hoſpitantes. Priori itinere unum hujus urbis latus deſcriptum exhibui: nunc alterum quoque pulcherrimo aſpectu, hac tabula exhibetur.

Novis inſtructi navibus vigeſima prima Januarii naufragas prætervecti cataractas mirabiles rupes *Suitjeen*, & montana, quibus olim nomen *quinque capitum Equinorum* impoſueramus, procul conſpeximus.

Vigeſima quarta ſecundo curſu urbem *Saocheu* perventum, ubi denuo de malis vela expandimus, quod brevia & ſcopulos emenſi patente jam fluvio, æſtu etiam adjuti, proveheremus.

Vigeſima quinta Januarii celeberrimum illa ora Pagodam *Kon-jan-sjam* prætervecti, altera die montes admirabiles *Sangwonhab* conſpeximus. Et quia aquæ viginti pedes jam depreſſiores erant; quam cum primo tranſiremus, hinc cacumina montium longe ſuis intra nubila reconditis verticibus horribiliora apparebant. Tum demum pericula, quæ & itu & reditu per rupes illas modo ſub undis latentes, modo ſuper illas elevatas exhauſeramus ac quantum nobis adhuc, tam humili aqua, inter aſperrimas cautes, exantlandum eſſet moleſtiarum ac diſcriminum, cum ſtupore contemplabamur, tanta fluvii præcipitantia, ut ipſa celeritas ejus horripilationem nobis conciliaret.

Eadem adhuc die ſera veſperâ Oppidum *Sanyuum* attigimus & apud illud pernoctavimus. Prima luce profecti, eadem die *Xantſui*, cujus campi & plana tentoriis ac equis militibuſque ingenti numero in procinctu ad



ad expeditionem ſtantibus, ſcatebant, ac paulum progreſſi pagum FAESAN venimus. Cujus conſpectus imprimis jucundus pictura repræſentatur: nam in primo itinere, quod admodum ſero eo appelleremus, copia ejus perluſtrandi data non fuit. Fertiliſſimo circum circa ad fluvii ripas agro gaudet.

Vigeſima octava Januarii Decembri *Kantonam* iterum attigimus. *Franciſcus Lantſman*, cui durante Legatione, commerciorum in hac urbe cura commiſſa fuerat, & cum duabus navibus ac reliquo comitatu hic manſerat, intellecto Legatorum adventu, ſcaphis aliquot magnifico apparatu nos excepit. Tormenta ex navibus ordine, ſummo cum fragore, explodebantur. Tartari Magnates nobis ab Imperatore ſocii itineris dati, tormentorum tonitrua & navium formas nunquam ante conſpectas, admirari. Mox antiquo excepti hoſpitio Legati, cuncta cum cura præparata & diſpoſita invenerunt, *Lantſmanno* propterea primario Mercatori gratias ſingulares agentes.

Literæ Imperatoris ad Præfectum Indiarum Generalem *Johan. Maatzuiker* ſcriptæ, ab *Henrico Baron* mercatore ſecundario ambabus elatæ manibus ſub umbraculo & duobus vexillis, pompoſè geſtabantur. Poſt eum Legati ordine magnifico apparatu, & tormenta in lætitiæ ſignum ter exploſa, mœnibus innumera multitudine, quanquam ſerum diei eſſet, ſpectatum plenis, & eventum rei avide expectantibus: nihil enim magis incolæ, quam libera cum Hollandis commercia, optabant.

Altera die Vigeſimâ nonâ Januarii Legati cum toto comitatu Proreges matrem Proregis junioris à *Tutangum* ſalutarunt, ac ſucceſſum negotii expoſuerunt.

ſuerunt. Senior Prorex juniorque nos poculo *The* excepientes de difficultate frigore & moleſtiis viarum loquebantur. Mater Proregis junioris in conſpecta, per literas quaſdam, humanitatis indices, gratias Legatis pro honore egit. *Tutang* poſt bihorii in ædibus Secretarii ſui expectantiam, tandem nunciari juſſit, ſe, ubi *Pinxentous* adveniſſet, audientiam ipſis daturum.

Trigeſima Januarii Vicarius junioris Proregis ſplendido convivio Legatos excepit, culpa in Luſitanos Sacerdotes Pekingenſes rejecta, quod res noſtræ non ex voto ſucceſſiſſent, ac valde ſe iis infenſum ſimulabat, quod paſſim ſparſiſſent tres tantum in Europa Reges, quartum *Johannem Luſitanum* eſſe: Hollandos vix terræ angulum poſſidere, & ei tributa pendere: quæque alia ludibria præterea excogitare poterant. Legati eadem die Mandarinum *Toſu* ſalutarunt, qui humaniter exceptis dixit *Poëtſienſieum*, alioſque Magnates non audere illos intromittere, quod apud *Tutangum*, cujus præcipua autoritas, nondum audientiam habuiſſent.

Legati à Seniori Prorege excipiuntur.

Prima Februarii Prorex ſenior Legatos, cum *Franciſco Lantſmanno* & *Henrico Baron* Secretario, viginti comitantibus aliis, in aula ſua ſplendido convivio excepit. Primo potu *The*, more Siniico talem Legatis adventum gratulabatur, ac ut hilares, curis omnibus ſepoſitis, eſſent, monebat. Tum inter tympanorum & tubarum ſonitum cibis per menſas ſingulas diſpoſitis aureum poculum vino plenum per duos nobiles Legatis oblatum, ut illud phialis ſuis exhaurirent, Proregis juſſu, exhibitum. Durante convivio, duo nautæ Hollandi captivi à Prorege vocati, qui in genua, Tartarico more, coram eo procumbentes, ubi hoc triduo fuiſſent, rogabantur: illis ſe haud recte valuiſſe reſpondentibus, poſt Legatos conſidere, ac ex propria menſa aliquid porrigi iis juſſit.

Unus horum olim apud *Kitſiabay*, alter apud inſulam *Ainan* captus fuerat, & uterque inter Proregis cuſtodes corporis ſtipendia merebatur. Convivio ad finem ſpectante tubicines & Comœdi progreſſi, ſuos ludos cantillando exhibebant, ac poſt varias ſanitates Imperatoris, Gubernatoris Generalis, Proregis ac Legatorum, ſalute dicta diſceſſum fuit. Proxima die junior Prorex inter tubarum tibiarumque concentus exceptos, ſedens ipſe ſub umbraculo magnifica pompa in medio multorum Procerum Kantonenſium, eodem apparatu excepit, nullis niſi de hilaritate ſermonibus, quod Legati mirabantur, ac ſi omni curâ Seniori relicta in utramvis aurem dormiret.

Eadem Pompa excipiuntur à Juniori.

Tertia Februarii *Pinxentous* cum ſua claſſe & impedimentis *Kantonam* venit, mox à Legatis ſalutatus, & poſt ſermones utrimque habitos, in hoſpitium reverſi ſunt.

Septima Februarii poſtquam jam *Pinxentous* advenerat, Legati apud *Tutangum* audientiam habuerunt, & tum omnes Magiſtratus more conſueto ſolenniter viſitarunt, paucis tum domi ob novi anni feſtivitatem, quam Sinæ & Tartari magna pompa celebrant, ut alio loco relatum.

Quo-

Quoniam vero Legati ipsis suadentibus Proregibus, munera quæ iis destinata erant, *Pekingum* secum sumserant, ibique omnia elargiti fuerant, ut ægre donum novi anni exiguum superesset, Proreges hi animo cœperunt esse admodum infenso, ac non tantum fœnus mille quadringentarum Teylarum Argenti à ministris Societatis ad iter *Pekingense*, & pro mercimoniis mutuo acceptis, verum etiam triginta quinque Teilas Proregibus, ante profectivum *Pekingam* pro libera *Kantonensi* mercatura promissas, quamvis nihil præstitissent, poscebant. Et utcunque Legati refragarentur, per vim tamen mille quadringentas Teilas detinuerunt, quas pro mercibus Societati debebant. Immiscuit se quoque civilis *Kantonæ* Magistratus, ac impedimento fuit, quo minus Legati apud Proreges conquererentur.

Cumque decima octava Februarii, Legati *Franciscum Lantsman* & *Henricum Baron* in *Palankina* ad Vicarium junioris Proregis ablegassent, in via à quodam Mandarino ejusque asseclis contumeliose domum repulsi fuerunt, non alia causa, quam quod nullis muneribus eum Legati affecissent.

Et quandoquidem Interpretum nostrorum præcipuus, *Paulus Durette*, quem Proreges *Kantonenses* Legatis adjunxerant, & qui fidelem operam præstiterat, in propria trans fluvium domo miserabiliter trucidatus fuit, Legati hac aliisque de causis, majori malo evitando, quamprimum Bataviam redire constituerunt.

Vigesima prima Februarii Proregibus valedixerunt: Sed neutrius alloquendi copia data. Senior dentium dolore & catarrho se excusabat, unde ad loquendum inhabilis esset. Gratiis igitur Legatis per quendam nobilem actis faustum iter apprecabatur. Junior se ob convivio exceptos hospites male habere nunciabat, ac ne ulla Tartarica arma secum auferrent, monebat. In atrio, ubi potu *The* Legati ab aulico quodam excipiebantur, sellæ, mensæ & scamna omnia disturbata jacebant: argumento Bacchi sacra celebrata fuisse. Plerique etiam, qui Legatos excipiebant, adhuc semipoti & titubantes videbantur. Legati parum his visitationibus proficiantes, ea adhuc vespera sera navim conscenderunt, altera die prima luce discessuri. Sed cum ventus mox remisisset, ancoris ad primam à *Kantona* turrim jactis, & nocte subsistendum fuit.

Legati valedicunt Proregibus *Kantonensium*.

Vigesima tertia Magistri aularum & Præfecti militum, qui hospitium nostrum custodierant, cum Mandarinis viæ comitibus Legatos in navi nostra Proregum nomine, forti potu *Sampsou* tractarunt, prosperum iter & maturam reditionem sæpe apprecantes. Post salutem Proregum aliorumque Magnatum inter tubarum & tormentorum strepitus, libatam, salute dicta, discesserunt; bidui adhuc moram nomine Proregum humanissime indulgentes. Sed nos statim velis expansis vigesimâ octavâ Sole occidente in portu *Heytamon* ancoras jecimus. Legati Præfecto vexillum Principis miserant, quod statim juxta Tartaricum de muris Castelli suffixit, argumento gratum sibi munus & acceptos Hollandos esse.



Prima Martii post mediam noctem ancoris ſublatis Orientali vento flante, ſub Auroram inſignem pagum LANTAM Notapeliotem verſus promontorio adſitum conſpeximus. Ædificia ejus alta & ſublimia procul ex mari adſpectantibus ſe offerunt, ut ex imagine ejus apparet.

Tam celeriter ea die provehebamur, ut Sole occaſo Orientales inſulas *Makaonenſes* à tergo relinqueremus. Sed navis *Bloemendalia* adeo erat tardigrada, ut plane eam ex oculis circa veſperam amitteremus.

Quartâ Martii montes Boreales Inſulæ *Aynan* vidimus qui circiter ſex milliaribus ad Barralybicum diſſiti à nobis jacebant. Bolide jacta fundum orgyarum quadraginta octo deprehendimus. Ventus flabat ex Orientali Notapeliote, curſus ad Auſtrale Notolybicum.

Quoties ad littus *Aynan* (id quod etiam ad alia littora Indici maris obtinet) tempeſtates imminent, nautæ hoc certo ſigno ita deprehendunt. Quamprimum aër, qui ſemper clarus & ſerenus eſt, minimam nubem oſtentat, ſemper tempeſtas ſequitur: ita ut nauta mature vela contrahere, & periculo ſubducere poſſit. In cujus memoriam olim hæc cecinit Muſa:

Æolus ante vago commiſceat æthera ponto,
Quo penitus multas quaſſat ad ima rates.
Semper in Hoc Ainan *ſurgit prænuncia nubes,*
Quæ tacite nautas vela premenda monet.

Decima Octava ad inſulam Pulo *Tymon* pervenimus, ac ſigno dato ſcaphas ad nos vocavimus, ut intelligeremus, an naves aliquæ ibi nuper

fuiſſent.



fuiſſent. Inſulani ante quatuordecim dies Jonkam Bataviam verſus & ante quatriduum aliam magnam navim, incertum unde, prætervectam referebant. Ita vento Barrapeliotem flante, curſum noſtrum ad Auſtralem Notapeliotem continuamus, mari viginti ſeptem orgyas profundo.

Vix inſula hæc ex oculis ſublata, cum integra examina VOLANTIUM PISCIUM ex aqua ſubſilientium & per aërem volitantium occurrebant. Hi piſces cavi & rotundi, longitudine majuſculæ apuæ, alas inſtar veſpertilionis habent, quæ ſub aquis natantibus pinnarum inſtar dependent. Cibus aliorum piſcium, imprimis Toninarum ſunt & avium maritimarum, quæ eas perpetuo comitantur, & aquis egreſſas pro eſca abripiunt.

Nunquam ſolæ natant, ſed agminatim degunt. Piſces, à quibus appetuntur ſentientes, vel natatu effugiunt, vel volatu tanta copia, ut ſæpe vix aquas videre poſſis. Ad dimidii mali noſtri altitudinem volatu aſcendebant, ſed vix in longitudinem centum & quinquaginta paſſus extra aquas progredi poſſunt: nam quia alis non niſi humidis volare poſſunt, & illæ Solis ardore mox ſiccantur, mare illis denuo humectandis repetunt. Nullum fere animal terra marique majores perſecutiones patitur. Nam ſub aquis Toninæ, Haiæ, aliaque monſtra marina iis continuo inſidiantur: unde illorum vim fugientes ex aquis in aërem exiliunt, ac volare conantur: Vix aquis egreſſæ in avium ungues incidunt, eaſque ut evadant, iterum mari merguntur. Ita perpetuum intra & extra aquas cum hoſte hoc duplici bellum abſque intermiſſione habent. Sæpe velis aut tranſtris

 navium

navium magno numero defatigatæ alis ſuis adhærent, ac manibus capiuntur. Præ cujus admiratione in laudes Altiſſimi rapitur Muſa:

Dextra Creatoris toto prælucet in orbe,
Ut revocet ſtolidos ad ſua vota Deus.
Arguit Auctorem piſcis, qui remige penna
Æquore relicto ſidera ſumma petit.

Trigeſima prima Martii inſula *Linga* ad oram *Sumatræ* verſus Occidentale Notolybicum in conſpectu fuit. Sub auroram procul navim conſpeximus, quam ſcaphâ ablegatâ, *Bloemendaliam* noſtram eſſe deprehendimus, cum qua impoſterum vento ex Orientali Barrapeliote flante, verſus Auſtrale Notolybicum navigavimus.

Vigeſima quarta fretum *Banka* inter magnam inſulam *Borneo* & *Sumatram* ingreſſi, & vigeſimâ ſextâ apud inſulam *Luciparam* egreſſi ſumus.

Trigeſima prima Martii diu deſideratum Bataviæ littus tenuimus, cum viginti menſes & ſex dies in itu & reditu conſumſiſſemus.

Legati, ſimulac appulſi, exſcendebant ac Ampliſſimo Gubernatori, Indiarumque Senatui, quicquid in hac Legatione actum, referebant, expenſorum ſimul rationem reddentes, quæ in ſequentibus ſummis conſiſtebant.

Munera, Proregibus ac Mandarinis Kantonenſium *tradita, æquant quater mille, & novemdecim florenos, decem ſtuferos, eorumq; unum octuſſem* 4019-10-1.

In medio itinere Kantona Pekingam *uſque ſexcentos ſeptuaginta octo florenos, & duodecim octuſſes* —— —— —— —— —— 678-0-12

Honoraria Pekingæ *ipſi* Chamo, *ejuſque uxori, ac matri, item Regni Cancellariis, & Mandarinis diſtributa quadraginta duo millia, trecentos, viginti ſex florenos, ſeptemdecim ſtuferos, & octo octuſſes* —— —— 42326-17-8.

In reditu Pekingâ Kantonam *uſque duo millia, quingentos, & nonaginta duos florenos, decem ſtuferos, totidemque octuſſes* —— —— —— 2592-10-10.

Kantonæ *Proregibus*, Tutango, *& univerſo Senatui quinque millia, nongentos, triginta quinque, ſeptemdecim ſtuferos, & decem octuſſes* — 2935-17-10.

Quæ collecta faciunt 55552-16-9.

In naulis & rebus ad vitam neceſſariis conſumpta ſunt ab Octobri 1655, *ad decimam ſeptimam Maji* 1656, Kantonâ *quatuordecim millia, trecenti & duodecim floreni, tredecim ſtuferi, ſex octuſſes* —— —— —— —— 14312-13-6.

In itinere Kantonâ Pekingam *à decima ſeptima Maji ad decimam ſeptimam Junii florenorum octo millia, quingenti, quadraginta unus, ſexdecim ſtuferi, octodecim octuſſes* —— —— —— —— —— —— 8541-10-18.

Pekingæ *ad decimam ſeptimam Octobris octo millia quadragenti, & octoginta tres, ſedecim ſtuferi, & octo octuſſes* —— —— —— —— 8483-16-8.

In reditu à decima septima Octobris anni 1656, *ad vigesimam octavam Martii* 1657, *mille, centum & nonaginta quatuor floreni, octo stuferi, & septem octusses* —— —— —— —— —— —— —— 1194-8-7.

Quæ collecta faciunt 43278-8-18.
55552-16-9.

Summa totalis 98831-5-8.

Pro tanta pecuniarum summa & tot itineris molestiis Legati, quamvis nulli sumtui vel labori pepercissent, nihil tamen in Aula *Pekingensi* effecerint aliud, nisi quod singulis octenniis tanquam amici Legatione ad Imperatorem defungi possent, prout ipsæ ad Præfectum literæ Imperatoris commemorant.

Et quanquam fraudibus Jesuitarnm hæc res optato non successerit eventu, spes tamen superest, id quod Magnatum *Pekingensium* aliqui haud obscurè significarunt, parva Legatione mercaturam liberam impetrari posse. Nam quia *Magnus Cham* contra profugos sub *Coxinga* Sinenses bellum continuum gerit, nosque haud exiguam navibus nostris operam contra Piratas illos præstare possumus, hinc re melius perpensa haud adeo difficiles ad commercia mutua se præbebunt.

Inter alia, quæ absentibus nobis contigerunt, cum gaudio intelleximus, validam insulæ *Zeilon* urbem *Columbo* à nostris expugnatam. Missus ad eam obsidendam cum copiis *Gerardus Hulft*, cujus industria brevi tempore, quanquam firmo munita præsidio, ad extremam deditionis necessitatem adacta fuit, ipso *Hulftio*, dum inter primos hasta armatus vallum conscendit, glande letali prostrato; unde acrior militi animus, tantoque impetu in hostem ruebant, ut deditione ultimum exitium prævertere coacti, urbem conditionibus tradiderint, Magno Societatis commodo, quod ille locus optimum & pretiosissimum tota India cinnamomum solus mittat. In hac expeditione præter ipsum supremum Ducem multi, & alii generosa audacia pugnantes occubuerunt, id quod victoriæ gaudium haud parvo mœrore temperavit. Controversiam quoque *Amboinensem* prudentia *Arnoldi de Vlaming* compositam, ut jam tuta iterum & libera cum indigenis commercia exerceantur, & ipsos *Bantamensos Javanos*, qui rebellaverant, bellorum pertæsos conquievisse intelleximus. Ita Societas Indica per latissimum Oceanum arma sua & classes circumfert, insulas, urbes expugnat, commercia pretiosissima cum remotissimis & ultimis nationibus exercet. Quicquid Oriens sinu suo alit & profert, id omne Societas suum facit, ac adamantibus & margaritis, vasis Porcellanis & aromatibus, serico & gossypio stipatas in patriam classes quotannis remittit, unde inexhaustus divitiarum fons, & prævalidi per Indiam terra marique exercitus contra omnem hostilem vim in armis excubant.

De

De quo quidem florentiſſimo Indicæ Societatis ſtatu Princeps Batavorum Poëtarum *Barlæus* :

Fecit iter fortuna mari, pervenit ad Indos,
Et procul Eoo fixit in orbe pedem.
Memnoniæ patuere Domus, patuere Moluccæ,
Regnaque fœderibus tot ſociata novis.
In thalamos Aurora tuos jam claſſibus itum eſt.
Et Batavos alibi, tectaque noſtra vides.
Non ſatis eſt viciſſe domi, cum Sole vagamur.
Et tanto volupe eſt vincere teſte foris.
Sint veſtræ merces Indi, ſumus horrea Belgæ.
Quas Oriens fruges parturit, Arctos habet.
Servat hyems fructus, quos torrida coxerat æſtas,
Et calidum gaudet mandere bruma piper.
Mittunt thura Arabes, permutant ſerica Perſæ.
Et ſpacioſa ſuas Iava miniſtrat opes.
Parthica diſtentas onerant velamina puppes,
Poclaque Sinarum carbaſa plena vomunt.
Oſtia quod fundit Ganges, tot navigat unus.
Amſtela, & externo ſub Jove bella gerit.
Lucra ſinus omnes nobis atque æquora pandunt,
Inveniunt quovis littore lucra viam.
Heſperio cum Rege ſolum partimur & undas,
Et formidati frangimus arma Tagi.
Qui dubitas, caſtella, domos, arceſque tuere.
Atque alio patriam crede ſub axe dari.
Sic aliis alius populis divenditur orbis.
Totaque ſe vendens machina, rurſus emit.
Quæque ferax longe ſpatiis immanibus Eos
Colligit, in Batavis continet una Domus.

Pars Ultima LEGATIONIS BATAVICÆ, QUÆ IMPERII SINICI Universalem descriptionem complectitur.

Caput Primum.

De administratione, & variis Regni Ordinibus.

IMperium Sinense, ut omnia Asiatica & pleraque mundi, Monarchicum est; nam Respublicas dari, ubi vel optimi vel plebs gubernet, huic genti incognitum; Quapropter cum maxima molestia, & tædio, uti in descriptione *Pekingæ* dictum, gubernandi formas, Aristocraticam & democraticam Europæorum explicuimus, anteaquam talis gubernandi forma eorum menti pervia foret.

Rex sive Imperator vitæ ac bonorum, omniumque rerum, quas Sinenses possident, absolutissimus est Dominus; ipse unus omnium omnino caput, unde Regnum Sinicum, absolutissime dici potest Monarchicum; olim Ducatus, Marchionatus, Comitatus, minorumque Dynastarum, quos *Tuguan* vocant, tituli ac potentiæ hic æque, ac in Europa, claruerunt, verum à mille & octingentis annis, ad majorem Imperii tranquillitatem omnino exstincti sunt.

Imperium est hæreditarium, non electivum: proximus defuncto sanguine succedit, nisi vis, aut jus impediat, vel subjectorum rebellio huic, vel illi ex affectu; spe, metu, faventium. Ipsi tamen Principi, quem lex & natura dedit, fidi ad mortem, nisi tyrannus: intrusos & illegitimos quantum possunt aversantur. Eligentes honestam mortem, quam coacto

Regi obsequium, nam tritum apud ipsos dictum est, *honestam matronam duos nescire maritos, nec fidum clientem binos pati Reges.* Nam tantum bis vel ter contigisse legimus, quod Imperator, cum Filios regno impares judicaret, aliis, cum quibus nullam sanguinis necessitudinem habebat, sceptra tradiderit.

Si plures Imperatori filii, uno in throno stabilito, reliqui Reges nomine, non potestate, Provincias urbesque & ex ærario publico trimestres dignitati tuendæ reditus accipiunt, nulla in subditos ampliore potestate. Regia sua egredi, capitale est: ita honesta custodia ambitio plurium coercetur.

Leges juxta familias Imperatrices variant.

Leges apud illos cum Imperatoria stirpe mutantur; ut quisque familiam condit, ita pro arbitrio statuta vel retinet, vel mutat. Hodiernæ leges ab Hunyvo, Conditore familiæ Taimingæ, qui Zingis Chamicos Tartaros ultimus expulit Anno millesimo trecentesimo sexagesimo, initium sumunt, quas recentiores Tartari Orientales *Niuche* & *Niulhan* partim retinuerunt, partim suis institutis accommodaruut.

Imperator à Sinis *Thiensu* vocatur.

Imperatorem Communi nomine *Thiensu*, id est *Cœli filium* vocant: nam *Thien* cœlum ipsis, & *Su* Filius, manifesto argumento Scythicos, & Alanicæ vel Gothycæ originis esse, unde forte ipsum *Cathayæ* nomen fluxit, quod quibusdam haud absurda opinione placuisse deprehendimus, non tamen à cœlo genitum credunt, sed quod præ reliquis mortalium ei charus,& auctoritate emineat. Plebs Imperatorem Hoangti appellat, qui anno ante Christum natum bis millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo rebus præfuit, quod nomen, ob virtutem in omnes successores derivatum, uti Ægypti Reges Ptolomæi, & Romani Imperatores Cæsares audiebant, terræ, vel significat *Flavum Cæsarem* à vestitu Flavo ipsi soli concesso, ut purpura Romanis; sed sunt & aliæ rationes nunc non referendæ.

Eruditio unica ad honores via.

Imperator regnum per Magistratus sola doctrina & integritate conspicuos gubernat: nulla ibi alia ad dignitates via, nisi quam eruditio, prudentia & virtus aperit: cæteri velut indigni excluduntur.

Omnes Magistratus dicuntur *Quonfu.*

Commune omnium nomen *Quonfu*, id est *Præsides* & *Lavye* vel *Lautie*, id est *Patres* vel *Domini.* Lusitani *Mandarinos* à *Mandando*, quod jussa eorum vim imperii habeant, appellarunt, idque nomen Europæi Sinensibus ipsis ignotum, acceperunt. Summa quidem Imperatori potestas, sed quam arbitrio, monitis, consilio suorum temperat, & ex eorum sententia, probat postulata vel improbat. Ac si quispiam Regi immediate libellum supplicem tradat, eundem ad tribunal remittit cum his verbis. *Excutiat hunc libellum tribunal cujus, interest, & me moneat quid in hac re agendum judicet.* Ac ne donis quidem vel officiis quenquam nisi commendatum afficit; nisi interdum, favore extraordinario & potestate antiqua ita ipsi videatur. Sed hoc non fit è publico, sed privato censu,

nam

nam amicorum promotio ad honores propriis expensis est cuivis libera, sed illi non inter beneficia, sed empta numerantur officia. Tributa in publicum ærarium illata, extra Imperatoris potestatem sunt; & inde aula ejus, ac ipse alitur.

Bini Ordines sunt, Generales, quibus totius Imperii, Provinciales, queis singularum Provinciarum salus demandata est: horum Magistratuum nomina, loca, & potestates singulis mensibus quinque vel sex magnis Consignata & Pekingæ impressa libris reperiuntur; unde singuli, quibus in tam vasto Imperio obedientiam debeant, cum mors, quam consanguinei, abdicatis prius muneribus, domum reversi juxta patriæ leges per triennium lugent, & aliæ humanæ inconstantiæ, cerebro mutent præsentia, cognoscere possunt. Hinc ingens semper Pekingæ multitudo vacua Magistratuum, quocunque casu, loca expectantium pariter, ambientiumque.

Imperii totius Senatus in sex classes, *Pu* nomine dividitur. Prima est *Sipu*, id est Deputatorum Consessus, cui jus Philosophici Ordinis Magistratus in universo Imperio denominandi competit, qualis denominatio penicilli promptitudine & scripturæ elegentia, cujus judicium est penes hoc tribunal, definitur. Ad quem per eruditionis & literaturæ gradus seriatim ascenditur; neque nisi negligentia & defectu vel virtutis, vel naturæ quisquam eo spoliatur; semel ejectus spem omnem recuperandi deponit. Secunda est *Hopu* vel *Hupu*, id est Quæstura, quæ Regis tributa, vectigalia, telonia exigit, quibus Magistratuum, militumque stipendia, & cœterorum toto regno curialium ministrorum solvuntur; quæ summa major est, quam nostrates sibi persuadere possint; hinc enim ædificia publica, Regis Palatium, & Regiorum propinquorum, urbium muri, arcis propugnacula, bellicus denique omnis apparatus instauratur. Tertia *Limpu* id est Collegium Ecclesiasticum Sacra & Scholas, Gynæceum regiumque & examina eruditorum curans. Ei festivi dies, Legationes, literæ, honorum tituli, Medici, Astronomi subjiciuntur; ac ex hoc ordine eliguntur Consiliarii Regii *Hanlin*, unde *Colai*, quæ summa post Imperatorem potestas, nascuntur. Quarta *Pimpu*, Senatus Bellicus, cui pax, bellum & omnia inde pendentia obediunt, attamen non sine Imperatoris consensu definit. Sed auctoritate præmisso examine erogat Præfecturas militares præmia fortibus, & pœnas ignavis decernendo. Quinta *Cumpu*, id est Ædilatus, publicas structuras curat, mœnia, palatia, naves, classes, pontos. Sexta *Humpu*, id est Iustitiæ Senatus, reos plectit innoxios absolvit.

Sipu Deputatorum tribunal.

Hopu Quæstura.

Limpu rituum.

Pimpu Militare.

Cumpu Ædilatus.

Humpu Criminale.

Sex hi Magistratus Imperium vastissimum haud adeo magno labore administrant, quod cuncta ordine & auxilio complurium inferiorum, in singulis provinciis accuratam singulorum notitiam observantium, ita peragantur, ut singuli authoritatem, universi onus sentiant. Præses singulorum Collegiorum *Ciamciu*, ei duo assessores, ad lævam, & is præcipua digna-

dignatione, *Co Xilam*, ad dextram *Yeu Xilam*. His tribus summa in aulâ & per Imperium potentia; solis *Colais* inferiores sunt. Dantur præterea in unoquoque collegio innumeri majorum minorumve curialium dignitatum gradus, Europæis incogniti.

Alii præterea sunt inferiores Magistratus *Kicu Kim* aulæ inservientes, vel domui Regis: quorum primus *Thailisu*, id est Cancellaria, sive ultima Curia appellationum: quæ, præterquam litibus imponat finem, difficiliores causas definit: constat tredecim Mandorinis, Præside, binis Assessoribus, & decem Curialibus. Secundus *Quan Iosu*, id est familiæ Regiæ Oeconomus, cujus tribunal Præside, duobus Assessoribus, & sex Curialibus dirigitur. Aulæ Præfectos solvit & expensa Legatorum, qui ab exteris Regibus ad hanc aulam mittuntur. Tertius *Thai po cusu*, id est *Hippocomus* vel Comes stabuli, equorum aulæ, cursoriorum & totius regni præses.

Senatus *Colai.*

Sed supremum Imperii Consilium *Colai* constituunt, quatuor vel sex numero, quibus nulla particularis, sed totius in universum Imperii cura, ac cum Imperatore ipso secreta consilia participant; unde *Colai* tanquam *Imperatoris Coadjutores* appellantur, nam à prædictis sex collegiis imperii non negotia, sed consilia pendent, quippe ab ipsis per supplices libellos admonetur, ac rogatur Imperator, qui, negotiis consideratis, juxta rei qualitatem, tribunali competenti examinanda mittit. Tum Assessores, habitis mutuis consiliis, sententiam Imperatori scriptam offerunt, quam ille vel mutat, vel confirmat pro lubitu. Et ne quid impingat, summos aliquot totius Regni Philosophos eligit adjutores, id est *Colaos*, qui primo post Regem loco sunt, illique, cum de negotiis agitur, assistunt, ac consiliis subveniunt, hi vero recipiunt, vel remittunt libellos supplices, qui quotidie ingenti numero repræsentantur, & ubi examinarunt, Imperatori ostentant (nam à reliquis præfectis vix conspicitur) à quo solo nutu, vel nictu oculorum probantur, improbanturve, aut in quibusdam mutantur. Tum Imperator sua manu subsignat, atque hic querelarum omnium ultimus finis ac decretoria conclusio est.

Senatus *Choli & Tauli.*

Sunt & alia duo Consilia, *Choli* & *Tauli*, selectis Philosophis constantia, qui sæpius præclara fidei, & prudentiæ argumenta Regi & Imperio exhibuerunt, quare numerus sexagenario major, & dignitas ipsis regia. Horum, ut Europæorum Syndicorum, unicum & præcipuum munus Imperatori per codicillum significare, quæ, & quanta, contra leges Imperii committantur.

Tanta eorum & libertas est, & authoritas, ut omnes reliqui Magistratus eorum censuræ subsint, & ipsius Imperatoris non parcant erroribus, vel cum periculo & sensu offensionis. Ita liberum est Sinis, etiam Magistratus ac Reges continua, & non intermissa instantia redarguere. Et

libelli

libelli hi ſupplices cum reſponſis Imperatoris citiſſime prælio ſubjecti per Univerſum Imperium diſperguntur, ac exinde Annales & Hiſtoriæ conſiunt, imo non ita pridem contigit, quod unus ex præcipuis *Colais* neglecti muneris bimeſtri ſpatio ultra ducentis libellis ſupplicibus apud Regem accuſaretur, licet intenſiſſimus Imperatoris erga ipſum amor cognitus foret. Qui brevi ſpatio, ut fama ferebat, præ triſtitia & marcore conſumptus.

Inde *Han linyven*, Senatus Hiſtoricus, omnibus dignitate, etiam qui Rempublicam tractant, excellentior, qui Annales ex reſcriptis & actis Imperatorum conficiunt. Ut quiſque penicillo promptior, ita ad tale munus promovetur: Scribendi elegantia præcipuum adjumentum. Nemo Imperatoris, Regumque pædagogus, & niſi ex hoc collegio, *Colaus* eligitur; & ingens illis lucrum, dum epitaphia, anagrammata, alioſque libellos conſcribunt, venduntque, tanta emptorum credulitate, ut errore carere exiſtimat, quod ex eorum penicillo fluxit. Iidem ſunt præſides examinum, quæ Doctores & Magiſtri ſubeunt. Senatus *Han-lin-yven.*

Omnis horum Magiſtratuum ſedes *Pekingæ* eſt, & *Nankingæ*, exceptis *Colais*, niſi quod hi tranſlata *Pekingam* ſede Imperii, longe inferiores cenſentur.

Ita Imperium gubernatur in Univerſum. Supremæ curiæ ſunt *Peking* & *Nanking*. Reliquæ tredecim Provinciæ Magiſtratum habent *Pucinſu*, & alterum *Naganzaſu*, quorum ille civilia, hic criminalia tractat. Quibus varii Curiales, ut & Magiſtratuum primates adjuncti ſunt, quos *Tauli* vocant. Sedes eorum in Metropoli prima Provinciæ; minorum tractuum, *Sinis Fu*, prætores *Ciſu* dicuntur. Hi tractus dividuntur in majores & minores Civitates, illæ *Ceu*, hæ *Hien* dicuntur, majorum Præfecti *Ciceu*, minorum Præſides *Cibien*; nam *Ci* eſt præcipere. Eorum adjuncti ſunt, tres Aſſeſſores, quorum primus *Hun chim*, ſecundus *Chu-phu*, tertius *Tunſu* nominantur, quorum ſinguli diſtincta tribunalia obtinent. Totius tractus Præſes in ſede ſua non majori auctoritate, quam in reliquis parochiis, utitur. Sententiam mortis dicit, ſed non exequitur: attamen ad ipſum cauſarum, quæ a Præfectis *Ciceu* & *Cichien* deciſæ ſunt, prima datur provocatio, aſt ſecunda ad Præſides ſuperiores *Pucimſu* & *Naganzaſu* pertinet. Vix dici poteſt, quanta inter hos Magiſtratus regiminis ſymmetria obſervetur. Ab inferioribus ad ſuperiores datur provocatio, ut in aliis Imperiis receptum eſt. Singularum Provinciarum regimen. *Pucinſu* *Nagauza-ſu* *Ciſu* *Ciceu* *Cibien* *Hunchim* *Chupu* *Tunſu.*

Præter duos illos Provinciarum præſides *Pucinſu* & *Naganzaſu*, duo alii ex aula *Pekingenſi* mittuntur, *Tutan* & *Ciayven*. Prior omnibus, quæ bellum & Magiſtratus ſpectant, imperat, & aulæ Regiæ continuis ultro citroque curſoribus ſignificat, quis ſtatus provinciæ ſit, quæ mens Magiſtratuum, quæ conſilia hoſtium. Triennii ea poteſtas eſt, ac Proregis inſtar habetur, nam in Provinciæ metropoli regiâ excipitur pompa, ſimulac *Tutan* *Ciayven.*

 electus,

electus, provinciæ proceres, futuri ejus consiliarii, aulam petunt, ipsum congratulaturi. Incolæ urbium, quas transit, equitatim & pedes comitantur. Ipsum tribus milliaribus ante designatam metropolim quidam Tribuni magno militum numero stipati, totus Magistratus, & denique universa plebs obviam euntes, solenniter recipiunt.

Alter *Ciayven* vel *Chayven*, Inquisitor vel Visitator appellari potest, tam ampla potestate, sed annuâ, ut in omnes pacis & belli, civiles vel criminales, ærarii publici & Imperatorii causas inquirat ac referat, etiam in Tutangum ipsum & alios Mandarinos: publica quoque ædificia ædilitio jure tractat.

Alius insuper Inquisitor à Regina eligitur, & ipse *Tutang* nomine, qui carceres, captivosque visitat, miseros, & non suâ culpa reos liberat, sententias rigidas, vel injustas tollit, aut mitigat, Patronus ipse oppressorum ac pauperum, & pietatis, ac misericordiæ protector. Neque aliud ei commissum pertinacius, quam misereri.

Thesaurarius.

Præfectus ærarii, cui duo Assessores, in eodem palatio aulam, & tribunal separatim possidentes, adjuncti sunt, & cui viginti sex minores Mandorini, & innumeri minores officiales subsunt, Regalia tributa à *Taulis* argento computata recipit. Reditus publicos, telonia, vectigalia, proventus, pondera, & mensuras, stipendia Magistratuum, Regiorum parentum, centurionum, militum, ac lites ex publicis emergentes reditibus, ac expensa pro candidatis examinandis curat, ac componit.

Quartus Senatus *Garichasci*, criminalia tractat, cujus pars sunt *Tauli*, qui jus administrant, militiam curant, & maritima, si regio mari adjacet. Quintus Senatus eruditionem & literas manutenet. In omnibus oppidis duo Mandarini sunt *Hioquon*, membra quinti Senatus, qui Baccalaureos ejus oppidi, & tractus curant, non gradus eruditionis dando, vel auferendo, sed eos puniendo.

Sina regitur Philosophis.

Totum à Philosophis Imperium regitur pleno, & mixto jure. Milites ipsi eos parentum instar colunt, & haud raro ab iis verberibus, ut a præceptoribus discipuli mulctantur. Hi omnia belli consilia apud Imperatorem tractant, neglecto ipsorum belli Ducum, quorum pauci adhibentur; unde apud eos præstat minimus in Philosophia gradus, quam supremum militiæ munus, sive honores, sive lucrum spectes. Et par Philosophis erga Regem, fide, periculis, cura Reipublicæ, constantia, qui, cum Imperium eruditioni, & literis superstructum sit, se tanto dignos honore præ militibus, sicut existimant, ita etiam præstant.

Majores Magistratus minores reverentur.

Summa superiores inter & inferiores reverentia, ac concordia; in genua procumbentes majorem minores colunt simul ac donis. Nullum triennio longius durat, nisi a Cæsare prorogetur munus, sed alio in loco, vitandæ nimiæ cum subditis familiaritates.

Præ-

Præcipue regionum Magiſtratus *Pucinſu*, *Naganzaſu*, *Ciſu*, *Ciceu*, *Cihien*, triennio ſingulo Pekingum ad Imperatorem adeunt, ratione administrationis reddendæ, & Sacramento renovando. Eodem tempore in omnes toto regno Magiſtratus ſevere inquiritur, unde retinendi, dimittendi, puniendi reperiuntur, abſque Imperatoris venia, quod jus illi ab Inquiſitoribus ademptum, vel ſpontè in eos tranſlatum, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo. Quater mille Magiſtratus una tali inquiſitione puniti. Singulorum, qui pœnam commeriti nomina libro conſignata toto Regno propalantur. Quinque reorum Magiſtratuum gradus ſunt, avari, nimis ſeveri, decrepiti, & depontani, præcipites, & improvidi, familiæ, & dignitatis ſuæ negligentes, quorum aliqui deportatione, alii ignominia notantur: aliorum incapax ætas dignitatem retinet, ſed debilitate virium excuſantur. Alii ad inferiores gradus relegantur; eadem inquiſitio omni quinquennio inter Regni Conſiliarios & belli Duces eodem rigore obtinet. Non obſtante tam ſeverâ Magiſtratuum delinquentium pœnâ, cætera tamen delicta, præcipue furtum, admodum remiſſe, & negligenter puniunt. Furtum nullum, niſi cum vi apertâ conjunctum, morte, ſecundum ſtigmate duplici in brachio, tertium in fronte, quartum fuſtigatione, aut relegatione ad triremes plectitur. Tanta furti remiſſa caſtigatio ingentem tota Sina ex fece plebis furum, ac raptorum copiam producit: Sed ex quo Tartari Sinam nuper expugnarunt, haud exigua in delictis plectendis mutatio introducta fuiſſe videtur: quippe minima quoque delicta hodie gladio, & morte puniuntur. Qui ad mortem damnatus eſt, ligatis manibus, & tabula tergo impoſita, cui crimen commiſſum inſcriptum eſt, ad locum ſupplicii a Prætore deducitur, ubi a milite capite truncatur. Si cui gratia vitæ conceditur, is duobus arundinibus in pedum plantis atrociter verberatur, ut nervi, & venæ per laceram cutim promineant, multis inter tormenta animam exhalantibus, aut tota vita ſanitatem, & uſum pedum amittentibus. Et hic communis ſuppliciorum ordo. Ad furta, & alia flagitia impedienda noctu aliquot mille armati plateas obeunt, & ſubinde pelvim pulſant. Et quanquam plateæ noctu objicibus claudantur, nihilominus hi prædones frequenter integras domus expilant, quoniam ipſi illi cuſtodes cuſtodiâ opus haberent, & plerique vel fures, vel furum clandeſtini ſocii ſunt.

Auctoritatis munera triennio variantur.

In acta Magiſtratus triennio inquiritur.

Quinque reorum Magiſtratuum gradus.

Habent & more Pythagoræo *Inſpectores* quotidianarum ſingularum actionum, quæ primo mane redduntur: reus, vel delictum, jure an injuria, ut inter Barbaros parum refert, præſenti ſupplicio, inauditus, indefenſus, & plerumque innocens (neque enim hæc apud juſtos populos ratio executionis eſt) afficitur: Kantonæ talis fuſtibus ad necem immiſericorditer Mandarinus a Prorege cæſus, me præſente interiit.

Quartum Arcanum Imperii Sinici eſt Magiſtratus extra regionem

natus

Nemo in patria sua Magistratum gerit.

natis indulgere: domi nobiles excluduntur; sed ad militiam indigenæ admittuntur, ratiunculis, ut putant, valde speciosis, sed reipsa evanidis, cum nec Magistratuum erga suos sanguine propiores favor, nec militum etiam domi natorum negligentia evitari ullis legibus, vel circumspectione humana possit: omnia autem in fide, & armis antiquo more consistunt.

Omnes extranei excluduntur, & indigenæ Sina non egrediuntur.

Quinto omnes extranei, nisi intra Sinam animo manendi, & moriendi accessi, excluduntur; & interiora adire nefas, nisi captivitatis perpetuæ supplicio; exteri tamen hanc Sinensium subtilitatem specie legationum eludunt. Non longe modo, & ab eorum notitia, vel metu remoti, verum proximi, & vectigalibus illigati *Coreani*, aliique vicini aditu prohibentur: si clam irrepant, non servitus, non mors, sed negatus in patriam reversus pœnâ sufficit. Hinc nec ipsi Sinæ extra patriam, nisi a suis deploratis & pro non reversuris ablegantur, cognito talionis, ut inter vicinos, jure: tamen si sors favet, ut reduces fiant, ingentibus onerantur honoribus.

Nemo ense cingitur.

Sextum commune præceptum est, *armis abstinere*, nec militi, nec Duci, nec docto, nisi ubi necessitas aut exercitium requirit, uti licet, paucis nobilium ea severitate exclusis, qui Potestates armati comitantur. Nec intra limen arma cuiquam: rarus contra prædones, situ, & rubigine torpens pugile: Quippe ea Sinensibus stolida sane, & noxia natura, *ut arma timeant*; hinc faciles expugnatu, & præda ferro utentibus. Rixas plebeias pugnis dirimunt, nullo apud imbelles ferri usu, aut licentia: neque suorum necem ulciscuntur, adeo a vindicta alieni, & qui cedit invasori, prudens, fortisque censetur: ea genti consuetudo censetur.

Omnes Magistratus Sinici novem ordinibus distinguuntur.

Novem toto regno Magistratuum ordines: singulis, sive Philosophi, sive milites, stipendia in menses argento, vel oryza solvuntur. Eadem stipendiorum proportio eruditis, & rudibus; quæ ratione pompæ Magistratum concomitantis exigua sunt, nam suprema dignitas vix mille aureos valet, nisi quis miles, aut Magistratus supra leges sibi acquirit; inde variæ ditescendi artes, donis, largitionibus, casu, & quod præcipuum dignitate, ac meritis.

Magistratus distinctio ex apparatu publico.

Unus omnibus, qui imperio funguntur, habitus; pileo nigro ad aures ovali figura demisso, haud facile mobili, utuntur. Unde erecto corpore & immota facie, difficulter flexibiles incedunt. Vestis una, ocreæ ex nigro corio; Magistratus cingulo coriaceo, cujus materiæ dignitas majestatem indicat, aliæ enim è tornatili stipite, è cornu aliæ, ex unicornu quædam, vel è calamba ligno imprimis odorifero, nonnullæ ex auro

Zonæ Senatoriæ.

argentove, sed omnium nobilissimæ è marmore quodam pellucido, sapphiro non absimili, Sinis *Yuce*, dicto; quatuor lato digitos variis emblematis tessellato. Pectus & tergora opere Phrygionis ita variegato, ut indigenæ ex notis Philosophos militesque distinguere possint, discernuntur. Nam avibus, volucribus, coloribus, ut cuique dignitas, munus-

que


que agnoſcitur, alia quoque graduum etiam in Europa diſtinguamenta. Umbraculis, uno, pluribus; colore cœruleo, flavo, equo tenuiores; qui prævalent, humeris bajulorum, & quo potentiores, eo pluribus alii quatuor, alii octo geſtantur; & hæc graduum, opum, authoritatis diſtinctio, ut inter barbaros. Reliqua ad modum noſtrum, & aliorum: adolere thura, torques geſtare, longo ſtipari famulitio, & plebem fuſtibus, vel impetu amovere. Ultimum obſervatione dignum cenſetur: quanquam Tartari hodie Imperio potiantur, Sinenſes omnibus intereſſe Collegiis, ſalva libertate, legibusque priſcis, quod Sinenſes intellectu, Tartari bello pollentiores; ita mutuo concurſu hi civitatem, alteri arma, velut aſſuetiores, tractant.

CAPUT SECUNDUM.

De Lingua, Literatura & Eruditione Sinenſium.

SCriptura Sinenſium à lingua eorum multum differt. Non enim ut loquuntur, ita ſcribunt: ſingula verba, totidem characteres ſunt, nullis diſtincti vocalibus, aut conſonis, quanquam in pronunciatione duo ſæpe, aut tres ſoni deprehendantur. Quot ſunt res, totidem characteres numerantur: idem apud eos verbum, litera & character rei. Sæpe tamen unus ex multis conſtat characteribus, in unam quaſi ſententiam conflatus. Summa omnium characterum vix octoginta millia ſuperat: quicunque eruditus haberi vult, eum tenea numerum, neceſſe eſt, quanquam decem millia ad linguam & ſcripturam ſufficiant mediocritatem ſectantibus. Sunt qui ſexaginta, etiam qui centum viginti millia characterum numerant. Omnes in libro *Halpien*, id eſt, Oceano comprehenduntur. Numerus eorum cum rebus auctus indies, unde modo plures, modo pauciores numerati, caſu potius, quam arte, aut conſilio ita expreſſi, ut hanc vel illam rem deſignarent. *Numerus characterum.*

Initio res ipſas loco characterum uſurpabant, animalia, aves, reptilia, piſces, plantas, arbores, funes, circulos, puncta. Poſteriores contractius per lineas & figuras habiliores ſcripturam inſtituerunt. Antiquiſſimorum characterum ſeptendecim recenſentur ſpecies. Prima ab Imperatore *Fohio* reperta ex Draconibus & ſerpentibus varie implexis & figuratis: unde liber à *Fohio* de Oeconomia & Sapientia ſcriptus, *liber Draconum* appellatur. Sed hæc jam in deſuetudinem abiere. *Antiquorum characterum ſeptemdecim ſpecies.*



Secunda ſpecies ex rebus ad agriculturam pertinentibus conſtat, ab Imperatore *Xinnung* uſurpata. *Tertia* ex pennis avis *Fum hoan* ab Imperatore *Xauhoan* reperta, qui ſingularem librum de avibus ſcripſit. *Quarta* ex oſtreis & vermiculis contexta. *Quinta* ex radicibus herbarum, quibus varios priſci libros ſcripſerunt. *Sexta* ex unguibus avium decurtatis à Rege *Choam* inventa. *Septima* ex teſtudinibus, authore Imperatore *Ioo*. *Octava* per aves & pavones deſignatur. *Nona* ex herbis & pennis avium. *Decima* a *Co* memoriæ ergo excogitata. *Undecima* conſtat ex fixis & erraticis ſtellis. *Duodecima* ex peculiaribus literis decretorum & privilegiorum. Ad *tertiam* & *decimam* pertinent literæ *Yeu*, *Cau*, *Chi*, *Cien*, *Tao*. Characteres decimæ quartæ vocantur literæ *quietis*, *lætitiæ*, *ſcientiæ*, *ratiocinationis*, *tenebrarum & lucis*. *Decima quinta* ex piſcibus conſtat. *Decima ſexta* nondum innotuit. *Decima ſeptima* in literis obſignandis, & pompoſe inſcribendis uſurpatur. Res exempli clarior fiet.

Figura 1. hodie apud Sinas montem ſignificat. Sed olim mons figurâ montis deſignabatur, ut figura 2. oſtendit. Sol olim circulus cum puncto figura 3. hodie per characterem 4. notatur. Draco apud Priſcos figura 5. nunc figura 6. Sceptrum cum oculo figura 7. olim nomen Regis, hodie per figuram 8. deſignatur. Gallus & gallina figura 9. & 11. hodie characteribus 10. & 12. exponuntur.

Hodierni igitur Sinenſes nulli amplius rerum imaginibus, ſed lineolis tantum ad res deſignandas utuntur.

Utque

Utque clarior evadat res antiquiſſima characterem M ex libro Draconum lectori in ſcemate proponere viſum fuit.

Hodierni Sinenſium characteres ex novem lineolis componuntur: ita ut addita vel dempta lineola, ſtatim alia exoriatur ſignificatio. Exempli gratia, linea recta (*a*) *primum* vel *unum*, lineola transverſa addita (*b*) *Tſi*, id eſt *decem*: alia inferius ſuppoſita lineola (*c*) *Thou*, id eſt *terram*: alia ſuperne impoſita (*d*) *Wang*, id eſt *Regem*, cum puncto ad dextram (*e*) *Io* vel *Iu*, id eſt *Margaritam*: cum puncto ad lævam (*f*) *Sem*, id eſt *creare* vel *vivere*: cum puncto ſuperne (*g*) *Chu* ſive *Dominum* ſignificat. Vide ſchematis lævam partem.

Cum ejuſmodi characteribus aliquomodo conveniunt quidam characteres myſtici in libro *Yeking*, qui propter arcana magni apud illos æſtimatur. In eo varia de generatione, corruptione, fato, Aſtronomia & rerum principiis; ſed ruditer, & absque definitionibus, aut demonſtrationibus tractantur. Hodieque eo libro adhuc Sinenſes in ſuis prædictionibus & vaticiniis utuntur, nullo habito ad ſenſum libri reſpectu, vel enim ſtudio diſſimulantes. Tantam illi libro authoritatem tribuunt, ut eventus rerum, & præſcientiam futurorum ab eo dependere arbitrentur. Figuræ characteris ejus, certis lineolis varie ad res deſignandas compoſitis, conſtant. Exempli gratia, cœlum per figuram *a*. terra per *b*. fulmen per *c*. Montes per *d*. & ita reliqua deſignantur. Sed de his paule poſt prolixius ubi de Sectis Philoſophorum agendum erit. Figuræ myſticæ *Yeking*. Vide imam partem ſchematis.

Pronunciatio characterum ſæpe apud Sinas ambigua, & indiſtincta, quanquam ipſi inter ſe figura, & ſignificatu diſcrepent. Unde nulla alia reperitur lingua magis ambigua, cum voces nonniſi tonis quibuſdam, & ſonis diſtinguantur. Ex hac confuſione nemo, prælegente altero ſcriptum, aut librum, ſenſum ejus percipere poteſt, niſi ipſe inſpiciat, & ex accentibus ambiguitatem viſu dijudicet, quod auditu fieri non poteſt. Sæpe inter loquendum contingit, ut alter alterius ſenſum aſſequi nequeat, niſi iterata pronunciatione, aut etiam ſcriptione: ac ſi quis deſtituatur atramento, & penicillo, characteres aquâ in menſa, aut digitis in aëre deſignantur: idque inter eruditos, qui purius & elegantius ſecundum characteres librorum loqui affectant, frequens eſſe ſolet. Hæc ambiguitas aliquomodo tollitur per quinque accentus, quibus unus ſæpe character præſertim apud exteros, quinque diverſas ſignificationes nanciſcitur: neque ulla apud Sinenſes vox, quæ non unum ex his characteribus in pronunciatione admittat. Ideo Sinenſes ſola pronunciatione talem ambiguitatem, qua unum ſæpe vocabulum viginti, aut triginta diverſas res denotat, tollunt, quod ipſis à teneris aſſuetis adeo, quam peregrinis, difficile non eſt. Ambiguitas vocum. Tollitur vario accentu.

Rem narrabo jucundam non minus quam præſenti inſtituto convenientem. Italus quidam Sinenſi oſtenſurus naves in Europa altitudine turris eſſe, vocabulo uſus fuit, quo navis deſignatur; ſed tono tali pronuncia-

nunciavit, qui *tegulam* domus donotaret. Sinenſes attoniti, Italum tanquam incredibilia narrantem, irridere, & interrogare, cui bono illa tegula, & quis ille tam magnus furnus, in quo tales tegulæ excoquerentur. Hinc apparet non exteris modo, verum etiam indigenis eam tonorum varietatem moleſtam accidere: nam ad talem ambiguitatem tollendam ſæpe duobus vel tribus Synonymis in una periodo uti coguntur, cum alias una vox multoties diverſa & contraria ſignificet. Igitur Jeſuitæ, qui ad propagandam fidem Romanam in Sinis degunt, quinque puncta vel ſigna excogitarunt, quæ ſingulis addita vocabulis tonos vel attollunt, vel deprimunt, quæ ſunt *Ÿ* —— / ˊ *Ÿ*. Horum adjumento una eademque vox noſtris ſcripta literis, diverſimodo pronunciatur & ita varia ſignificat; e. g. *Yâ* cum ſigno deſuper eſt *Deus*, *Yá* eſt *ſtultitia*, *Yà anſer*. Horum auxilio lingua Sinenſis, non tamen absque magno labore addiſci poteſt. Difficultas ejus ab ambiguitate, & indefinito characterum numero pendet; unde decem, imo viginti anni multis impenduntur, antequam loqui, & ſcribere diſcant. Cauſa hujus ambiguitatis inde pendet, quod Sinæ ſemper plus operæ in ſcribendo, quam loquendo collocarunt: nam tota eorum eloquentia, non in loquendo, ſed ſcribendo conſiſtit: unde etiam nuncii in eadem urbe per literas, non oretenus, mandata ſua exequuntur, & exponunt.

5 Punta à Jeſuitis inventa ad faciliorem linguæ cognitionem.

Japonenſes tradunt, præter Sinicos Characteres, etiam Alphabetum peculiare habere, per quod linguam ſuam Europæo more, abſque infinitate illa Characterum, ſcribere poſſunt. Sed apud Sinas nullus talium literarum uſus: unde quicunque eruditi haberi volunt, à teneris ad extremam ſenectam in addiſcendis characteribus occupantur. Et quanquam multum temporis perdant, id tamen è contrario conſequuntur commodi, quod juventutem eo labore domant, ne in vitia ruat, & licentiam. Et hic modus ſcribendi præſtantiſſimus etiam propterea eſt, quod ſolos Characteres compendioſe omnia exprimunt, quæ nos circuitione multorum vocabulorum vix aſſequamur. Sinenſes non, ut Europæi, à ſiniſtra dextrorſum, aut a dextris ſiniſtrorſum, ut Hebræi & Arabes, aut inſtar arantium Boum, ut Græci & Latini, teſte Jarrico, ſed ſuperne deorſum pendentibus literis ſcribunt; idque cum aliis Indorum commune habent.

Et quanquam hic per Characteres ſcribendi modus memoriæ imprimis difficilis videatur, id tamen exinde commodi habetur, quod populi linguis diſcrepantes, dum iiſdem Characteribus in ſcribendo utuntur, ſe mutuo intelligere & ſenſa animi ſui ſignificare poſſint. Ita Sinæ, Japones, Koreani, Kouchenchinæ iiſdem utuntur libris, & quanquam ſinguli ſuâ linguâ legant, alteri non intellectâ, eandem tamen rem percipiunt. In ipſa quoque Sina cum variæ linguæ obtineant, omnes tamen iiſdem Libris & Characteribus utuntur.

Sed præter ſingulas Provinciarum linguas, per Univerſum Imperium alia quædam generalis lingua, quam *Quonhoam* vocant, id eſt aulicam & Mandarinorum, obtinet. Hujus linguæ origo talis fuit, quod cum omnes Magiſtratus, ſive Mandarini ſint exteri in ea Provincia, in qua munere ſuo funguntur, ne cogerentur peregrinam linguam addiſcere. Hinc omnia publica in foro, in curia, hac lingua peraguntur, eâque civiliores quicunque utuntur, non ſecus ac apud nos Latina lingua paſſim per Europam obtinet. Et hanc linguam Mandarinorum Europæi ſolam diſcunt: cæteræ enim Provinciales non neceſſariæ, & rudes habentur, neque in publico obtinent. Fœminæ & Infantes eam continuo uſu addiſcunt, & ſicut multitudine Characterum omnes alias ſuperat, ita paucitate vocabulorum cæteris longe inferior eſt, quippe nonniſi trecentis viginti ſex vocibus conſtat, quæ omnes ex unica litera conſtant, & fere in eandem vocalem deſinunt; & ſi quæ paucæ in nullam vocalem exeunt, eæ in *M* vel *N* deſinunt. Hujus linguæ brevitas & rotunditas adeo eam reddit ſuavem, ut omnes alias, quæ cognitæ ſunt hactenus, linguas ſuperet. Nam nos quidem deſignaturi rem aliquam apprehendendam manu, vel tota, vel digito, uno aut altero ſemper cogimur addere vocabulum *apprehendere*. At vero Sinenſes ſingulis vocabulis etiam modum, & actionem denotant e. g. *Nien* eſt capere duobus digitis, *Tzo* capere toto digito. *Chua* capere tota manu, plena vola. *Tcie* capere palma expanſa uſque ad digitos. Idem in voce *Stare* apparet. Nos dicimus; *ſta in domo*, *ſta edens*, *ſta dormiens*: ſed Sinæ una eademque voce & *ſtare* & *modum* ſtationis denotant. Ita pedem avis, beſtiæ, hominis deſignaturi ſemper vocem *Pes* addimus: Sinæ una voce ſingula exprimunt: nam *Kio* eſt pes hominis, *Chua* avis ungula & *Thi* pes cujuscunque animalis.

Ex omnibus ſcientiis ſolam fere Moralem Sinæ ex colunt: Naturalis ab iis per varios errores contaminata potius quam illuſtrata. Neque in ipſa Morali Philoſophia adeo ſunt evidentes, ſed obſcuris fere & confuſis ſententiis, & exiguo lumine naturali utuntur. *Sinenſes moralem Philoſophiam ſolum colunt.*

Maximus omnium Philoſophorum *Konfutius*, quadringentis, quinquaginta uno ante Chriſtum annis natus, qui amplius ſeptuaginta annis ita vixiſſe traditur, ut non ſcriptis minus, quam exemplo, & converſatione ad virtutem ſingulis viam præiverit. Unde omnibus mortalibus ſapientia & probitate ſuperiorem fuiſſe Sinæ credunt. Et ex ſcriptis ejus patet, multis noſtrorum gentilium in Europa Philoſophorum haud inferiorem fuiſſe. Unde authoritas ejus apud Sinas hodie indubia & etiam falſo tradita pro veris habetur. Neque minor ejus apud Reges, quam literatos authoritas, ſectatoribus illibatam per tot ſecula æſtimationem etiamnum obtinentibus. Caput familiæ hujus titulis & immunitatibus vectigalium ac tributorum conſpicuum & illuſtre eſt.

Neque minor eorum in Aſtrologia peritia, & Arithmetica, ac Geometria, *Periti Aſtronomiæ*

tria, quanquam omnia confuse doceant pariter & discant. In numerando per officinas abaco cum orbiculis, & bacillis celeri artificio, ut Europæi calculis, utuntur. Stellas longe aliter ac Europæi disponunt & numero eorum quadringentas addiderunt, quæ nostris incognitæ sunt; nam quædam obscuriores, & quæ non nisi sereno Cœlo apparent, numero adjicerunt. Astronomi eorum præcipue in Solis defectu & stellarum fixarum, erraticarumque motu scrutando occupantur. Futuram ex astris singulorum fortunam, sterilitatem annorum, aut fertilitatem præsagire præcipuus labor est. Omnia enim terrestria à stellarum influxu pendere credunt. Multa a Saracenis Astrologis hauserunt: sed nihil demonstant: tabulas quasdam, unde motus stellarum fixarum & planetarum, nec non Eclipses Solis ac Lunæ dejudicentur, posteris reliquerunt.

De prædictionibus fortunæ cujuslibet ex astris ita Trigautius.

Auctor illius familiæ, quæ hodie rerum potitur, vetuit, ne quisquam hæc Astrologiæ judiciariæ præcepta ediscat præter eos, qui sunt hæreditario jure in eam rem designati; veritus ex hac siderum notitia, qui eam sit consecutus, res novas in Regno moliendi facultatem accipiat, & opportunitatem consequatur. Qui tamen hodie regnat, varios magno censu Mathematicos alit, eosque vel intra Palatii fines Eunuchos, vel extra Regios Magistratus, quorum duo sunt hodie in Pequinensi Regiâ tribunalia; alterum Sinarum, qui fastorum Ecclipsiumque subducendi rationem profitentur, alterum Saracenorum, quod eadem ad importatam ab Occasu disciplinam revocat, ac utriusque deinde tribunalis judicium inter se conferunt, & alterum ab altero adjuvatur. Utrique etiam modico colle aream ad contemplanda sidera habent; in quo Mathematicas Machinas inusitatæ magnitudinis fusili ære construxerunt; quæ antiquitatem, aliquam præ se ferunt. In eo colle semper unus aliquis Collegarum nocturnis horis excubat, si quid forte cœlum inusitata siderum, vel alicujus cometæ novitate portendat, quod si contigerit, die insequenti, misso Regem libello admonent, ac simul exponunt, quæ sinistri, quæ læti omninis significatio videatur. Nanquinensium Mathematicorum area, in edito colle intra urbem eminet, & Mathematicorum instrumentorum moles Pequinensium superat elegantiam, quia eo tempore in eâ urbe Reges contemplantur.

Pequinensium Astrologorum jus est, in Solis ac Lunæ defectionibus toto Regno prædicendis, & lege lata Magistratus, Simulacrorumque Ministri ubique jubentur certum in locum cogi, officiorum suorum cultu insignes & Planetæ laboranti subvenire, quod æreis cymbalis ad numerum pulsatis, & sæpe flexis poplitibus se facere arbitrantur, toto eo tempore, quo Planetas illos deficiendo laborare credunt. Audio vereri eos, ne à Serpente, nescio, quo, per id tempus sorbeantur.

Quanta eorum sit in percipiendis ejusmodi artibus sagacitas, hinc apparet, quod nostram Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Sinensibus Characteribus expressam, mox ut inspexerunt, percipiant & appre-

apprehendant. Multi etiam de Arctitectonica, Anatomia, Optica, aliarumque scientiarum libri per figuras impressi.

In Medicina parum a nostris fundamentis discrepant; sed quoad praxim longe Europæos superant. Pulsum, ut Europæi, tangunt, sed tam subtili artificio, ut etiam apostemata interna ex ejus motu deprehendant. In singula manu sex diversas motiones arteriæ observant, tres principes, & tres minus principes, quarum unaquaquæque certis partibus corporis respondeat: nam primus pulsus cordi, secundus jecori, tertius stomacho, quartus lieni, quintus renibus, & ita porro, appropriatur. In pulsu ægrorum observando dimidiam horam, magno astantium silentio, neque absquæ tædio decumbentis, transigunt. Medicina exiguæ æstimationis.

In curando simplicibus fere herbis & radicibus utuntur, unde tota fere Medicina Sinensis in Botanica consistit. Nulla totâ Sinâ addiscendæ Medicinæ Academia, domi quisque apud Magistrum artem addiscit. In utraque Regia *Peking* & *Napking* gradus doctoratus Medicinæ, sed obiter & sine discrimine, conferuntur petentibus: neque major ejus, qui promotus est, quam qui non, æstimatio; quoniam nulli morbos curare, peritus sit an imperitus, interdictum. Neque quisquam, qui in Morali dignitate excellere vult Medicinæ operam navat: unde soli pauperes & stupidi, ac ad altiores inepti scientias, Medici fiunt, neque ulla ars tota Sina contemtibilior. Peragitur simplicibus.

Alia longe Philosophiæ moralis ratio: cujus, qui apicem attigit, se supremum Sinicæ felicitatis gradum consecutum arbitratur. *Confutius* Princeps Philosophorum Sinensium, cuncta priorum scripta in quatuor volumina digessit, quintum ipse a se conscriptum addidit. In his libris ratio bene vivendi, præcepta bene gubernandi, prisca exempla, consuetudines; sacrificia, & poëmata reperiuntur. Confutius scripta Priscorum collegit.

Sunt præterea duo vel tres alii Philosophi Confutii discipuli, quorum volumina confusim sententias Morales, Oeconomicas, Politicas complectuntur. Hoc opus *Tetrabiblos* appellatur. Hi novem libri omnium Sinensium antiquissimi, & ex quibus reliqui fere prodierunt, Characteribus omnes Sinensibus conscripti. Ac exinde fundamenta omnis eruditionis petuntur, antiqua Regum lege, ut quicunque doctus haberi velit, studio librorum horum incumbat. Unde hi quatuor libri non memoriæ modo firmiter infigendi, verum etiam prompte & ex tempore singulæ sententiæ & opiniones Characteribus exprimendæ.

Nullæ tota Sinâ Academiæ, in quibus hi libri explicentur, sed quisque Magistrum sibi domesticum suis sumptibus eligit. Ingens horum Magistrorum copia, quod propter difficultatem Characterum pluribus singuli docendis vacare non possint & quia singuli domesticas pro liberis suis Scholas habent, eo fine, ne cum aliis versando, impetus ad discendum retardetur. In Sinâ nulla Academia.

Tres

Triplex literatorum gradus.

Tres præcipui Eruditorum, prævio examine, honoris gradus sunt, primus *Sieucai*, alter *Kiugin*, tertius *Cinfu*, Examen fere in sola scriptura consistit.

Sieucai.

Primus eruditionis gradus, *Sieucai* in singulis urbium scholis à quodam Doctore *Tihio* confertur. Hic *Tihius* cuncta Provinciæ suæ oppidâ peragrat, ad conferendam, post triplex examen, eruditis hanc dignitatem. Postquam hic *Tihius*, quem Cancellarium dicere queas, appulit, omnes qui gradum affectant, undique confluunt ad examen. Primum examen à Magistris Baccalaureorum peragitur. Sæpe quinque millia ex unica urbe huic se examini sistunt. Examinati à Magistris Regiis ad quatuor civitatis Præfectos, & ab his ad *Tihium* ablegantur, sed non nisi ducenti ex tanto numero, qui peritia scribendi antecellunt reliquos. Tertium examen ab ipso Cancellario peragitur; cæteris longe rigidius, nam ex ducentis vix viginti vel triginta ad gradum Baccalaureatus seliguntur; qui priorum annorum Baccalaureis conjuncti præcipuam Civitatis partem constituunt, ab omnibus honorati propter instantem dignitatem, ad quam per gradus hosce ascendunt. Insignia eorum sunt toga, pileus & ocreæ, neque aliis hoc habitu, præter Baccalaureos, uti licet. Immunes præterea sunt, & nulli nisi Cancellario, ac quatuor Magistris suis subjecti, ac si delinquant, cæteris Magistratibus nulla in eos potestas est.

Munus Tihii.

Munus *Tihii* est non tantum novos dicere Baccalaureos, sed etiam jam olim promotos iterum examinare, & profectus eorum ulteriores explorare. Ideo prout in scribendo excellunt, quinque classibus dispescuntur. Primus ordo præmio affectus ad inferiora munia adhibetur. Secundus ordo præmio, sed longe inferiori, honoratur. Tertius ordo neque præmio, neque pœna dignus censetur. Quartus ordo ob pigritiam publice plagis afficitur. Quinti toga, pileo, ocreis exuti, feci plebis adscribuntur. Ita præmiis & pœnis industria excitatur, negligentia plectitur.

Kiugin.

Secundus gradus eruditorum in Sina *Kiugin*, Licentiatos Europæos repræsentat. Hic gradus tertio quoque anno in Metropoli Provinciæ, initio octavi mensis sive Septembris, magna pompa confertur. Neque omnes, qui digni, eum consequuntur, sed certus tantum numerus, qui omnes eminentissimi & pro conditione Provinciarum plures paucioresve. Nam in *Peking* & *Nanking*, ex universo Baccalaureorum numero circiter centum & quinquaginta Licentiati, in Provinciis *Chequiang*, *Quiansi* & *Fokien* nonaginta quinque, in cæteris pauciores fiunt.

Ad hoc examen soli Baccalaurei, sed non omnes, verum ex qualibet civitate vel Provincia aut, Scholis summum quadraginta Baccalaurei seliguntur. Nihilominus sæpe numerus talium quatuor millia Candidatorum conficit. Magistratus *Pekingensis* tertio quoque anno centum Philosophos selectos supplici libello Regi sistunt, ex quibus trigtnta,

pro

pro singulis Provinciis duo, qui examini Licentiatorum præsunt, nominet. Unus horum necessario ex Regiis Ministris *Han-linyven*, qui Præcipui toto regno, deligendus est. Nec citius nominantur, quam ut magnis itineribus in Provinciam, cui destinantur, pervenire possint, additis inspectoribus, ne quemquam ante alloquantur, quam ad Licentiatum promoti fuerint. Ex Provincia Philosophi iis adjunguntur, quorum opera in examinandis Candidatis uti queant.

In singulis Civitatibus magnum Palatium, altis septum muris, examini huic destinatur. Multa in eo cubicula in quibus summo silentio studiis incumbunt. In medio Palatii plusquam mille cellulæ, unius hominis capacitate, mensula & scabello instructæ, ita ut unus alterum, neque videre, neque alloqui possit. In unâquaque Metropoli schola examinatoria.

Examinatores singuli singulis conclavibus seclusi, ab alloquio & mutuo, & aliorum, durante inquisitione scripturarum, prohibentur, militari custodia undique ita cincti, ne quemquam exterorum compellare, aut scripta inspicere possint. Triduum huic examini toto Regno impenditur, nona, duodecima & decima quinta octavæ mensis. Totam discipuli scribendo diem ab ortu Solis ad seram vesperam impendunt, clausis perpetim januis, nisi quod parum refocillandi animi ergo, sumptibus publicis iis exhibetur. Studiose excutiuntur ante admissionem in Palatium, num quid librorum, aut scripturarum secum gestent; nihil iis præter penicillum, chartam & atramentum inferre licitum. Ipsis etiam penicillas & tabellas scriptorias sedulo perscrutantur, ac si fraus deprehensa, non exclusi modo, verum graviter quoque puniti rejiciuntur. Arcta custodia Inquisitores, & examinandi observantur.

Postquam Baccalaurei intromissi, januæ clausæ & urbis sigillo obsignatæ, quatuor Inquisitores, ex quatuor libris tres sententias selectas publice proponunt, quas quilibet, argumentum totidem scripturarum, habet. Præterea quisque ex quinque libris quatuor sententias seligit, quæ & ipsis argumentum examinis præbent. Hæ septem scripturæ non verbis modo, verum etiam sententiis gravibus & nervosis, summa eloquentia Sinica, exornandæ sunt. Accurate observandum, ne plures quingentis Characteribus in singulis explicationibus reperiantur. Modus examinis.

Tertia die denuo hi scribæ secluduntur, & tria illis vel jam olim facta ex Historiis, vel quæ adhuc fieri possunt, proponuntur, quæ triplici scriptura interpretantur, vel Regem libello supplici monent, quid in tali casu bono Imperii agendum videatur. Ita decima quinta die tres casus, quales quotidie in Republica administranda occurrunt, iis proponuntur, de quibus judicium suum triplici scriptura exponere tenentur.

Exhibitis scripturis, Baccalaurei in singulas ædiculas, sive cellulas distributi, summo silentio scribunt in peculiaribus libellis, subscripto nomine Patris, Avi, & Poavi; eos libellos tanto artificio obsignant, ne ab alio, nisi Inquisitoribus reservari possint. Ita exhibentur ablegatis. Omnes libelli

libelli, antequam ad Inquiſitores deferantur, à ſcribis quibuſdam tranſcribuntur, ac ne fraus fieri poſſit, tranſcripta rubro colore tinguntur, ipſo exemplari atramento ſcripto. Tranſcripta & non ipſa primæva exemplaria, ſine nominibus ſcriptorum, Inquiſitoribus examinanda traduntur, ipſa autem ſcripta Candidatorum, quæ a tranſcriptis nihil differunt, interea cuſtodiuntur: Id quod propterea fit, ut Examinatores nomina ſcriptorum, aut manum agnoſcere poſſint.

Scripta ab examinatoribus penſiculata, rejectis vilioribus, ad duplum Licentiatorum creandorum numerum rediguntur. Ita ut ſi centum & quinquaginta promovendi, trecenta ſcripta Regiis Inquiſitoribus exhibeantur, ex quibus optima, pro numero, ſeligunt. Selecta in primum, ſecundum, tertium ordinem rediguntur. Inde exemplaria cum tranſcriptis conferuntur, & nomen ſcriptoris prælegitur. Hæc nomina literis ſesqui pede altis ſcripta in tabulis publice proponuntur magno populi confluxu, & fauſtis cognatorum acclamationibus. Atque hic licentiæ gradus multum dignitate, privilegiis & immunitatibus priorem antiſtat, & aditus illi ad maxima Imperii munera patet.

His ita peractis Regii Inquiſitores edito libro totius examinis ſucceſſum, nomina Licentiatorum, ſcripturas eminentiſſimas publicant: Sed præcipue illius, qui primum inter Licentiatos locum obtinuit, ſcripta typis evulgantur. Hic Sinice *Quiayven* vocatur, ille liber curioſe impreſſus toto Regno diſpergitur, ejusque exemplaria aliquot Regi & Aulicis offeruntur.

Ad hoc examen nulli alterius Provinciæ Baccalaureo acceſſus datur, ſed tantum illis, qui ex Provinciâ Peking ac Nangking ſunt. Paucis quibusdam peculiari indultu, ex aliis Provinciis pro certâ ſumma pecuniæ conceditur.

Cinſu. Tertius gradus *Cinſu*, plane cum Doctoratu noſtro in Theologia, Jure, & Medicina convenit. Hic gradus ſingulo quoque triennio, ſed in ſola Regia *Peking*, anno altero poſt Licentiatorum promotionem, confertur.

Ad hunc ſummæ dignitatis gradum ex toto Imperio nonniſi trecenti pervenire poſſunt, quanquam omnes Licentiati ex quacunque Provincia, qui ſe examini ſubmittere volunt, admittantur. Hoc examen fit ſecundo menſe, iiſdem, quibus priora, diebus. Nullum inter hos & priores in exquirendo diſcrimen, niſi quod reſpectu majoris dignitatis exactior quoque cura adhibeatur, prohibendo favori, & quæ frequenter ibi deliteſcit, fraudi. Ad hanc Inquiſitorum claſſem etiam ex *Colais*, qui primarii Miniſtri ſtatus, deliguntur.

Peracta inquiſitione & examinatis in eodem Palatio Doctorum titulo ornatis, ubi etiam plerumque Licentiati fiunt, omnes ſimul in Palatio

Palatio Regio præſentibus primariis Magiſtratuum (olim ipſe quoque Rex aderat) ſiſtuntur, & novum thema ad iteratam probam illis proponitur. Primus Doctorum absque dubio tertium in hac inquiſitione locum accipit. Qui in hac alterâ inquiſitione primum & ſecundum locum obtinet, is durante vita, primis dignitatibus fruitur, & præcipuis in imperio muniis fungitur. Sunt Marchionum, aut Ducum inſtar, ſi hæreditaria eſſet ſucceſſio. Mox hi Doctores dignitatem tantam nacti, inſigni veſte, pileo, ocreis, & aliis Magiſtratuum decoramentis ornantur, ad ſumma munia admoti, qua Licentiatus adire notas. Unde abillis tanquam inferioribus ſuſpiciuntur, & abjecta ſemel Doctoratus ſpe, nihilominus inſignia & præcipua Regni munia adminiſtrant. Licet illis ſæpe eandem tentare aleam, quod multi eorum pertinaciâ ſumma aſſequendi, aut in imis ſubſiſtendi periclitantur; decies aut amplius examen, poſt improbos in legendo & ſcribendo labores ſuſtinentes, miſeri, unde tandem in deſperationem lapſi, vitam diſcendo, & nihil, dum ſumma cupiunt, aſſequendo, velut pecora, tranſeunt.

Eodem, ut in Licentiatis dictum, modo etiam hujus Doctoratus promotionis liber impreſſus publicatur, nominibus Doctorum eminentiſſimâ ſcriptura propalatis. Inſuper annuatim alius adhuc imprimitur liber, in quo Doctorum nomina, patria, parentes, munia, loca officiorum, ſcripta proſtant. Unde quisque ex inſpectione ejus libri ſingulorum Doctorum à primo Promotionis anno uſque ad exitum, facta, & dignitates hoc illove loco perſpicere poteſt, ac quantum meritis creverit, aut decreverit, quod apud Sinenſes frequentiſſimum eſt.

Id mirabile, eodem anno promotos Licentiatos, aut Doctores tota reliqua vitæ functione fraterno ſe mutuo amore proſequi, ac alterum alterius commoda ſummo ſtudio promovere: neque minor eorum erga Inquiſitores, ac Magiſtros reverentia, etiamſi ſæpe diſcipuli ſuos præceptores altitudine graduum ſuperent.

Etiam militibus iidem dignationum gradus collati olim, eodem loco, & anno, ſed uno menſe poſt: Sed quia Senatus Militaris, antequam Tartari irrumperent, parum æſtimabatur, hinc minori pompa & apparatu omnia peragebantur. Triplex militiæ tum examen. In primo equites concitato curſu novem ſagittas ad ſcopum ejaculantur. In ſecundo itidem novem ſagittis ſcopum petunt, & qui minimum quatuor ſagittis eques, & duobus pedes ſcopum attigit, tertio examine adhibetur. In hoc tertio examine caſum militarem ſcripto explicare tenentur. Examen Militum.

Judices ex tribus his examinibus collatione facta ſingulis Provinciis quinquaginta circiter Licentiatos aſſignant. Eodem autem anno, quo Pekingæ Doctores creantur, ſemper centum milites ex univerſo

Licentiatorum numero, post triplex examen ad dignitatem Doctorum elevantur. Ex hoc ordine facilius Doctores, quam Licentiati, sed non absque largitionibus ad militares honores emergunt. Utrique postquam ad altiorem promoti sunt gradum, limini januæ, honori familiæ, titulum sesqui pede altum literis describunt; unde quâ quisque sit dignitate, constat. Omnes autem Inquisitores sive Militares, sive Philosophici, vel Medici, ac imprimis Morales ex solo Senatu Philosophico leguntur, sine additione ullius Militis, Astronomi, aut Medici. Nam Sinenses arbitrantur, solos Morales Philosophos de omnibus rebus sano judicio præditos esse. Etiamsi res, de qua agitur, extra eorum sit limites, aut intentionem.

CAPUT TERTIUM.

De Opificiis, Scenicis, Ludionibus, & Mendicis Sinensium.

Archi-tectura.

ARchitectura Sinensium Europæis haud conferenda; quippe non ultra ætatem hominis unius struunt: posteris eandem curam relinquentes. Unde cum stupore audiunt, & rident Europæorum ad æviternitatem structuras, ac dum mille & amplius annorum dari ædificia intelligunt, fidem relatio superat. Discrimen in fundamentis situm. Europæi profundum struunt, unde superior moles durat inconcussa. At Sinæ nullo in solum fundamento, planæ terræ, & vix pedum aliquot spatio effossæ, turres & gravia inædificant, unde facile subsidunt molli humo, & ævo etiam mœnia reparari debent. Domus plerumque ex ligno vel ligneis columnis innixæ, facili superiorum, intacto fundamento, reparatione; nam ex imbricibus tecta, non muris, ut apud nos, sed ligneis tibicinibus nituntur. Ædificia eorum extus minus conspicua, interius nitida habentur, & ad usum commoda sunt. Omnes in Universum, etiam Regia Palatia ex ligno duarum contignationum, parietibus tamen plerumque ex cocto latere, quibus conclavia ad varios usus secernuntur. Plerumque vastis atriis ædes prætextæ, quorum extima à fœminis arcta custodia, habitantur.

Pagoda eorum & templa magnifico juxta vias publicas apparatu, itinerantibus pro hospitio sunt, plena Idolis & nigris lampadibus æternum evomentibus ignem, memoriæ feliciter, qui vixit & defunctus est, consecratis.

Typo-

Typographia Sinenſium.

Typographia Sinenſium prima gloria & ſcientiarum propagatio videtur fuiſſe. Communis mullorum opinio, ante Europæos receptam & inventam apud eos floruiſſe. Trigautius ante *quinque retro ſecula* receptam fatetur, opinione illorum, qui ante natum Chriſtum jam exercitam volunt, ut fabuloſa & incerta, rejectâ. Cæteri, qui jam cum ipſo Imperio Sinenſi *Fohio* hanc artem auſpicantur, velut indigni relatione aut confutatione, ſusque deque habendi ſunt.

Modus imprimendi.

Modus imprimendi apud Sinas alius, quam Europæos eſt, ob nimiam Characterum copiam. Characteres ſuos incidunt raſis ex pomo vel pyro tabulis. Huic leniter applicant folium ſcriptum; inde chartam tam diu abradunt, donec ſolæ reſtent & tranſpareant literæ, acuto ferro ſuperflua exſcidentes chartæ. Ita tabulis ejuſmodi folia pura celeritate ſummâ, ac facilitate imprimunt, ut unus impreſſor ſingulis diebus quinque foliorum millia imprimere poſſit. Eadem illis in excavandis tabellarum formis celeritas, ac noſtris in literis componendis & corrigendis. Aptior hæc Sinenſium magnis literis, quam noſtris parvis, imprimendi modus, quia noſtræ tam expeditæ ligno inſculpi non poſſunt. Ingens inſuper ex tali forma imprimendi compendium, manentibus ſemper iiſdem tabellis, & prompto ad demendum, addendumve compendio, facili abraſione, & aliorum Characterum inceſſione. Neque opus typographo ſimul multa imprimere exemplaria, ſed quoties vult, ſemper ad manus eadem forma, tam facili artificio, utqui vel ſemel vidit, ſtatim ejus artis Magiſter ſit. Atque hinc illa librorum Sinicorum viliſſimo pretio paſſim toto Imperio proſtans copia, ut qui non vidit, ægre fidem adhibere poſſit. In monte *Iungmuen* Bibliotheca extat cujuſdam *Siguli*, qui triginta millia voluminum eo loco congeſſit.

Alius etiam Sinis modus inſcripta marmori, aut ligno inceſſa imprimendi. E.g. Inſcriptioni ſepulchrali, aut alii monumento marmori plano inciſo, chartam humidam imponunt, & illi glomum laneum: malleolo tamdiu cædentes, donec charta mollis omnes cæſuræ rimas & Characterum notas impleverit. Inde prominentiæ chartæ, quæ non recepta eſt inciſuris, magna dexteritate atramento, aut alio colore finguntur, ita ut charta in fiſſuris deliteſcens haudquaquam tangatur, ſed albedinem ſuam ſervet, & inciſa lapidi vel ligno exacte repræſententur; eodem fere modo, quo apud nos infantes ſtatuas lapideas, allinendo lutum figlinum, exprimere ſolent. Sed id obſervandum, nonniſi in craſſis locum hanc exprimendi formam habere imaginibus, ſubtilia enim & minuta non ferunt talem laborem.

Pictura Sinenſium.

Picturæ perſtudioſi ſunt, ſed Europæorum pulchritudinem haudquaquam aſſequuntur: nam neque umbras exprimere norunt, neque colores oleo temperare: unde eorum picturæ quaſi emortuæ & pallidæ exiſtunt, quanquam colores omnium vivaciſſimos habeant, quibus herbas



& aves ad vivum, nos non acu & opere Phrygionio æmulantur. Parietes & laquearia cubiculorum ſuorum hominibus & beſtiis exornant, templa ſtatuis ex ære fuſis implent. In ſtatuaria & fuſoria admodum rudes videntur; quippe omnia oculo dimetientes, unde crebri errores, & in magnis corporibus extravagantiæ. Monſtra tamen ex ære, marmore, figlina horribili forma ad Idololatriam conficiunt. Campanæ eorum malleis ligneis percuſſæ ſonum longe noſtris obtuſiorem edunt, neque ferrea piſtilla ob fragilitatem perferunt. Cauſa hujus ruditatis eſt fuga exterorum, à quibus nihil addiſcere, quod ignorabant, voluerunt.

Muſica. Muſica inſtrumenta varii generis habent, ſed magnam partem tympana & buccinas; Chordæ ex ſerico, non beſtiarum inteſtinis torquent. Cantus eorum monotonos eſt, nullo vocis concentu, aut variatione. Hinc noſtram Muſicam vocalem & inſtrumentalem admirantur.

Horologia. Horologia non alia, quam ex aqua & igne, habent. Clepſydræ eorum inſtar Clepſammiorum noſtrorum. Horologia ignea ex beneolentibus cineribus conſtant, & funiculos noſtros, quibus pyrius pulvis accenditur, redolent. Etiam Horologia per rotulas, quas arena inſtar aquæ circumagit, habent, ſed rudi omnia opere, nec Sciateria, quanquam ex parte noverint, ex arte conficiunt.

Comædiæ. Omnes alias nationes ludis Scenicis ſuperant. Toto paſſim Imperio ingens talium Comœdorum turba, juvenes fere & corpore prompti, per urbes vagantur & operam in nuptiis, in conviviis locant. Comœdiæ aut veras hiſtorias repræſentant, aut figmenta; antiqui operis, raro novas com-



componunt. Spectatores ex libro, quam velint, eligunt, & dum convivantur oculos, auresque avidissime multis horis pascunt. Vox recitantium cantillans est, neque alio modo loquuntur.

Ingens quoque Gesticulatorum copia. Quidam mures, aut sorices caterniculis revinctos in mensa saltare ad numeros Musicos faciunt admirando artificio. Nonnulli perticæ, vix dimidium pedem superne latæ, quam cingulo affixam quidam tenet, uno pede insistunt. Filamenta per hirquos oculorum infigere, ut naribus emungerentur, & utraque extremitate prehensa serram, lacrimis guttatim decidentibus, ducere, frequens. Aliqui in corbe latentes gladiis quasi configuntur, sanguine ubertim effluente, mox incolumes inde exiliunt. *Sinæ Miris nugantur modis.*

Sigillis, quibus nomina, gradus & dignitates insculpta sunt frequentissime, non in literis modo obsignandis, verum etiam scriptis, carminibus, picturis insigniendis, utuntur. Neque ceræ imprimunt, sed rubro colore tingunt. Materia sigillorum pretiosa ex ebore, lignis odoris, marmore, cristallo, corallis & gemmis, quorum unaquæque materia determinatum requirit artificem. Hinc magnus eorum numerus, qui sigillis incidendis victum quærunt, & eruditio in iis haud exigua requiritur, quod Characteres illi perantiqui sunt, quibus in siglis utuntur, multum à vulgaribus hodie receptis discrepantes. *Utuntur copiosis sigillis.*

Ars atramenti conficiendi singularis & eximia est. Fit ex massis, quas Indigo vocamus, & quia scientia scribendi summus apud eos eruditionis gradus, hinc, qui atramentum conficiunt, haud exigua dignatione censen- *Atramentum.*



censentur. Colorem illum in porphyrite tritum aqua diluunt, & penicillos suos ex leporinis pilis intingunt. Et hæc tria ad scribendum necessaria pulcherrime exornant, ac magni æstimant, quæ ad scribendum ab honoratissimis adhibentur.

Conopæa. Habent etiam flabella sua, quibus ardorem solis temperant, & faciem refrigerant. Nemo cujuscunque conditionis in publicum absque tali flabello prodit, etiam frigida & ventosa tempestate. Materia eorum varia, ex arundine, ligno, ebore, santalis, serico, charta, stramine odoro; forma rotunda, ovalis, quadrata. Magnatum ex albissima papyro inaurata, quæ contrahere, aut dilatare pro lubitu queunt. Inscriptæ leguntur memorabiles sententiæ. Et hæc familiaria inter eos munera sunt. Ingens multitudo hinc victum quærit, conficiendo, vel vendendo. Iidem etiam Conopea sive *Covresolas* faciunt, quæ à famulis capiti Dominorum arcendis Solibus supergestantur, ex serico aut lino cerato.

Lenones. Tanto animi corporisque sudore ad inconstantis fortunæ opes feruntur Sinæ, quam si æternum in terris victuri, nullam supremæ necessitati legem deberent: adeo pecuniarum dementiâ sanæ mentis oculo destituti, ut nihil suo pretio æstimantes, omnia ad improbam suæ cupidinis famem metiantur. Floret hic, vigetque vetus illa *Cyrenensium* luxuries. Multos hic libidinis scelerumque socios *Sardanapalus*, *Xerxes*, *Antiochus* reliquerunt. Extant impurissimi *Caligulæ*, expressa in omni scelerum colluvie vestigia, qui fœminarum marimuque lupanaria, turpiter prostitutâ mercede, elocavit. Sic Sinensium lenones, fœdissimum avaritiæ man-



mancipium, universam Sinam meretricio comitatu peragrant, & juvenculas formosas, quas è plebe parentibus eblandiuntur auro, saltando, cantando, aliisque lasciviis erudiunt, & alunt, ut procis gratiores forent, ipsas jam viro maturas venales circumducunt Aquarioli, qui sordido lucro inhiantes tot scorta habent, quot eorum annui reditus alendo sunt. Ubi emptorem vel conductorem certo pretio repererunt, scortum asino impositum, facie serico velata, ad eum adducunt, ubi exuto omni pudore in fœdam libidinem se prostituunt. Etiam hi lenones prostibula inter se velut mercem, permutant, & transcribunt, ex quarum permutatione variæ sæpenumero oriuntur rixæ, ex eo quod fraus in merce latuerit.

Mendici non tam precibus, quam minis, & transeuntium vestibus affixi, stipem exigunt. Hi nebulones omnes fœdo vultu, & detortis mutilisque membris; quippe infantium membra studio luxant, & detorquent: pleni insuper putridis ulceribus, ut nemo aspectum eorum absque nausea ferre queat. Qui sani membris sunt, capitibus se mutuo, velut furiosi feriunt, tanta vehementia, ut cranium perfringi credas: neque ab hac insania cessant, quam vel eleemosynam iis largiaris, vel abeas. Qui, cum quo arietet, non habet, saxo caput ferit, donec totum tuber sit. Alii pectus pari vesania horribili fragore, concutiunt. Nonnulli cultris se confixuri videntur, nisi aliquid largiaris, & frameis malas abomanabili affectu perforant, aut securibus mortem sibi intentant. In Fluvio Croceo nos quidam venti & fumivendulus cum aperto lembo, Sinis *Tsjampam*, Mendici.

pam, appulit. Hic nudo corpore, ut in icone, præter verecunda & renes concutiebatur haud ſecus ac dæmonio ageretur. Ut terribilior videretur, ſtylo ferreo perforabat genas, tam horrido aſpectu, ac ſi diabolus oculis ipſius pro perſpicillo uteretur. Præterea ſecum ferebat binos cultros conciſorios, quibus vehementer ſubinde ſibi invicem alliſis, lethale vulnus, imo præſentaneum ſibi ipſi intentabat mortem, ni argento placaretur. Huic aderat Sacerdos Sinicus, album in manu tenens, in quo, præmiſſa elemoſyna, nomen inſcribere licitum. Legatis has nugas riſu explodentibus, Tartari tantam deſperatorum inſaniam ægris aſpicientes oculis multa iis, ut proſperum iter impetrarent, largiebantur, noſtris ſtoliditatem ridentibus, Dæmonis aſſeclis; nulla ſtipe data, longum valere juſſis. Sunt etiam, qui collo per ingentis ſaxi foramen tranſmiſſo ejus pondere totum corpus premunt, alii ſuper cranium ſuffumigia incendunt, quorum teterrimo odore circumſtantes fugant, vel loculos emungunt. Videntur cœcorum paſſim crebra examina & denſi cunei, qui, neſcio quid, inter ſe muginantes, pectus & tergum ſcuticis adeo immiſericorditer cædunt, ut grumi ſanguinis paſſim decidant. De aliis opificiis, velut porcellana conficiendi, vaſa & ciſtas lacca inducendi, textoria, & aliis, nunc nihil dicemus, quoniam id jam prima parte factum, & res nimis prolixi laboris foret. In univerſum obſervandum opificia Sinenſium admodum imperfecta eſſe, & ad fucum potius, ac deceptionem, quam ſinceritatem compoſita, quia vili diario contentis Mechanicis, à mercatoribus exiguo pretio extorquentur.

CAPUT QUARTUM.

De MORIBUS SINENSIUM.

Sinenſium humanitas.

SInenſes jam à priſco ævo civilitatem quinque primariis virtutibus accenſentes, nihil majori ſtudio, quam mutuas illas in ſalutando, & honore exhibendo cærimonias excolunt, totam vitam illi vanitati impendentes communem Honorem aliis exhibituri, non ut Europæi, caput aperiunt, aut pedibus ſolum radunt, aut amplexantur, vel manus oſculantur; ſed manus, quas ſemper largis manicis involutas geſtant, ſimul cum manicis elevant, & iterum modeſte demittunt, vocem *Cin* (quæ nihil ſignificat, ſed tantum in ſalutando adhibetur) bis ingeminantes.

Mos ſalutandi.

Viſitandi.

Dum ſe invicem viſitant, aut in plateis obviant, toto corpore (manibus intra manicas junctis) & capite ter ſe inclinant, quod *Zoye* vocatur.

Minor

Minor majorem, visitatus invisentem dextrâ honorat; sed in Borealibus Provinciis, læva dignior censetur. Sæpe mutua facta salute etiam dextram, lævamve alternant, ut dignissimo loco receptus hospitem eodem honore afficiat. In publico Septentrionem versus, intra ædes à janua versus oppositum cubiculi parietem, qui & ipse borealis, (nam januæ & limina ædium antiquo more austrum respiciunt) se convertunt. Quibus majorem reverentiam exhibere volunt, ac debent ob varias causas, coram iis in genua, capite in terram cernuo, procidunt, mox simul in pedes erecti, eandem actionem bis terve repetunt. Si solita hæc salutatio Dignioribus, vel Parentibus, vel Magistratui, aut Duci, vel Regi, deferatur, stantes, vel sedentes ad singulas salutantium genuflexiones. Complicatis manibus corpus leviter tantum inflectunt, & qui humanior in recipiendo tanto honore videri volunt, non Boream versus, sed ad Orientale latus consistunt. Servi dominos, aut plebs Magnates in genua prostrati, capite solum ter feriunt, & quotiescunque respondent, iterum in genua procumbunt. Eodem fere cultu Idola quoque sua domi & in delubris prosequuntur.

Dum se mutuo alloquuntur, aut scripto agunt, nunquam secunda persona, tu, vel vos, sed aliis formulis utuntur. De se ipsis loquentibus, nunquam prima personâ adhibere licitum, nisi Dominus servum, aut Magnates inferiorem alloquantur. Varias seipsos deprimendi & alios extollendi formulis utuntur, quarum modestissima censetur, dum seipsos nomine proprio, non vero pronomine, ego, demonstrant; & si forte de parentibus, fratre, filiis, corpore, artubus, domo, patria, literis, morbis sermo fiat, excellentiori, si de rebus sibi propriis, agatur, humiliori utuntur formula, quam curiosam allocutionum varietatem, nisi quis incivilior haberi vult, studiose observant. *Sinæ in alloquendo peculiari utuntur formulâ.*

Visitatus se obligatum existimat, ad parem invisenti honorem redhibendum, quod hoc modo fit. Visitans libellum in limine ostendit, cui nomen suum, & illius, quem invisit, cum convenientibus titulis inscriptum est. Eum libellum janitor suo hero exhibet; & pro numero visitantium libelli multiplicantur. Tales libelli ex duodecim fere albæ chartæ foliis constant, dimidiæ palmæ latitudine, prima pagina rubram chartam duorum digitorum latitudine affixam habet. Sacculis ex rubra charta includuntur, qui in ratione Dignitatum variant, unde Sinæ viginti ad minimum paratos servant. Janitor nomina hospitum, eorumque ædes in libro consignat, ut intra triduum & ipsi visitentur. Si quis visitandus, domo absit, aut impeditus, libellum, testem visitationis, ad ædes relinquit. Et quo visitans in majori dignatione est, eo augustioribus literis nomen suum libello inscribi curat. *Ritus visitandi unicos.*

Eodem modo & dona offerunt per libellos, in quibus illa curiose describuntur, & quæ salva civilitate, abnui possunt, id quod donatarius *Donandi*

haud quaquam moleste fert. Donatori per libellum similem gratiæ aguntur, aut dona civiliter remittuntur, aut quæ accepta sunt, & reciproca, annotantur. Etiam pecuniis se mutuo, quod apud Europæos inusitatem, remunerantur.

Veste extraordinariâ salutant.

Peculiares in visitando vestes gerunt, neque ordinario habitu se mutuo salutant. Quare semper honorariam vestem in publicum prodeuntibus servi præsto habent, quam aliis obvii induunt, idque etiam Iesuitæ imitantur. Quod si unus togam suam non habeat ad manus, tum alter quoque togam honorariam exuit, atque ita se mutuo vulgari vestitu salutant.

Ritus sedium collocandarum.

Varii inde ritus in considendo, & sellis collocandis. Qui Trigautio teste tales. Si plures fuerint, qui domi visitantur, inter eos primarius hospitis sedem, aut sedes singulas utraque manu accipit, & suo loco statuit in honarotissimo aulæ situ, inde propriis manibus eas excutit, tametsi nullus sit in eo puluisculus. Etsi sedes jam in suo sint ordine collocatæ, singulas tamen ambabus manibus contingere, & velut aptius collocare mos est. Id deinde singuli, qui visitantur, etiam præstant in eundem plane modum. Tum inter hospites si plures fuerint, honoratior ejus, quem visitat, sedem eodem modo accipit, & ex adverso sedis suæ illam locat; & eodem modo pulverem aut excutit, aut excutere se fingit. Idem deinde cæteri faciunt, si plures fuerint ætatis ordine vel dignitate. Quod dum fit, is, cui hoc officium exhibetur, ad latus adstat, manibus intra manicas receptis, & leviter elevatis, ac depressis, gratias agit, & exhibitum honorem modeste recusat.

Urbanitatis ritus circa Poëdriam.

Hospites inter se multum temporis terunt circa Poëdriam, seu principem honoris sedem; sed his tandem legibus statur, inter eos, qui sibi mutuo cives sunt, ætatis ratio habetur: in utraque aula dignitas potior est: externi maxime, qui è locis remotioribus adveniunt primum locum tenent; unde fit, ut in omni fere congressu nostris hoc titulo assignetur; nec tergiversari, aut modeste recusare quidquam contra receptam consuetudinem nobis prodest. Postquam cuncti consedere, mox domesticis famulis unus, isque politior, & talari indutus prodit, manibus elegantem gestans tabulam, in qua tot sunt scutellæ, quot hospites. In iis scutellis est illa potio *Scia*, de qua supra, cui semper aliquod mensarum secundarum, aut bellariorum frustulum immiscetur, cui sumendo argenteum cochlear exiguum adjungitur; famulus ab honaratiore initium sumens suam cuique scutellam porrigit ad herum usque, quem reliqui visitant, nam is semper in infimo loco sedet, si diutius consederint, famulus in eundem modum iterum ac tertio ac sæpius etiam redit. Sed illud bellariorum frustulum toties variatur, quoties reditur.

Ritus bellariorum porrigendorum.

Ritus abeuntium à congressu.

Hospites finito congresso antequam ex aula egrediantur, juxta limen, ut initio, ritu suo inclinationes repetunt, tum eos herus ad usque domus limen

limen insequitur, ubi iterum inclinantur, tum rogat hospites Herus, uti vel equum, vel gestatoriam Sellam, quâ venerant, conscendere velint. Quod ii facere recusant, & Herum domus rogant, uti se in domum recipiat. Tum ille ad limen versus iterum inclinatur, & hospites simili ritu honorem rependunt. Denique jam limen ingressus tertio inclinatur, hospitesque eodem ritu respondent. Tum Herus domus in limine se hospitum oculis subtrahens, moram iis concedit equitandi, aut in sella considendi, & repente egrediens abeuntes salutat. Hanc vocem *Cin* usurpans, & ambas intra vestem manus elevans, ac deprimens, quod hospites ipsi adamussim imitantur, & abire pergunt, denique Herus domus famulum mittit, qui abeuntium assequatur vestigia, & suo nomine salutet, idem ipsi hospites faciunt, & per famulos suos resalutant.

Imperator Sinensium supra omnes reliquos totius orbis Monarchas colitur. Nemo eum præter Eunuchos, filios & filias, alloquitur. Reliqui Magistratus nonnisi per libellos supplices cum eo agunt. Qui tot venerationis formulas continent, ut nonnisi ab exercitatis componi possunt. Initio novi anni (qui semper novilunio ante vel post nonam Februarii initium caput) singulæ Provinciæ Legatos Regi gratulatum mittunt, quod unoquoque triennio majori cum pompa fieri solet. Modus Imperatorem honorandi.

Prima die Novilunii Magistratus per singulas civitates Thronum Regium cum aureis Draconibus adorant, & Regi alta voce *decem mille annos* apprecantur. Natalem quoque ejus faustis gratulationibus & muneribus quotannis pompose *Pekingi* celebrant. Omnes qui officium, aut donum à Rege acceperunt, Throno ejus, Purpureis induti togis, & aureis in capite Tulbandis, honorem solemniter exhibent, utraque manu tabulam eburneam, quatuor digitos latam & duarum manuum longitudine, ori prætendunt, quoties coram Rege, aut ejus Throno loquuntur.

Olim Rex in Throno suo ex sublimi loco de fenestra, faciem eburnea tabula & aureis catenis, ac gemmatum copia tectus, ita se conspiciendum præbebat, ut tamen facies ejus ab astantibus videri non potuerit. Sed quomodo magnus Chamus Tartariæ hodiernus se Legatis Batavorum exhibuerit, supra diximus.

Imperatoris vestium color flavus, neque aliis, nisi Regio sanguine oriundis eo uti licitum. Vestes ejus & Palatium, vasa, suppellex, & quicquid Regium plenum Draconibus flavis conspicitur: ipsæ etiam tegulæ, quas aliqui falso aureas putarunt, cum figlinæ sint flavo colore & Draconibus picturatæ, ac clavis, quorum capita flava, tecto affixæ. Si quis flavo utatur colore, crimen Majestatis committit. Color Regis in vestitu flavus.

Rex parentibus Magistratuum, viduis aut extremæ senectæ viris, frequenter honorarios titulos largitur, neque major illis honos fieri potest. Tales titulos postibus januarum suarum spectaculo præfigunt. Idem Magistratus quoque amicis suis intimioribus præstant Magistrati- Titulum à Rege collatum magni faciunt.

 bus

bus eriguntur ſumptu publico triumphales arcus marmorei, & ſi quis civium eruditione primarium locum obtinuit, ſimili honore afficitur.

Pretioſiora ad Regem quotannis mittuntur.

Quicquid toto Imperio pretioſum quotannis *Pekingam* ad Regem mittitur. Majori pompa per Provincias Magiſtratus, quam in Regia, utuntur. Solis primariis licitum lectica quatuor tantum Bajulorum uti; cæteri equis vehuntur. Singulo quadriennio Senatores Imperii ſepulchra Regia muneribus colunt, ſed præcipuus honos *Humvuo* Tartarorum ultimo domitori & flagello exhibetur.

Reverentia erga Magiſtratus.

Proximus à Rege honor Magiſtratibus debetur, qui ob bene merita ad aliud munus evecti, memoriæ ergo ocreas ſuas civitatibus, unde migrant, rogati relinquunt, quas magnificis inſcriptionibus exornant. Dignioribus Columnæ marmoreæ, Templa & imagines excitantur, quas populus tantum non divinis honoribus, ob beneficia & merita, proſequitur; Odores adolent, cibos offerunt, & velut Numina adorant; hunc equidem cultum à Numinis latria fine diſtinguendo, cum hic in neceſſitatis ſubſidium, ille duntaxat in beneficiorum memoriam fiat.

Erga parentes.

Nullibi terrarum major parentibus honor a liberis exhibetur, idque præcipuum Philoſophiæ moralis apud Sinas documentum eſt. Et in ſermone, & in ſeſſione ad latus, non eodem gradu, aut è regione, quod etiam diſcipuli reſpectu præceptorum obſervant, & in ſuſtentatione eorum ac ſepultura, ſummam devotionem erga parentes ſudoribus oſtendunt. Natalem a decimo ad ſeptuageſimum & amplius annum religioſè & ſolemniter colunt. Etiam illa dies, qua virilem pileum, quod vigeſimo ætatis anno fit, aſſumpſerunt, ſacra habetur.

Sed præcipua novi anni, per totam Sinam prima novi & prima Plenilunii die feſtivitas. Tunc candelas ex papyro, vitro & panno omnibus paſſim conclavibus accendunt, ut cuncta flagrare videantur. Diſcurrunt etiam noctu per plateas, velut ceriti, cum candelis Draconum forma intortis, & paſſim ex pulvere pyrio feſtivi ignes accenduntur.

Convivandi ritus.

Convivia frequentiſſima agitant, quæ Græcorum more *Sympoſia* vocant, quod majorem partem potando tranſigantur. Quanquam enim pocula Sinenſium vix nucis capacitate ſint, ingentem tamen potus copiam abſumunt, quia continuo fere & abſque intermiſſione pitiſſant.

Non cultris, aut cochlearibus, ſed bacillis ex ebore, aut ſantalis, quorum extremitates argento & auro obductæ, inter edendum utuntur, quibus cibum digitis intactum ori admovent. Potu etiam ferventiſſima æſtate calidiſſimo utuntur, idque ſalubre cenſent; unde octogeſimo ætatis anno vegeti adhuc, & a calculis renum, aut veſicæ tota vita liberi meo judicio degunt.

Invitandi.

Hoſpites triplici libello ad convivium magna civilitate invitantur. Primus pridie, vel etiam pluribus diebus ante convivii diem mittitur, qui

qui, præter invitantis nomen, solennem vocandi formulam continet, cui in externa facie additamentum ad libelli longitudinem è rubea charta, in qua honoratius nomen, cum variis invitati pro dignitate titulis, est affixum. Ipso convivii die horis matutinis alter mittitur libellus, quo hospitum tempestiva rogatur præsentia; instanti denique convivii hora tertium mittunt; ut hospiti, eundem in itinere excipienti, de ferculis paratis constet. Ubi advenerunt; expletis salutationum ritubus, *Cia* in procænio bibitur; inde in ipsum conclave, ubi convivium paratum, picturis, floribus & vasis splendide exornatum, deducuntur, & singuli separatis mensis, cubitas aliquot longis latisque, collocantur; ipsis sedibus pellucido illo bitumine *Cie* non splendentibus solum, sed variis etiam picturis & auro condecoratis. Ante accubationem epularem Paterfamilias cyathum vino plenum ambabus manibus arripiens, peractâ ad hospitem, qui principem convivii locum tenet, solenni salutatione, eum in vestibulo facie versus austrum *Domino Cœli* consecrat, & in solum effundit. Salutatione repetita in aulam reversus, aliamque pateram accipiens, inclinatione præmissa eundem convivii Principem salutat, eo in loco, in quo salutatorii ritus exhiberi solent. Tum unitis passibus primariam convivii mensam, in aulæ medio sitam, adeunt; in cujus medio convivator, paterâ in suo disco utraque manu veneranter locatâ, convivales bacillos à famulo accipit, his ad cyathi latus depositis, sedem, quam manicis leviter everrit, in mediâ locat mensa, unde in medium conclave regressi denuo solennes inclinationes peragunt: iisdem cæremoniis hospes singulas convivas ordine excipit. Expletis his ritibus omnes consident; famulis domesticis epulorum principi hospitis pateram cum suo disco offerentibus, quâ vino repleta omnes convivæ pariter cum hospite solenni inclinantur ritu. Et illotis manibus, quia cibos digitis non tangunt, ad mensam suo quisque loco assidet. Propter edulia digitis attingendi desuetudinem, Sinæ manus neque initio neque in fine convivii lavant Quotiescumque bibendum, is, qui hospites invitavit scyphum utraque manu orbi impositum elevat, & cæteros ad bibendum hortatur. Ita simul sorbillando bibunt & lente pocula sua evacuant. Ubi primus cantharus exhaustus, cibi inferuntur, & bacillis ori ab omnibus simul admoventur, quos nemo ante deponit, quam ille, qui primum locum obtinet, id fecerit. Illis repositis statim famuli calidum vinum singulorum scyphis infundunt. Sermones, non nisi hilares, & sponte adsunt Comœdi & Musici, qui hospites exhilarant. Cibos omnis generis opipare præparatos habent, & parvis scutellis mensæ imponunt tanta copia, ut strues & castella repræsentent. Pisces cum carnibus mixtim coquunt. Nihil de mensa durante convivio aufertur. Pane aut oryza non utuntur, nisi forte in parvis conviviis, & si oryza apponatur, vinum non prælibant, sed post degustatam demum oryzam bibunt.

Certant

Certant quoque inter convivandum vario lusu, victus bibere tenetur, quod magno cæterorum applausu & acclamatione fit: Nemo ultra placitum bibere adigitur, sed blande invitatur. Vinum eorum instar cerevisiæ nostratis coquitur, neque insalubris potus est, ac etiam copiosius haustus parum cerebro nocet. Cibo parcissime utuntur, & sæpe una die septem, vel octo parvis conviviis intersunt. At vero magna & solennia tota nocte ad auroram usque producuntur. Reliquiæ ciborum inter famulos distribuuntur.

Ordinarie admodum mane prandent, neque meridiem exspectant. Cibus vulgaris equina & bubula. Suillam imprimis æstimant præ omnibus aliis carnibus. Plebs ne a morticinis quidem equorum, asinorum, canum, abstinet.

Bellaria ex sacchraro inter delicias habent. Mandarini Comicos & fœminas Saltatrices, Musicosque inter convivandum delectamenti ergo adhibent.

Potus communis calidus, in quo *The* ebulliit, est. Omnia enim, sive aquam sive vinum, calida sorbillant. Ex oryza vinum coquunt. Sed reliqua potuum genera *Cha* superat. Pugillum herbæ *Cha* aquæ incoquunt, additis quatuor lactis dulcis partibus cum grano salis. Hujus liquoris calide poti majorem, quam lapidis Philosophorum, virtutem esse credunt.

Nomina Sinensium.

Cognomina antiqua habent, quæ nunquam mutantur. Prænomen varium assumunt, quod unico charactere & voce exprimitur. Pater prænomen filiis imponit: nam fœminæ apud Sinas nominibus carent, sed solo patris cognomine, & ordine nascendi distinguuntur. Soli parentes, & majores eo prænomine liberos suos masculos appellant; alii vero eos numero, ut nati sunt, distinguunt. Ipsi se in suis scriptis eo nomine, quod a parente suo acceperunt, nominant: aliis hoc illicitum, & si fiat; incivile ac opprobrium habetur.

Cum primum Scholam frequentant, Magister peculiare nomen Scholasticum, quo a condiscipulis, & præceptore appellantur, ipsis imponit. Sed ubi pileum virilem sumpsit, aut uxorem duxit, a quodam Magnatum honoratiori nomine, quod literam vocant, decoratur, quo quisque eum imposterum compellare potest, exceptis famulis, & qui ei subjecti sunt. Ubi ad virilem ætatem pervenit, a quodam primariæ authoritatis viro nomen insigne, quod *magnum nomen* vocant, accipit, quo quisque sine discrimine eum compellare præsentem absentemve potest: sed parentes haud tali se dignantes honore priori nomine, quem *literam* vocari diximus, utuntur.

Si quis novam Religionis sectam suscipiat, a Doctore ejus novum quoque nomen accipit, quod *religiosum* vocant. Et ubi visitant alios, a visitato, *quodnam nomen eorum præstantissimum*, interrogantur. Unde &

Patri-

Patribus Societatis ſublimius nomen, quam quod in baptiſmo accepe-
runt, à Sinenſibus tribuitur.

Magni Sinæ antiquitatis æſtimatores ſunt, quanquam in Sina nullæ antiquæ ſtatuæ reperiantur. Tripodes æneos propter æruginem, antiquitatis documentum, magni faciunt, nec non vaſa ex creta & marmore. Sed præcipue picturas ac ſcripturas præſtantium artificum æſtimant. Magiſtratuum ſinguli peculiare ſigillum officii ſui habent & ſoli rubrica ſubſignant. Hoc ſigillum ſingulari cura cuſtodiunt, quod eo amiſſo non tantum Magiſtratu excidant, ſed & graviter plectantur. Ita *Humvus* ſancivit. Ideo ſemper in ciſta clauſa & obſignata ſolum id deferunt, ac noctu pulvinari dormientes ſupponunt.

Viri honorati nunquam pedes incedunt, ſed lecticâ humeris bajulorum ſublimes geſtantur, lectica hæc circumcirca clauſa eos a prætereuntium conſpectu arcet, niſi retro eam aperiant, ac in eo à Magiſtratibus differunt; nam hi lecticas undique patentes habent.

Fœminæ etiam lecticis geſtantur, ſed alia à virilibus formâ. Quadrigæ, trahæ, currus, legibus prohibentur, excepta urbe *Peking*, ut ſupra monuimus. Præceptores tota vita colunt, & lateri eorum obſervantiæ ergo aſſident.

Teſſeris & chartis fex tantum populi ludit, Honoratiores Scaccia, in quo ab Europæis aliquantulum diſcrepant. Sed Magnatum ludus eſt, quo tabulam excavatam, cui trecentæ ædiculæ ad latera ſunt, cum ducentis orbiculis albis partim & nigris, adhibent. Qui plures ædiculas occupat, victor eſt. Ipſi Magiſtratus integros dies huic luſui impendunt, & qui in eo excellit, famam inde, ac æſtimationem apud reliquos conſequitur.

Nuptiæ.

Sponſalia inter puetitiam contrahunt. Præcipue æqualitas inter ſponſum & ſponſam ætatis ſpectatur. Parentes abſque conſenſu ſponſi aut ſponſæ pacta nuptialia ineunt.

Connubia Tartarorum & Sinenſium.

Tartari Regum, ut apud Europæos, connubia, generis & familiæ dignitate æſtimant, Reginas ex Regia ſtirpe petunt: inferiores, velut impares, dedignantur. Contrario Sinenſium more, qui ex plebeia Virginum corona, pulcherrimam ſeligunt, nulla originis ratione habita: formam ſtirpis nobilitati anteferentes. Pater Auguſtæ Sinenſis ultimæ adeo vilis, ut ſe domumque ſuam, calceos ſtramineos conficiens, ſuſtentarit. Concubinas formâ probant, non genere, & ferè pecunia emunt. Vulgus uxores ſibi emit, & quandocunque vult, iterum vendunt. Rex unam legitimam conjugem habet: præterea novem alias inferioris conditionis ducit: inde adhuc triginta, quæ omnes uxores appellantur. Tum ingens concubinarum numerus, ſed quæ Reginarum, aut uxorum titulo non cenſentur. Quæ liberos pariunt, præcipue primogenitum Imperii hæredem, præ cæteris æſtimantur. Idem quoque Magnates obſervant.



Sola legitima uxor menſæ cum marito aſſidet. Reliquæ tanquam ancillæ ſtantes inſerviunt. Unde ex concubinarum pluralitate tanta, exſurgit prolium copia, ut parens alendo non ſit, unde timidiores, qui feroces belli impetus non ferunt, inauditas excogitant nugas, ut ſtipem à tranſeuntibus extorqueant. Sunt, qui nudo vertici ignes imponunt, donec cute ad fœdum nidorem aduſtâ eleëmoſynam a ſpectantibus excutiant, aut diſceſſum. Alii, ut in eodem icone, pondere ingentis ſaxi fauces ſibi præcludere fingunt caput per auguſtius foramen intrudendo, tanto apparatu, ac ſi res ſeria ageretur. Alii ponderoſo ſaxo, cranio impoſito, ad modum quorundam verborum pectus feriunt, & deteſtandam harmoniam efficiunt. Nec ante hac inſania abſtinent, quam aliquem tranſeuntium ejuſmodi fucatâ tormentorum ſpecie eluſerint.

Liberi Concubinarum mortuam primariam uxorem per triennium lugent, & dum funus ejus procurant, ab omni officio abſtinent, quod haudquaquam mortua matre propria faciunt. Nemo uxorem cognominem ſibi ducit: & ſi diverſi cognominis ſit, non æſtimant, quam propinqua ſanguine ſit. Sponſa dotem marito nullam affert; cuncta Sponſi pecuniae muntur, quæ ad familiam neceſſaria ſunt. Sponſo equum cum ephippio & freno quatuor ancillas & duos famulos adducit; Sponſus patri Sponſæ centum, matri quinquaginta *Teilas* argenti, Sponſæ ſericeam & lineam totam cum corolla florida, & aurea acu crinali, ipſa ſignum amoris illibati, pretioſam veſtem ex aurea tela donat. Tum nuptiæ octiduo in ſponſi, triduo in ſponſæ domo ſumptuoſe inter Comœdias

mœdias & choreas festa hilaritate & magnifica pompa celebrantur. Postera die Sponsa domum Sponsi à cognatis deducitur, præeuntibus Musicis & festa populi acclamatione. Vidua si denuo nubat, a liberis unica veste domo pellitur, nam vitricos nullos perferre, aut iis obedire volunt. Unde raro ad secundas nuptias Viduæ transeunt.

CAPUT QUINTUM.

De Exequiis & Sepulturis Sinensium.

Nuspiam exactior, quam apud Sinenses, sepulturæ ratio habetur, & eam diu ante, dum valent, constituunt. Imprimis vero loculus, cadaveri etiam bimo recipiendo, ex pretiosissimis lignis conficitur. Exequiarum ritus.

Moribundus storeæ imponitur extra aulam; quanquam Magnates in lectis animam exhalent. Inter extrema major natu filius pileo capiti repente detracto, passis capillis de lecto siparia & velabra diripit, & iis mortuum tegit. Cadaver virile a viris, fœmineum a mulieribus lavatur: lotum sindoni, aut serico involvitur. Aliqua novis induta vestibus, postquam Aromatibus sunt differta (quod inter Magnates usui) mensæ opiparis cibis instructæ apponunt, primariis amicorum mortuum ad dapes & hilaritatem invitantibus, dum Sacerdotes cantillando, & aliis cæremoniis occupantur. Albus color luctum denotat. Filii primis mensibus ciliciis, & cannabinis vestiuntur. Forma lugubris hactenus Syrmate, piceo, calceis, tristitiam refert. Lumbos fune Franciscanorum ritu cingunt. Toto triennio parentes à liberis, ut parilem educationis infantilis curam compensent: Cæteri brevius, anno, tribus mensibus, lugentur.

Reges olim triennio quoque per totum Imperium lugebantur: hodie spatium id ad unum mensem Regio edicto contrahitur. Liber singularis extat, in quo omnes funerum, & lugendi ritus exacte discribuntur, & ad vivum depinguntur: inde quisque, quod conveniens suo statui, promit. Mors defuncti libello proximis agnatis intra triduum, aut quatriduum significatur. Interea loculus funestus confit recipiendo cadaveri. Cubiculum albis linteis, aut storeis vestitur in modum altaris, super quo funus, & imago defuncti.

Ibi intra triduum vel quatriduum cognati, & amici lugubri habitu conveniunt, singulis diei horis successive & odores, ac duas cereas incendunt.

dunt. Tum thuris momentum thuribulo injicientes quater ſe coram defuncto incurvant, & in genua procidunt. Unus vel duo filii candido amictu adſtantes flebiliter lamentantur. Retro feretrum fœminæ, uxores & concubinæ lugubri habitu conopeo tectæ, alta voce ejulantur. In atrio, & ad utrumque latus duo tubicines & tympanotribæ. Extra portam longa papyrus de ligno dependet, quod ſignum luctus & viſitationis eſt. Sunt & aliæ ſchedæ affixæ januæ, nomen defuncti, & facta ejus repræſentantes. Sacrificuli chartas peculiares, & ſericea alba comburunt, unde mortuo veſtimenta confici credunt, & ſignum beneficentiæ, ac honoris id erga defunctum arbitrantur.

Sæpe triennio aut quadriennio funera parentum à liberis domi cuſtodiuntur, loculis tenaciſſimo bitumine adeo arcte clauſis, ut nulla exhalatio penetrare poſſit. Toto hoc tempore quotidie cibus, & potus mortuo, quaſi adhuc viveret, offertur. Filii non ſellis, ſed ſcabellis candida veſte ſtratis inſidentes, neque in lectis, ſed ſtoreis ſtramineis pavimento juxta feretrum injectis, dormiunt. Vino, carnibus, balneis, acubitu, conviviis, & publico abſtinent: quod ſi exeundum, lectica lugubri geſtantur. Neque tamen adeo ſtricte omnia, maxime circa finem obſervant.

Ea die, qua funus ſepelitur, cuncti per libellos invitati, candido habitu ſe ſiſtunt. Exequiæ fere ad Romanenſem proceſſionum morem. Imagines virorum, fœminarum, Elephantum, Tigridum, Leonum ex charta compoſitæ, & inauratæ præferuntur, & poſtea comburuntur. Sacrificuli funus ſequuntur, tympana pulſantes, tubas inflantes, & alia geſticulamenta exercentes. Eos præcedunt, qui turibula humeris ſuis ex ære geſtant. Inde feretrum ſub holoſerico cœlo, à quadraginta aut quinquaginta delectis geſtatur. Poſt illud filii pedes, bacillos manu tenentes, ſequuntur: inde fœminæ lecticis clauſæ, & inconſpectæ geſtantur. Abſentibus filiis exequiæ in eorum reditum differuntur. Abſens audito patris obitu, convivium emortuale inſtituit, & amicorum alloquia ſuſcipit: inde prima occaſione domum redit. Ac legibus tenentur filii, etiamſi ſumma Colaorum dignitate fungantur, domum redire, & per triennium munere publico, dum luctus durat, abſtinere, ſed id in funere aliorum non tenetur facere; ſoli parentes hoc privilegium habent. Excipiuntur etiam milites a luctu parentum. Extra patriam defuncti, domum deportantur: ut majorum monumentis funus eorum inferatur.

Magnificentia ſepulchrorum.

Monumenta ſibi ditiores extra urbes magnifica ſtruunt ex ſecto marmore, ac ſaxo, variis inſtructa cubiculis, intus cupreſſis in quincuncem conſita. Cacumini ſepulchri ſaxa artificioſe cæſa imponunt & in fronte imaginibus, & ſtatuis animalium, cervorum, Elephantum, ac inſcriptionibus in laudem defuncti, exornant. Eunuchi magnificentiſſima Palatia ſepulchris & triumphales arcus in pompam adſtruunt. In Provinciæ



vinciæ *Xanſe* montibus apud *TaiyVen* monumenta illuſtria conſpiciuntur. Apud urbem *Taming* vetus ſepulchrum Imperatoris *KaVi* ante quater mille annos ſtructum. Etiam apud metropolim *Cinon* in montibus ſplendida Regum, & Magnatum monumenta videntur. Ipſi vidimus montem humano labore editum, in quo ſepulchrum, cujus forma hic depicta eſt. Media porta (tres fere ſunt) ingreſſum dabat; inde per ſcalas ad ſepulchrum aſcenſus, quod ſpeciem ſacelli referebat, intus dealbati ſcamnis ad latus utrumque nitidis. Feretrum artificioſe inauratum juxta defuncti imago veſtita vivum repræſentabat. Certo anni tempore hæc ſepulchra à Sinis cibo potuque viſitantur, ubi lacrimis; & lamentis indulgent, tanta ſæpe pertinacia, ut à mortuis avelli nequeant.

Extra urbem *Nanking* haud procul vallo lucus pinifer muris cinctus, circuitu duodecim millium paſſuum, & in eo mons ſepulchris variis inſtructus. Sed magnificum imprimis templum eminet, colli impoſitum, muris ex latere cocto, cætera ligneum. Quatuor juxta mundi plagas, marmoreæ ſcalæ in hanc molem conſcenditur: quinque ambulacra columnis ligneis ad utrumque latus tanta craſſitie, ut vix duobus viri expanſis brachiis eas ambire queant, triginta ſex pedum altitudine, minoribus paſſim columellis interpoſitis, quibus tectum inauratum incumbit. Fores imaginibus & auro obductæ. Feneſtræ filis ferreis ſubtilibus implexæ arcendis avibus; ita tamen, ut lumen tranſmittant, quantum ſatis eſt. In medio templi duo throni gemmis exornati: ſupra illos duæ Sellæ, uni Rex, cui ſoli ſacra in hoc templo facere licet, inſidet, altera, pro

Extra urbem *Nanking* varia ſepulchra.

pro Deo, vacua relinquitur. Sub puro Jove extra templum multa ex rubro marmore altaria Soli, Lunæ, montibus & fluviis sacra, argumento, non esse adoranda & ab eô constituta, quem ipse Imperator in templo adoret. Circumcirca variæ cellæ, & cubilia, quæ olim balnea fuerunt, in quibus Imperator, & Comites ejus, antequam sacra facerent, abluebantur. Viæ ad hoc templum latæ, utrimque quintuplici pinorum serie consitæ, neque eas lædere, aut diripere ramos, capitis pœna olim licuit. Cunctæ fere hujus montis arbores manu consitæ. De sepulchris nobis *Pekingæ*, plura dicenda restarent: sed hæc & alia fere omnia a Tartaris, succisis arboribus, diruta, & Templa ac Palatia solo æquata sunt. Et hic Magnatum sepeliendi extra urbes mos: vulgus intra urbes longe minori apparatu sepeliuntur.

CAPUT SEXTUM.

De Habitu Corporum & Vestitu Sinensium.

Corporum forma.

SInenses colore fere, ut Europæi, nisi quod australes ob Solis viciniam facie ambusta. Barba rara, brevis, rigida, recta & tarde erumpens, juvenes triginta annorum vix viginti annos nobis habere videntur. Pili nigri; rufos pro dehonestamento habent. Oculi exigui, oblonge rotundi, nigri & late prominentes. Nasus exiguus ac depressus; aures mediocres: cætera ad Europæum modum, sed in nonnullis Provinciis facie lata, & fere quadrata sunt. In *Quantung* & *Quangsi* plerique in minimo pedis digito duos ungues habent, id quod etiam *Kochinchinis* frequens, propterea quod olim in singulis pedibus sex digitos haberent.

Exiguitas pedum.

Fœminæ omnes pusillæ; præcipuum decus in pedum exiguitate; cui fini à teneris pedes arctissimis fasciis constringunt, easque tota reliqua vita non laxant, ut ita excrescentia plantarum vi compressa prohibeatur.

Unde præter ingentem dolorem multis pedes plane corrumpuntur, quibus nihilominus artificiose saltare, & nudis lacertis miras gesticulationes edere norunt. Olim reginam cætera formosam, sed ægram pedibus fuisse volunt, quam dum claudicantem gynecæum æmulatur, mos invaluit, ut claudæ mulieres apud Sinas formosissimæ censeantur. Sed potius virorum astu, ut domi fœminæ contineantur, hoc repertum videtur.

In



In universum fœminæ Sinenses formæ elegantia, & actionum omnium alacritate cæteras totius orbis Ethnicas superant, facie & cute candida, oculis subfuscis, raro fucatæ, aut auro ornatæ. Ungues lævæ nunquam curtant, & *Pekingæ*, Dominam vidi, quæ ungues suos arundini cavæ inserebat, ne frangerentur. Divitibus cibus & potus, & stato tempore ad mensuram, & pondus exhibetur: unde illa forma juncea, & pulchritudo corporis. Olim viri pariter ac fœminæ capillitio promisso & intonso, solis pueris ad decimum quintum usque annum capilli detonsi, relicto in vertice cirro. Post illa excrescere sinebant usque ad vigesimum annum (quo pileum virilem capiunt) & solutis sparsisque humeros flagellabant. Sacerdotes plerique singulo octiduo novacula variam & capillos abradebant. Pulchritudo Fœminarum.

Post vigesimum annum, capillos nodo constrictos reticulis ex setis vel serico tegebant, superius perforatis & prolixioribus capillis eleganter implexis inde prorumpentibus. Fœminæ auro, argento, gemmis floribus artificiose implexum & fastigiatum capillitium gerebant passim. Sed ex quo Tartari rerum potiti, omnes abradunt capillos solo cirro in occipite relicto. Multa Sinarum millia mortem perpeti, quam radere malebant, capillis se in cœlum trahendos vana superstitione credentes.

Olim quis habitus Sinarum fuerit, *Gonzales de Mendoza* his verbis describit. *Bisseno variis imbuto coloribus, quos præstantissimos habent, Nobiles, Principalioresque vestiuntur: Plebæi vero serico viliori, aut gossipio, aut lino,*



lino, quorum omnium copia abundant. His se in regione temperata tolerant, ignari gravioris, aut crassioris vestitus, nullos tamen ex iis pannos conficiunt. Tunicas gestant veteribus nostris non absimiles, largis fimbriis, frequentibus plicis, easque aliquoties obvolutas ad latus sinistrum affibulant. Manicas amant amplas, & turgidas. Dictis tunicis alias superinduunt promissiores, suæ quilibet conditioni congruentes, non nisi largioribus Manicis à nostris distinctas. Est & vestitus differentia inter ipsos Nobiles: qui ex sanguine sunt Regio, aut in Dignitate constituti, tunicas auro & argento cingulo tenus acu pingunt; minores non nisi oras ornant. Caligis utuntur, quas fibulis non indecore connectunt: ocreas calceosque ex holoserico curiose conficiunt. Hieme, tametsi frigus sit temperatum, tunicas pellibus, quibus illos abundare diximus, fulciunt, quarum ad collum perpetuus apud illos est usus.

A conjugatis cœlibes discernuntur, quod hi capillitium in fronte discriminent, pileosque portent altiores. Mulieres ornatui student impensissime, vestitus forma Hispanicæ non multum est absimilis, auro gemmisque se onerant, ut nullibi melius mundus muliebris appellari possit: amplius, non minus quam viri manicis delectantur: vestium materia est pannus aureus, argenteus vel sericus præstantissimus, holosericum etiam pauperes assumunt, quanquam vilioribus quoque contentæ: capillos habent pulcherrimos, iis comendis, nimis quam decet, intentæ, quos vitta serica ampla ac gemmis ubertum respersa capiti circumligant: cerussæ usus communis est, alicubi cum excessu ab illis usurpatus: decorum reputantes exiles habere pedes, quos ab infantia fasciis arcte constringunt, puellis dolorem pulchritudinis desiderio patienter ferentibus. Virorum artificium id

arbi-



arbitrantur nonnulli, quo dulci pulchritudinis obtentu fœminas docuerunt virtutes, quæ fœminas decent, raro surgere ab opere, rarius egredi domo. *Res talibus, ut creditur, exordiis, nata lapsu annorum abiit in consuetudinem, quæ velut legem stabilivit, ut si quæ honoratior mater filiarum pedes non compressisset, nunc non notaretur modo, sed castigaretur.*

Ideo sufficiet nobis præsentem rei vestiariæ rationem expedire Viris pariter ac Fœminis vestes talares, cœruleo fere colore & Draconibus intextæ. Viri, dum ambulant, togas in pectore infra axillas: fœminæ cingulo infra manillas constringunt. Laxæ manicæ & prolixæ fœminis, ubi manus exerunt; viris arctiores, & per quas manus ægre transeunt: Magnatum togæ ex cœruleo serico Draconibus consperso: vulgus bombyce vestitur. Moderna vestium ratio.

Calcei divitum ex serico & panno margaritis, rubinis & opere phrygionio a fœminis elaborati: Corio flavo soli pauperes calceantur. Calcei. Philosophorum pilei forma quadrata: indocti rotundos ex setis gerunt; hyeme ex lana vel serico pilei, limbo ex pellibus Zabellinis. Indusiis Pilei. non vestiuntur, sed ex albo gossypio tunicis ad talos fascia coloris cutanei constrictis. Corpus crebro lavant, & in pectendo capillitio singulis diebus mane dimidiam horam insumunt. In publicum prodeuntes umbraculo contra Solem aut pluvias utuntur.

Rustici, & ipsi attonsi, cirro retro dependente, aratrum asino, Rustici. & uxore uno jugo sequente trahentes, alio stivam dirigente. Agriculturæ præcipua apud eos dignitas & experientia, vix sterilem glebam in



tam vasta regione tolerant. Corrigere naturam soli fimo & limo, aridam & æstu nimio adustam irrigare canalibus passim effossis (quorum beneficio per Universam Sinam ab Ortu in Occasum, & Austro & Septentrionem, magno mercatorum commodo navigiis patet aditus) aquas ex depressis locis in sublimia facili labore transferre ipsis expeditum.

Rusticæ caligas circa talos constringunt: aliæ ex vulgo Colo fila in publico ducunt, atque hinc victum sibi parant. Digniores serica conficiunt, cujus artis promotio ab Imperatrice ad reliquas translata fuit. Nam cum superiorum bellorum tempestas rem agrariam, in qua Sinis magnum ad Rempublicam momentum, non parum aflixerat: ad ejus artis resarcienda damna è Præfectorum consilio Imperator animum applicuit. Rationem plantandi moros & bombyces educendi ab Imperatrice cæteras mulieres ejus exemplo doceri voluit; arbores & bombyces in Palatro alendi peculiari cura ei mandata, cujus manu factas vestes sericas ad acra tantum adhibuit. Reginæ intuitu mox mulierum cæteris hoc aggressis artificium. Ipse Imperator, ut alter *Sejanus* agriculturæ dabat operam. Unde rei agrariæ tantæ apud Sinos æstimationis. Hinc Rusticalia, festum Sinis diem, quem *Hinchun* vocant, quo Sol medium Aquarii ingreditur, originem sumpsisse credibile. Licet etiamnum hæc ars à vilioribus exerceatur.

Agriculturæ dignitas.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De Superstitionibus & Erroribus Sinensium.

CApur omnis superstitionis *Sinensium* est dierum, quæ prosperæ, quæ adversæ, curiosa discretio. Astronomorum id Regiorum lucrosum inventum, qui Calendaria ejusmodi ineptiis referta, innumerabili multitudine impressa, toto quotannis Imperio dispergunt, ubi singulis diebus hoc, illud, & quomodo agendum, omittendumve præscribitur. Neque quicquam inconsultis illis prædictionibus inchoant, non iter, non structuras, & utcunque tempestates sæviant, ubi hora, quam prosperam arioli designant, venit, proficiscuntur, saltem quatuor pedem spatio, aut foveam exiguam fodiunt: ita se justo, & stato tempore opus suum inchoasse, & omnia prospere cessura, arbitrantes.

Ex hora nativitatis fortunam totius vitæ prædicere, & augurari ipsis solenne: unde ingens *Genethliacorum* multitudo. Alii ex verbis quibusdam inter loquendum, positura corporis, sessione, aliisque circumstantiis futura præsagiunt. Ingens hinc fraus, facili ad deceptorum versutias simplicitate. Explorant impostores, nomina, & conditionem singularum etiam longe remotarum familiarum, & quasi ex astris, aut arte, quid illis diu ante contigerit, enarrant: hinc futurorum quoque notitiam illis credula simplicitas adscribit. Fides prædictioni tributa phantasiam adeo occupat, ut ex sola imaginatione in morbos, quos vates prædixit, aut alia mala labantur sæpe cum vitæ periculo. Id peculiare Sinensibus, quod loca struendis ædibus, aut sepulchris fausta, vel infausta; imo totis familiis, Provinciis, ac Imperio fatalia esse putant pro Draconum subterraneorum positura capitis, caudæ, pedum. Hinc quoties publicas structuras moliuntur, studiosissime fatum loci per talium peritos longe conquisitos explorari curant. Ut enim Astrologi ex situ stellarum: ita hi ex positura montium, fluxu fluviorum, Regionum situ fata dispensant. Januam hoc vel illo latere collocare, aquas dextrorsum aut sinistrorsum ducere, fenestras extus vel intus aperire, tectum sublimius altero locare, id vero fatale & peremptorium putant.

Vana superstitio in electione locorum, ubi ædes, vel sepulchra struunt.

Omnes plateæ, compita, angiportus, fora talium impostorum copia abundant, nec viri modo, verum etiam mulierculæ futura prædicunt, facili per vanissimam artem non ad victum modo, verum etiam opes compendio, ipsis Regibus, & Magistratu huic vanitati mirum in modum addictis. Huic nihil tam fortuitum, quod non in omen rapiant, avium occu-

occentus, & volatus, umbras solis super ædium tecta, & quicquid obvium, fatale censetur, & ejusmodi nugis publicos casus imputant.

Impietas Sinensium erga liberos.

Pauperes seipsos divitibus vendunt, ut ancillæ contubernio fruantur, quorum liberi in æternam servitutem nascuntur. Alii uxorem emunt, ex qua natos liberos, porcellorum instar, vili pretio vendunt. Ita liberi à parentibus in perpetuam servitutem (nam emptori licitum iis, prout vult, abuti) abstrahuntur. Hinc tanta toto Imperio mancipiorum multitudo, quæ omnia domi nata, non bellò capta, & exotica sunt. Hispani quoque & Lusitani ingentem eorum numerum extra Sinam abducunt. Ipsi vero Sinæ hanc suorum liberorum venditionem triplici excusatione extenuant; quod tanta copia difficulter ali possit; quod ipsa servitus tolerabilis sit, & apud Sinas, quam apud alios, mollior: & quod quisque eodem, quo venditus pretio, libertatem redimere possit.

Alios submergunt.

Sed aliud atrocius malum, quod in nonnullis regionibus liberos magno numero aquis submergunt, metu educationis, & ne eos aliis vendere, necesse habeant. Accedit error *transmigrationis* animarum, quas ex uno in aliud corpus migrare credunt: unde pietatem arbitrantur suos liberos ex misero statu in feliciorem mature transferri. Unde hæc infanticidia non amplius clam, sed palam cunctis spectantibus peraguntur.

Frequens autophonia.

Multi seipsos quoque necant desperatione, miseria & odio inimicorum suorum. Millena quotannis laqueo fluminibus, veneno se suffocant, ante ipsas adversariorum suorum fores; ea suavissima ultio videtur. Nam graviter in illos animadvertitur, qui à propinquis occisi accusantur, & quod causa necis fuerint. Sed multi Magistratuum dolo deprehenso à cognitione talium causarum abstinent: unde rarior is furor nulla amplius vindictæ hostilis spe.

Castrant masculos.

Est & aliud immanitatis in Borealibus Provinciis genus, quod puellos castrant in usum aulæ Regiæ: nam soli Eunuchi Regi familiares, neque ex alio hominum genere Imperii Senatus, non aliis alloqui Regem licet & totius Imperii gubernatio penes castratos est, quorum amplius decem millia Pekingæ in aula, illiterati omnes, ex fæce plebis & servili conditione numerantur.

Error pœnarum.

Et quemadmodum publica flagitia satis remisse puniunt, ita contra leges atrociter nullo juris processu etiam in innocentes sæviunt Magistratus sola libidine. Prostrati cruribus nudis arundine ad mortem cæduntur, neque quisquam suarum opum Dominus est; omnes in perpetuo metu amittendi, quæ possideat, versantur.

Duo vesaniæ genera.

Duo imprimis vesaniæ genera, non Europæos minus, quam Sinenses occuparunt, ars conficiendi argentum, & immortalitatis poculum. Fundamenta tam inanis scientiæ a priscis Sapientum, quibus talia comperta, & posteris occulta traditione communicata, repetuntur. Eosdem postquam multa mira patrassent, corpore pariter & anima, vitæ præsentis

per

per tæſos, in cœlum aſcendiſſe credunt. Infiniti extant libri ea de re arte vel impoſtura, partim manu ſcripti, partim impreſſi: ſed major ſcriptorum authoritas.

Incredibile dictu, quanta pertinacia in Alchymiam ſemel amatam incumbant, donec opibus profuſis, ne ipſa quidem inopia eos abſterrere poteſt. Sunt impoſtores, qui metalla adulterare norunt in formam argenti. Alii dies, noctesque fornaculis aſſidentes carbones & vaſa lurida tractant. Decepti multoties ſemper novos errores, a quibus iterum decipiantur, reperiunt: neque adhortationes amicorum ad aliud vitæ genus apud eos proficiunt.

Divitum alius furor, qui longiſſimam vitam & immortalitatem affectant, præſertim *Pekingæ* Eunuchi; & ipſi Reges, neque deſunt Magiſtri immortalitatis, & quanquam indies ipſi Doctores tantæ ſanitatis moriantur, durat tamen inſania apud ſtolidos, & credunt intra naturæ poteſtatem hanc ſcientiam ſanitatis longævæ cludi. Imperatorum quidam eâ ſtultitiâ obſeſſus, poculum immortalitatis ſe habere putabat. Quidam morionem ſimulans, id ſpectante Cæſare, exhauſit: illo mortem intentante: *An*, inquit, *Putas me exhauſto immortalitatis poculo mori poſſe?* Ita ira Imperatoris ſedata, & vana perſuaſio ſanata. Sed malum tam altas radices egit, ut hodieque extirpari nequeat, ſuaviſſimo delirio ipſa humana ſtultitia immortalitatis avida applaudente.

CAPUT OCTAVUM.

De Sectis Religioſis & Philoſophicis.

PRiſci Sinenſium unum Deum Regem Cœli & Terræ; adorarunt; inde Spiritus montium, fluviorum, terrarum colebant. Lumen rationis a Cœlo acceptum ſequebantur. Procul ab illa Græcorum, Ægyptiorum, Romanorum veſana Idololatria. Libri eorum Hiſtorici & Philoſophici, nunc magnam partem a Tartaris in nupera deſtructione combuſti, multa præclara de Deo, & moribus continent. Sed progreſſu temporis magis magisque in Idololatriam delapſi fuerunt. Priſcorum ſententiæ puriores.

Tres tantum ſectas recenſent. Primam Eruditorum, ſecundam *Sciequiam*, tertiam *Laucu*. Prima communis eſt omnibus illis, qui charactere Sinenſi utuntur, Japoniis, Coreanis, Cochinchinis, & hæc innumeris deſcripta literis in Republica dominationem obtinet. Cuncti Philo-

Confutius Philosophorum Princeps.

sophi qui legere, & scribere norunt, hanc amplectuntur. Autor ejus *Confutius* Rex Philosophorum Trismegistus. Ejus scripta irrefragabilis authoritatis censentur, uti apud Christianos Sacra Biblia, *de quo ita* Trigautius; *Maximus inter omnes Philosophos Sinenses Confutius, quem inveneio quingentis quinquaginta uno annis ante Christi Servatoris nostri in terras adventum, in lucem prodiisse, & annis amplius septuaginta ita vixisse, ut non exemplo minus, quam scriptis & congressibus omnes ad virtutis studium incitaret. Ex qua vivendi ratione consecutus est apud Sinas, ut mortales omnes, quotquot ubique terrarum virtute præstiterunt, vitæ sanctimonia excessisse credatur. Et sane si ejus dicta factaque, quæ leguntur, attendamus, paucis è nostratibus Philosophicis ethnicis cedere, multos etiam superare fatebimur. Eam ob rem tanta est viri opinio, ut nullum ejus pronuntiatum à Sinensibus literatis, hodieque in dubium revocetur, sed ab omnibus æque in Magistri communis verba juratur; nec literati viri solum, sed ipsi quoque Reges eum per tot retro sæcula, sed mortalium tamen, non etiam Numinis alicujus ritu venerantur. Et gratum animum acceptæ ab eo doctrinæ sese exhibere profitentur. Nam & per tot temporum intervalla, illius in hanc diem posteri magno sunt apud omnes loco. Et à Regibus familiæ capiti, honoris non exiguus titulus hæreditario jure est attributus, quem census permagni, & immunitates consequuntur.* Sacellum ei in singulis civitatibus eo loco, ubi Scholæ sunt, constitutum, non statua ejus insigne, ut falso traditur à quibusdam, sed solum nomen magnis ex auro literis Academiæ fronti inscribitur, ac velut vivi Magistri, & ipse à Sinensibus colitur. In hoc sacello, nova, & plena luna Magistratus urbicus cum Baccalaureis, culturi Præceptorem suum candelis, thymiamatis, ingemiculationibus, natalem ejus celebrant sacrificiis ciborum & potuum in speciem gratitudinis, quod ejus ope ad illos scientiarum gradus pervenerint.

Alia quoque hujus sectæ Sacella Magistratui & tribunalibus in honorem exstructa sunt, in quibus Magistratus juramentum deponunt, jus incorrupte se administraturos promittunt: idque singuli initio muneris sui præstare tenentur. Iisdem quoque cibos & candelas, sed non eadem reverentia, ut *Confutio*, offerunt. Nam Spiritibus illis rem inesse divinam, acriter perjuros puniendi & probos juxta merita remunerandi fatentur.

Confutii eruditionem & virtutem humanis viribus imperscrutabilem & insuperabilem fatentur, ut ex Oratione funebri ejus à quodam *Yenyuenio* habita apparet, qui æque difficile fatetur scalis cœlum conscendere ac *Confutii* virtutes adæquare his verbis. *Quanto altius attollebamus oculos, tanto longe aberat Confutii virtus, quanto eam magis penetrabamus, tanto erat solidior. Primo aspectu æstimantibus communis & vicina videbatur, at repente longissime à nostra distantem cognoscebamus; Magister noster pulchre, atque ordine homines docebat, nostram scientiam continuo minorem reddebat: compendia-*

pendiariâ ritus omnes tradebat. Optabam ſæpius ab illius doctrina diſcedere, nec poteram; omnes ingenii nervos intendebam, ut aliqua intelligerem, aut optans longius progredi viam. Nemo enim ad virtutem Confutii *pervenire poteſt, uti nec admota ſcala qualicunque cœlum aſcendere.*

Quatuor magnos libros ex priſcorum Philoſophorum ſcriptis collegit. Sunt & alii libri, quos diurna nocturnaque manu ferunt Sinenſes, à *Menſiu*, æmulatione *Confutii*, conſcripti, præter innumeram aliorum Philoſophicorum librorum copiam.

Quorum titulus primus agit de origine mundi, & primo cauſarum ſecundarum generantium & conſervantium Auctore, ex hoc libro quæ, ad phyſicam ſpectant, deſumpta ſunt.

Secundus titulus de æternitate, ſive æterno medio.

Tertius titulus de doctrina corporum perfecte mixtorum. Et hi duo libri Phyſicorum habentur. Firmiter ſibi perſuadent, neminem præter ipſos horum librorum myſteria poſſe aſſequi, quamvis non difficiliores ſint intellectu, ac Ciceronis vel Livii opera.

Quartus titulus de motu, ſitu & influxu Planetarum, aliorumque corporum cœleſtium.

Quintus titulus de conjecturis & præludiis futurorum contingentium.

Sextus titulus de Phyſiognomia & Chiromantia, & ejuſmodi nugis.

Septimus titulus de Magia Naturali, præſcientia & ſignis futurorum.

Octavus titulus de origine, & nominibus Dei, ejusque cultu.

Nonus titulus de Sanctorum Sinenſium actis, miraculis, morte, & exequiis.

Decimus titulus de animæ immortalitate, & futura ejus conditione, de luctu, ejusque ceremoniis.

Undecimus de priſcorum & Neotericorum Medicorum ſcriptis, in iiſdem agitur de viribus herbarum, earumque uſu, de Hygeeina, & Therapeuticâ, denique de cautelis, à Medico & Ægris obſervandis.

Duodecimus titulus de fœtu, & partu.

Decimus tertius titulus de Arithmetica, & Geometria.

Decimus quartus de Architectura, & varia ejus ſpecie, & proportione.

Decimus quintus titulus de Hipparchia.

Decimus ſextus titulus de Architectura Militari, & Machinis bellicis.

Decimus ſeptimus de Agriculturâ, & de ſignis fertilitatis.

Decimus octavus de arte Scriptoria.

Decimus nonus de accuratâ Provinciarum Sinicarum Geographiâ.

Vigeſimus de Antiquitate Imperii Sinici.

Vigeſimus primus de auctoritate, Majeſtate, reditibus, & Palatiis Cæſaris.

Vigeſimus ſecundus de muneribus, & ſtipendiis Regiorum Miniſtrorum.

Vigeſimus tertius de legibus & decretis Regni.

Vigeſimus quartus de actis Cæſarum Sinicorum, & ſucceſſione, de occupatione & Regni adminiſtratione.

Vige-

Vigesimus quintus de gentibus Sinis cognitis.
Vigesimus sextus de Musica, & fidium cantu.
Vigesimus septimus de arte Poëtica, & animæ passionibus.
Vigesimus octavus de diversis Ludorum generibus.

Hujus primæ sectæ discipuli nulla Idola, sed unum Deum Gubernatorem omnium colunt: Spiritus tutelares, sed inferiori honoris gradu venerantur. Mundum ab æterno fuisse, bonis præmia, malis pœnas in hac vita evenire volunt. De animarum immortalitate ambigue dissefrunt: olim eam credidisse videntur; hodierni Philosophi eum corporibus, vel paulo post extingui: alii solas piorum superstites manere, impiorum statim evanescere putant. De pœnis infernalibus nihil norunt. Nulla templa, sacra, cæremonias, aut Pontifices habent; nullas etiam Deo preces offerunt: Soli Regi sacra ei facere licet; si quis alius id ausit, Majestatis reum fieri. Ideo duo splendida *Pekingæ* & *Nankingæ* templa cæli unum, alterum terræ sacrum, in quibus olim ipse Rex sacrificabat, nunc præcipui Magistratuum eo munere funguntur, boves & oves magno numero mactantes. Iidem Spiritibus montium, fluviorum & quatuor plagarum mundi sacra faciunt.

Solus Rex sacra facit.

Præcipuum hujus sectæ dogma est, sepulchris parentum & majorum anniversaria sacra facere, & memoriam eorum tanquam adhuc superstitum colere. Non tamen existimant defunctos cibis oblatis vesci, sed signum hoc reverentiæ, & amoris exhibent, ut ostendant, quanto affectu vivi parentes colendi, cum tantus honos mortuis debeatur.

Primaria sectæ cura.

Sed de ipso *Confutio* ejusque doctrina summatim *Martinius* Libro quarto Historiæ Sinicæ, ita agit ex prima, primi libri Confutiani sententia. *Magna, sive magnorum virorum doctrina in eo posita est, ut cum quisque seipsum perfecerit, aliosquoque perficiat, sic ut omnes unum, hoc est summum bonum consequantur. Sed suipsius perfectio in ore consistit, ut quisque lumen naturale in se accendat, clarumque reddat, ita, ut à lege naturæ præceptore à natura insitis nunquam exerret. Quod quia sine vera rerum cognitione, scientiaque fieri non potest; inde Philosophiæ danda est opera, per quam quæ agenda, quæque fugienda sunt, scientiam habeamus. Hac scientia consilia nostra dirigimus, ut nihil sentiamus, nihil velimus, nisi quod est rationi consentaneum. Exinde corporis etiam existit, sensuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio, quæ nunquam proventura est, si non è bona mente, velut è fœcunda terra effloreseit.*

Compendium Philosophiæ Confutianæ.

Hoc brevi compendio principia, media, norma & utilitas Philosophiæ Sinensis, clare exponuntur. Principia sunt lux illa naturalis in homine à creatore indita, qua intellectus ejus illuminatur, ut recte de omnibus rebus judicet. Illa lux naturalis tenebras dispellit & verum a falso, bonum a malo, honestum a turpi distinguit, unde quid statuendum, amplectendum, approbandum, improbandum, sponte consequitur. Ex illa

Ratio luci comparatur.

illa luce intellectus ratio resultat. Ratio ita manifesta facta fuit secundum Sinenses: *Initio mortales* regnum *constituerunt. Ut hoc bene regerent*, familias *primo suas ordinarunt: ut* familias *bene gubernarent*, *seipsos secundum rationem gubernarunt. Ut* rectam *rationem eruerent*; *intima cordis sui & cupiditates*, *examinarunt*, ut aptius hoc fieret, entium causis studuerunt; atque ita tandem ad perfectionem sive summum bonum ascenderunt. In summa *Sinenses* urgent *lumen* naturæ insitum, & *jus* illud, quod non dictum, non scriptum, sed innatum animæ est.

Hæc Principia. Media *Philosophia* ostendit, quæ *Confutio* eadem fere cum Platonicis; nisi quod ille perfectionem humanam tantum affectat, hi ad divinam quoque suis speculationibus adscendere volunt.

Philosophiam in *Naturalem* & *Moralem* dividunt. De principiis rerum æque ac Europæi dissentiunt. Nam Stoicos, Epicuræos, Democritæos, æque ac Platonicos & Peripateticos imo & Mosaicos Sinarum scholæ alunt. Omnes cum Platonicis in hoc conveniunt, quod primum Auctorem, tanquam Universi Architectum fateantur. Sed qualis primus entium motor sit, vix Sinæ memorant, nisi in quodam veteri monumento, non ita diu reperto, cujus auctor Christiano-Sinicus suspicitur. Hic Ens Entis æternum, immensum, sapientissimum, perfectissimum concipit, quod eminenti potentia creaverit universum, infinitate Majestate, & sanctitate beaverit sanctos, hic primum chaos movit; motu bina *Kissa* formavit, unde Cœli & Terræ, Solis & Lunæ, lucis tenebrarumque origo.

Hinc apparent eorum error, & Idololatria, quod Deum, ejusque opera humanis ratiociniis suis, & imperfectissimis ideis, ac magnam partem vel abolitis plane, vel horrendum depravatis, subjecerunt, seque veritatem perfectam extra Dei ipsius immediatam revelationem consequi posse statuerent.

Summa eo tandem redit; ex *Chaó*, quod *Kis* vocant, duas partes provenisse *Yn*, id est occultum & imperfectum: & *Yang*, manifestum & perfectum, ex quorum multiplicatione quatuor imagines, sive signa, inde octo prodeunt formæ, aut symbola. Ex quorum varia alteratione singularium generatio pendet, atque corruptio. Hæc lineis varie dispositis tanquam principia sua denotarunt. Quorum hoc specimen nunc sufficit. Principia Sinica.

est occultum imperfectum: est occultum perfectum:

est manifestum imperfectum: est manifestum perfectum:

cœlum: terra: fulmen: montes:

ignis: nubes: aqua: ventus.

 Occul-



Occultum perfectum duobus lineis duplicatis; *manifestum perfectum* unicâ lineâ divisa, *manifestum imperfectum* unica linea continua, *manifestum imperfectum* duplici continua, item linea parallæla. Ex his ergo duobus principiis, quæ *Yn* & *Yang*, vocant, conjugatis octo illæ figuræ prodiêre, quibus in se multiplicatis, quatuor constituuntur & sexaginta symbola, sive imagines, quas hoc schema exhibet.

Ex quibus amœna omnium rerum varietas elucescit, nam quodlibet certum genus corporis mixti denotat, ad quod omnia individua, quotquot in orbe dantur, ad suum symbolum, tanquam ad summum Categoriæ genus, apte reduci possunt. Hæc symbolorum multiplicario eodem modo efficta videtur, quo Dialectici ex quadruplici majoris præmissæ quantitate sexaginta quatuor primæ figuræ modos colligunt: quo Peripatetici ex qualitatum primarum combinatione duo asymbolorum elementorum, quatuor symbolorum paria concludunt, ex quibus deinde varie alteratis mixtio oritur. Cujus perfectam naturam in hoc schemate exhibent Sinæ, & accuratam mixtorum corporum categoriam demonstrant. Quis vero mixtionis præcise gradus, per quodlibet symbolum à Sinis denotetur, necdum Europæis ob imperfectam linguæ Sinicæ cognitionem clare innotuit. Sed quorsum hisce diu immoremur? Ex duobus principiis *Yn* & *Yang*, ceu ex numeris Platonicis nascuntur quatuor idææ, ex his octo essentiæ simpliciores, ex illis sexaginta quatuor substantiæ mixtæ.

Sufficiat scire quinque eos elementa vulgo numerare, *Metallum*, *Lignum*,

Lignum, Aquam, Terram & *Ignem.* Octo formas, unde generatio & corruptio dependeat, habent, *Cælum, Terram, Fulgur, Montes, Ignem, Nubes, Aquam, Ventos.*

Sexaginta quatuor Symbola Creaturas animatas & inanimes repræsentant. *Yn* & *Yang* sunt prima initia, ex illis nascuntur formæ, ex formis creaturæ. Cælum, quia absque ulla imperfectione est, tribus lineis denotatur. Ubi lineæ sunt abruptæ vel hiantes & inæquales, imperfectio latet.

De quinque eorum elementis ex libro *Xuking* ita *Martinius*: *Quinque sunt elementa, Aqua, Ignis, Lignum, Metallum, Terra. Aqua irrigat, & descendit, Ignis siccat, & ascendit; Lignum erectum, & distortum vocatur, Metallum ductile, levitatisque impatiens, Terra semina capit, affertque fructus. Irrigans & descendens dat salsum; siccum & ascendens dat amarum, rectum & distortum facit acidum; ductile & politurææ idoneum mordax facit, sue acre, accipiens semina, & dans fructus dulce gignit.*

Sciendum est, Sinas per *Elementum* non intelligere prima principia rerum vel particulas corporum, sed ipsa corpora, & partes mundi visibiles, ac sensibiles; id est *Terram, Aquam, Lignum, Metallum, Ignem*, idque cum Moyse convenit, & rectissimum est, prætermissis illis ridiculis & invisibilibus atomis aliorum, qui se Philosophos vocant. Cælum in hæc sua elementa crassa, & solida ita influere censent. *Saturnus* terram, *Iupiter* lignum, *Mars* ignem, *Mercurius* aquam, *Venus* metalla irradiat. Sed ipsi Sinenses non ea Planetis nomina, verum elementorum indunt. *Saturnus* ipsis stella terræ, *Iupiter* stella ligni, *Mars* stella ignis, *Venus* stella metalli, *Mercurius* stella aquæ dicitur. A Jesuitis, maxime Riccio Philosophiam Europæam, qualem scholastici tradunt, didicerunt: quatuor elementa, terræ rotunditatem, Solis, stellarumque magnitudinem, antipodas, cœli soliditatem, eclipseon naturam, cometarum deflagrationem, gravium ad centrum terræ descensum.

Insubidum foret opiniones eorum de Origine & interitu mundi multis referre. Mundum Ovo comparant & ex eo ortum volunt. Alii *aquam* principium ponunt, divino motu & spiritu imprægnatam: ex bullis scilicet æthera, è sedimento terra. Si roges, *à quo aqua talem vim acceperit*, Cacchinantur, curiositatem redarguentes.

Alii totum mundum omnesque creaturas Deum, ejusque partes & membra esse statuunt. Unde quanta mutuo creaturarum esse debeat concordia & amor indigitant, quippe cum Dei sint partes & membra. Hinc mundum comparant *Giganti*, cujus *caput* in cœlo, *oculi* in stellis, *capilli* in arboribus, & *ossa* in metallis abscondantur.

Omnes primum hominem statuunt *Puoncuum*, incertæ originis: alii ex sylvis, alii ex ovo prognatum volunt; quod Aristotelicum videtur, quippe hic homines & bruta vel ex ovo vel verme primo producta

ducta docet libro quarto de generatione animalium.

Saniores, qui revelatæ veritati propius accedunt, iudicant, confusum chaos ex cælo, terra & aqua ab æterno exstitisse, quæ *Tayn* virtute singulari segregavit, cœlis supra aërea pendulis, terra gravitate ad centrum universi devoluta, prout mundi machina conspicitur. Hic *Tayn*, *Panzon*, & *Panzona* viro & fœmina ex nihilo productis, marito facultatem alium creandi concessit, quem *Tanhom* dicunt, adjunctis tredecim fratribus. *Tanhom* iste tam præclara excelluit scientiâ, ut rebus omnibus creatis nomen imponeret, quarum virtute juxta *Taym* doctrinam adamussim perspectâ, quaslibet infirmitates corpore dimovit, hinc ille cum fratribus & tota prosapia annos nonagies mille & amplius vixisse dicitur. Postea *Tayn*, dum hi spiritu superbiæ inflati ipsi parere negarent, omnes masculos in injuriæ illatæ vindictam exstinxit. Ac *Tayn* mox cælum axibus devolutum elevavit, aliumque creavit in terra marem, quem *Lotzitzam* appellant, cui bina enata cornua suavissimum spirabant odorem, qui speciem humanam propagavit; hac multiplicata disparuit, ac ab ipso omnium, quotquot in orbe vivunt, originem trahunt, cujus primogenitus erat *Azalan*, qui annis nongentis vixisse fertur. Postea cælum in Provincia *Hanton*, alium produxit hominem, nomine *Atzion*, matre ejus *Lutim* ex capitis Leonini, quod in cælo, conspectu imprægnatâ; qui octingentesimum annum attigit. Deinceps natus *Usao*, qui homines cum belluis promiscue in sylvis viventes artem architectonicam, qua ex arboribus ædificabant domos, quibus se adversus ferarum impetus tuebantur, & sutoriam docuit, qua arcendis aëris injuriis sibi vestes conficiebant. Successit *Huntzu*, ignis inventor, & artis culinariæ auctor, qui contractuum formas, literis nondum inventis, per contortas in nodos chordas præscripsit. Tandem *Houtzibon* mulier fulmine cincta ex vestigii humani conculcatione filium *Ocheutey* prodigiose concepit, & peperit, qui conjugalis copulæ & Musices auctor fertur. Huic filius fuit *Ezonlom* Medicinæ & Astrologiæ judiciariæ peritus, & aratri & ligonis inventor agriculturæ modum tradidit. Ab hujus filio *Vitey* dicto Reges genealogiam tradunt.

Opinio de mundi interitu.

Huc usque de mundi origine, jam de ejus interitu more Sinico Philosophemur. Singulis horis decem millia & octingentos annos assignant. Hora *nona*, quæ nobis *sexta* promeridiana, magnos toto orbe motus & confusiones fore arbitrantur; donec tandem in antiquum omnia Chaos redeant. Et sicut ex minimo terræmotu Imperii sui ruinam metuunt; ita credibile est ex ejusmodi prodigiis mundi interitum eos præsagire. Atque hæc de Philosophia eorum velut in transcursu dicta sint.

Secunda secta Sciequia.

Secunda secta *Sciequia* vel *Omtose*, Japoniis *Sciacca* & *Amidaba*, anno sexagesimo quinto ante Christum natum ab Occidente & Regno *Tiencio* & *Scinto*, quæ hodie *Indostan* appellantur, inter Gangen & Indum, in



in Sinam delata fuit. Imperator Sinicus ſomnio per Legatos hanc ab Indis per Legatos doctrinam petere juſſus fuit, qui libros & Interpretamenta ſacrorum attulerunt, unde ex lingua Indica in Sinenſem tranſlati ſunt. Factum hoc eodem fere tempore, quo Apoſtoli *Bartholomæus* & *Thomas* Euangelium Indis prædicarunt, unde etiam aliqua fidei Chriſtianæ haud abſimilia dogmata, ei admixta fuerunt. Præcipuum hujus ſectæ dogma eſt *tranſmigratio* animarum Pythagoræa, & multitudo mundorum Democritea & Ariſtotelicus Elementorum numerus. Trinitatem quoque Deorum in unam Deitatem confuſam, præmia bonorum in Cælis, pœnas improborum apud inferos ſtatuunt; procul dubio horum auctor luce Euangelii illuſtratus fuit. Sectatores ejus conjugium rejiciunt, & cælibatum amplectuntur. Quod ſi quis caſtitatem violet, non modo opprobria, verum etiam pœnas patitur.

Sacrificulus ob fornicationem caſtigatur.

Qualem Legati *Kunninganæ* viderunt ſacrificulum, qui in lupanari deprehenſus candente ferro claviculam peruſtus, catenam craſſam ferream decem ulnarum longitudine per foramen tranſmiſſam poſt ſe trahebat, publicum omnibus ludibrium, & commiſeratio, idque tamdiu, donec decem teylas argenti mendicando in uſum cænobii corraſiſſet. Neque in trahenda catena manus allevando ponderi admovere licitum, ſed totum onus oſſi perforato incumbebat. Aderat inſuper rigidus pœnæ exactor cum flagello ſocius, qui crebris ictibus nudum corpus, ſanguine ſtillans, immiſericorditer cædebat. Legati eleemoſyna commiſerationem ſuam oſtenderunt. Alius ſectæ deſertor *Linſingæ* in picturata ædicula intus acu-

acutissimis clavis, instar dolii *Velziani*, transfixæ, quinque diebus absque cibo & potu considebat. Sæpe bona suos & cognatos deserentes, locis exteris mendicatum eunt. Cæremonias fere instar Romanensium habent. Horas suas plane more Gregoriano cantillando recitant. Pagodas suos & sacella statuis replent. Inter cantandum & recitandum sæpe vocem *Tolome* repetunt, ignari quid significet; unde nonnulli Thomam Apostolum designari putant.

Fœda & horrenda hujus Sectæ deliria sunt. Cœlum & inferos fere confundunt, præmia & pœnas cum tempore finiri, animas denuo in alium mundum deferri, ibique renasci: improbas pœnitentia crimina eluere posse. Carnibus, & quæ vivunt, abstinent, sed non omnes, & talia peccata facile argento condonant, jactantque damnatorum animas suis se precibus ab inferis redimere posse.

Initio hæc Secta magno applausu ob animæ immortalitatem, & præmia piorum recepta fuit. Verum, quemadmodum prioris Sectæ asseclæ his verbis, *Quo hæc Secta præ aliis probabilior, eo fraudibus, quæ vix percipi possunt, deterior*, in libris suis male augurabantur, ita factum; nam cum Reges & Principes ejus sectatores infelicem plerique vitæ exitum haberent, ac res Imperii, contra quam promiserant, in deterius indies laberentur, culpa ipsis imputata, & aliquoties penitus deleti & extincti videbantur. Semper tamen iterum velut flamma ex cineribus emerserunt, & totum Imperium innumeris libris suis impleverunt. Hinc totâ passim Sina tot Pagodæ, & templa splendidissima, ingentibus Idolis, ex ære, marmore gypso, & lignis, horribili & monstrosa figura effigiatis, repleta ac turribus altis sublimia.

Sacrificuli *Osciamen.* Sacrificuli eorum *Osciamen* dicuntur, ac contra reliquorum Sinarum morem barbam, & capillos continue abradunt. Alii mendicando vagantur, alii in speluncis & montibus vivunt; maxima pars vitam in cœnobiis sacellorum agunt; eleemosyna, & labore manuum victitantes. Hi sunt fex totius Sinæ, & senioribus Sacerdotum famulantur, donec illis defunctis ipsi in eorum loca succedunt, & quanquam castitatem voveant, in venerem omnem turpiter abjecti.

Habitus Sacerdotalis. Vestitus eorum dispar, ut ex quatuor iconibus videri potest. Aliqui, ut primus ad lævam, longa nigra toga, quadrato pileo, *Pater noster*, aut rosarium manu tenentes, incedunt. Alii longe diversas togas, & capuntia habent. Sed peculiari vestitu mendicantes utuntur; togæ ex centonibus discoloribus consarcinatæ: pilei latis ad ambas aures alis contra pluvias & soles; in manu flavum cymbalum tenent, quod bacillo tamdiu pulsant donec, vel stipem accipiant, vel aspectu eorum abeas.

Raro stant, semper fere complicatis desident cruribus inter alia Sacerdotum horum monstrosa genera reperiuntur etiam, qui occiput in longum à teneris violenter ita extentum, miro spectaculo, habent.

Cœno-



Cœnobia *Osciamorum* in varia conclavia dividuntur, singulis Inspector præest, cui discipuli hæreditario jure succedunt. Superiorem præterea nullum agnoscunt. Quisque in sua paræcia tot extruit cellulas, quot potest, præcipue *Pekingæ*, quas postea conductoribus habitatum elocant, ita ut hæc Cœnobia potius diversoria publica, quam ædes sacræ videantur.

Et quanquam hi Cœnobitæ contemtibiles sint, nihilominus ad sepulturas, liberationem captivorum animalium, aliaque solennia lucri causa invitantur. Superstitiosiores hujus sectæ redempta animalia, aëris, terræ aut aquarum restituunt libertati: magnum inde meritum sperantes. Plerique sectatores eorum ex infima plebe, fœminis & Eunuchis sunt. Habent fœminæ separata monasteria, quæ & ipsæ capillos radunt, conjugium repudiant & Sinice *Nicu* vocantur. *Nicu fœminæ moniales.*

Tertiam sectam *Lauzu*, quidam *Confutii* coætaneus, quem octoginta annis intra matris alvum delituisse, & inde *Lauzu*, id est Senem Philosophum dictum volunt. Numerus novenarius, cum perfectissimus & per similem multiplicatus octogesimum & unum computet, in causa fuit, cur natura in embryone tanti Philosophi tot annos insumpsisse dicatur. *Martinius* quarto Hist. Sinens. hunc *Lauzu* nominatum *Laotanus*, eumque post mortem nihil superesse hominis, & summum bonum in voluptate consistere, docuisse, tradit. *Tertia secta Lauzu.*

Nullos ipse libros reliquit, sed sectatores ejus plures ex aliarum Sectarum commentis consarcinarunt. Et hi in Cœnobiis cælibes vivunt, disci-

discipulos suos, ut secunda Secta, ementes. Quidem nubunt, & domi magna pietatis specie sectam suam docent, ac pro aliis preces fundunt.

Inter alia Idola etiam Dominum Cœli colunt, sed eum corporalem, ac multorum injuriarum obnoxium faciunt. Fabulas eorum quid recensere opus? Dominum Cæli, qui nunc regnat *Ciam* vocari, eum fraude regno Spoliasse antecessorem suum *Ieu*, dum medio convivii per candidos Dracones hic cœlos ascenderit, quibus ad epulandum alter egressus erat.

Hunc Cœlo exclusum montem precibus à novo Rege *Ciam* impetrasse, in quo etiamnum vivat. Ad hanc formam & reliquæ aniles fabulæ sunt. Præter Deum cœli tres alios adhuc Deos recenset, quos inter *Lauzu*, Sectæ caput, unum obtinet locum. Pios id est sectatores suos corpore pariter ac anima in cœlum ascendere, eam felicitatem exercitiis quibusdam, precibus ac medicamentis obtineri posse: ita fore, ut sanctorum suorum gratia, & intercessione immortalitatem in cælo vel longævam in terra vitam consequantur.


Sacrificuli eorum Dæmones se precibus suis ejicere, siccitatem aëris fœcundis imbribus irrigare, eos iterum sistere, mala quævis pellere vel attrahere posse jactant. Diabolum ex ædibus depulsuri, in flava charta deformia spectra depingunt, eamque parietibus allinunt; tum horrisono ululatu, velut vivi Dæmones, bacchantur. Hi Sacerdotes in Regum cælo terræque dedicatis templis, quoties Rex, vel Magistratus Sacrificia offerunt, desident, unde haud parva iis authoritas accedit. Exequiis quoque pomposo vestitu, tubas & fistulas inflantes, intersunt: domos etiam recentes inaugurant, & pompas solennes per plateas deducunt.

Omnes Sectatores *Lauzu* summo Pontifici, quem *Ciam* vocant, subsunt, cujus dignitas successiva jam per mille annos fuit. Primus ex Provinciæ *Quangsi* spelunca prodiisse creditur, ubi ejus posteri hodieque morantur. Hic Pontifex fere in regia *Peking* ætatem agit, ubi Imperatori æstimatus ad intima Palatii admittitur, pellendis inde malis spiritibus. Lecticâ in publico Magistratuum instar gestatur, & annuo ingenti stipendio Regis liberalitate alitur. Rudes fere sacrorum suorum sunt, & nullum iis nisi in *Tausos*, id est discipulos suos Imperium. Plerique, ut longævitatem, ita & Alchymiam, quam à suis sanctis repertam dicunt, jactant.

Atque hæ sunt tres illæ magnæ Sinarum Sectæ, ex quibus tanquam fontibus plusquam trecentæ minores pullularunt, & indies numerus earum multiplicatur.

Imperator *Humvuus*, caput ultimæ familiæ *Taimingæ*, publica lege has tres Sectas stabilivit, ita tamen, ut prima eruditorum res Imperii curaret, & duabus reliquis dominaretur.

Atque



Atque hæc cauſa eſt, cur una alteram non ſtudeat opprimere. Reges unamquamlibet ſine diſcrimine venerantur, ejusque opera utuntur, templa earum inſtaurant, nova ſtruunt. Sed Reginæ Sinicæ imprimis favent illi Sectæ, quæ Idola colit, ac magnis largitionibus Cœnobia ejus & Sacrificulos, ut precibus eorum juventur, afficiunt.

Fidem ſuperat Idolorum per Sinas multitudo, non in templis modo, quæ multa millia eorum complectuntur, ſed in omnibus ferè civium ædibus, plateis, navibus, & publicis palatiis. Atque hoc eſt illud horribile ſpectaculum, quod ſtatim ſpectantibus ſe in Sina offert; quanquam plurimi Sinenſium monſtra illa Idolorum ſpernant, & neque boni quid, neque mali ab iis metuendum publice teſtentur. Inter alia colunt Idolum immortalitatis, ſpecie & corpore præpingue, cruribus complicatis, aqualiculo ſesqui pede extante. Ad dextram cervus, animal longævum blande Idolum aſpectat, ad ſiniſtram ciconia roſtrum obvertit. Idolum manus intra manicas abſcondit, ut pinguedo corporis eo melius appareat. Facie ſevera & incana, veſtitu regio conſpicitur. Adorant hoc Idolum multis locis & pro ſigno proſperitatis habent. *Idola Sinica.*

Alterum Idolum voluptatis *Ninifo* Secta *Lauzu* veneratur. Statua hæc altitudine viginti pedum ex ære flavo intus cava, vultu humaniſſimo, pectore, & ventre pinguiſſimo, abdomine imprimis prominente; atque ut membra ejus pinguedine turgentia eo clarius appareant, toto fere corpore nuda in ſolo reſidet.

Tertium Idolum Sellæ inſidens, triginta pedes altum ex gypſo, co-



ronam capite habens, inauratum & inargentatum ac ſplendide exornatum eſt. Sinæ hoc Idolum vocant magnum *Kinkang*, cui ſingulares honores exhibent.

Sunt præterea & aliæ ſtatuæ duæ. Una eſt fœminea Lincinæ in faſtigio templi triginta pedum altitudine, in auro paſſim & argento obducta.

Altera ſtatua ſellæ magna pompa & ſplendido apparatu inſidens, præfectus fuit Sinicus, cujus præclara in Rempublicam merita extiterunt, unde poſteri defunctum imagine conſtituta etiamnum colunt ac venerantur. Pedibus, victoriæ argumentum, monſtrum premit, & dextra ſceptrum tenet.

In *Quantung* apud urbem *Chaoking* alia quoque præfecti cujuſdam imago in ſplendido templo conſpicitur, qui cum per ſexennium Provinciæ ſummo cum emolumento præfuiſſet, gratitudinis ergo hanc ſtatuam cum templo erexerunt.

In *Cuhiung* apud urbem *Nangan*, magnum ſaxum altitudine centum pedum quotannis auro tegunt. Hoc ſaxum *Xinxe*, id eſt ſpirituale vocatur, ejuſque cultus ſub Imperatoribus *Mung* cœpit.

Apud urbem *Cioking* in monte *Xepao*, magna ex lapide columna & imago Idoli *Fe*, cum Elephanto, Leone & tympano ex uno omnia ſaxo exciſa, coloribus diverſis, conſpicitur. Quis ejus columnæ conditor, non conſtat.

In *Suchuen* apud urbem *Chunking*, ad ripam fluvii *Fu* inter hanc & urbem

urbem *Tunchuen*, mirabilis mons eſt, ex quo non tantum monſtroſum Idolum, ſed & montanum Deum *Fe* fecerunt. Hic pedibus complicatis, & manibus intra ſinum junctis conſidet. Quanta ejus ſit moles hinc apparet, quod ejus oculi, aures, nares & os ſpatio duorum milliarium diſtincte videri queant.

Caput Nonum.

De Pagodis & Templis Idolorum.

INgens tota Sina Pagodarum ſumptuoſe & magnifice ſtructorum numerus. Extra urbes in locis fere ſolis juxta vias publicas, viatoribus hoſpitium omnibus rebus inſtructum præbentes, ſiti ſunt. Juxta turris, cui ſæpe templum adjacet. Hæc templa referta Idolis & nigris lampadibus dies noctesque continenter ardentibus in memoriam eorum, qui bene vixerunt & beate obierunt. Præfecti dum munus ſuum auſpicantur, in iis plerumque juramentum præſtant. Figura & forma Pagodarum.

Imago & ſtructura talium Pagodarum hæc eſt. Supra & ad latera aſſeribus contexuntur: tectum imbricibus conſtat. Pavimentum ex luto & ſaxis quadratis. Utrimque ingens ſtatuarum numerus. In limine ad utrumque latus Diaboli cornuta & rapax cum horrore ſpectabatur imago, rictu terribili, & uncis Gryphionum introeuntibus terrorem, quaſi abreptura illos & devoratura, incutiens. In medio altare; ſupra illud imago triginta pedum altitudine conſidens; retro illud plurimæ minores ſtatuæ. Ante hoc Idolum in altari craſſa, & concava arundo plena bacillis, & obeliſcis, quibus Characteres Sinici futura prænunciantes, inſcripti. Utrimque turibula odores, eructantia, & in medio Patina cum ſacrificiis, quæ Sacerdotes Idolo, quoties futura ſcrutantur, offerunt.

Quotiescunque Sacrificulus fata alicujus ſcrutari vult *Oryzam*, Vinum, animalium exta, & alia muneris loco affert, & odores in altari incendit. Deinde ex arundine bacillos aliquot promit, qui ſi infauſta prænunciant, alios educit tamdiu, donec proſperum quid denunciatur. Interea dum odores fumant, Sacerdos frequenter in genua procidit, & ex complicata charta neſcio quid muginatur, quo Idolum ſe placaturum, & propitiaturum confidit. Sacrificii ritus in futura ſcrutando.

In Provincia *Peking* apud urbem *Chingting*, ingens templum quinque contignationum altitudine, in quo ſtatua centum & ſex pedum alti-

tudine, nomine *Quonim*, forma virginis, conſpicitur. In *Xanſi* urbe *Taiyuen* ſacellum Imperatori *Siango*, omnium ſapientiſſimo ex familia *Chaus*, conſecratum eſt, cujus ex pretioſo lapide ſtatua ſua ſponte eo ſe contuliſſe referunt.

Apud *Lugan* in monte *Peco*, quod ſignificat *Montem omnium frugum*, ſacellum Imperatoris *Xinnungi*, juxtaque puteus eſt, ubi ab ignoto ſemina, eum ſimulque artem ſeminandi accepiſſe referunt, qui hanc artem ſubditis tradidit, unde ab ipſis in perpetuam beneficii memoriam magnis ſumptibus exſtructum eſt.

In *Xenſi* apud urbem *Hanchung* quinque ſacella ſunt, quorum unum Imperatori *Changleango*, quod viam per aſpera montium & convalles paraſſet, conſecratum.

In urbe *Kingyang* tria ſacella ſunt, in quorum uno picturæ triginta ſeptem Regum ex familia *Cheva* conſpiciuntur.

In *Xantung* urbe *Cinan* decem Heroa, ſunt quæ omnia ſuperat ſacellum *Tungo* ab Imperatore *Hoangtio* fundatum, in quo ſeptuaginta duo Reges pacis amatores & religionis vixiſſe referunt. *Bonzy* magnos inde reditus capiunt.

Apud *Yencheu*, in urbe *Ceu* quindecim ſacella ſunt, *Confutio*, aliisque ſacra.

In *Suchuen* urbe *Chingtu* ſacellum Regi *Cancungo*, qui artem ſerici & bombyces alendi primus incolis tradidit, ſacrum.

In *Huquang* apud urbem *Kiun*, mons *Untang* multa & ſplendida templa ac cœnobia habet, ibique inaugurantur Sacerdotes, qui internam animæ tranſmigrationem, id eſt moralem animæ, & corporis ſeparationem ſectantur:

In *Nanking*, apud *Ningque*, ſacellum ſplendidum *Hiang ſin*, id eſt ſuaveolens cor, quinque Virginibus ſacrum eſt. Hæ virgines cum à prædonibus ad ſtuprum abriperentur, mori, quam violari maluerunt: hinc earum memoria ibi colitur.

In *Chekiang*, urbs *Hangcheu*, ineffabilis copia templorum repertum & quindecim millia Sacerdotum.

Apud *Nanking* in monte *Ni*, templum eſt, in quo mille ſtatuæ numerantur.

Apud *Hoaigan* mons mari adjacet, in quo magnificentiſſimum templum & cœnobium.

In monte *Xinus*, apud *Taigan*, plurima Idoleia & innumeri ſacrificuli in ſolitudine, velut Anachoretæ, viventes.

In *Chekiang*, apud *Hangcheu*, mons *Funghoang*, eſt in cujus binis altiſſimis cacuminibus duo templa ſita ſunt.

In monte *Untang*, apud urbem *Kiun*, Cœnobium eſt, in quo ſacrificuli degunt.

Apud

Apud *Kienchang*, haud procul *Quanchang*, mons *Chunghoa* eſt, in quo magnificum templum jacet.

Apud urbem *Chinting*, in altiſſimo monte *Canguien*, fons medicus eſt, prope quem Regina X*ayanga* Cœnobium ſplendidum, memoriæ ergo, quod ſanitatem ejus aquæ lotione recuperaſſet, ſtructum.

Apud *Chaoking* duo ſacella ſunt. In regionis *Iunnan* monte Xico, prope urbem *Tengchuen*, ingens templorum & cœnobiorum numerus. Ex hoc loco primum manavit doctrina Idoli *Fe*, quam familia *Hana*, poſt domitam Provinciam, recepit: nam ante illa tempora Sinenſes non alium Deum, quam X*angti*, id eſt ſupremum Imperatorem colebant.

In *Chekiang* apud urbem *Hangcheu*, mons *Tiencho* & in eo rupes excavata *Filafung* jacet, in qua templa & cœnobia eximia reperiuntur & amplius tria millia ſacrificulorum in illis ſpeluncis ad æternos quaſi carceres ſe damnarunt. Cibos per funem attrahunt, quod ipſa rupes ob altitudinem fere inacceſſa ſit. Frequentes tota Sina ad hunc montem excurſiones, maxime Majo menſe, inſtituuntur. In eadem regione apud urbem *Cuki* mons *Lu* eſt, & in eo templum, quod felicium ſomniorum ergo frequentant Sinæ.

Prope *Cunggan* tertium quartæ Metropolis *Kienning*, in Provincia *Fokien*, oppidum mons *Vuy* jacet, in quo plurima ſunt idolorum fana, ſacrificulorum cœnobia, & anachoretæ, inter quos multi è præcipuis raſo capite cuncta mundana ſpernunt. Inter hæc dæmonum mancipia ſuos quoque Deus elegit ſervos, cujus rei eventus plane admirandus eſt. Archimandrita quidam *Chang* dictus ætate provectior ſua fana, (binis enim præerat) in vera Dei templa convertit, idolis propria manu & ſecurim conciſis. Dum hic juvenilibus annis cuidam Archimandritæ fideliter inſerviret, ut arcana Sectæ traderet melius, accidit, ut ipſe morbo oppreſſus, & ſenio confectus paulatim morti fieret vicinior. Interrogat Magiſtrum diſcipulus, num vere legem, quam ſe hactenus docuerat, crederet ad ſalutem conſequendam aptam ſatis & efficacem, nec ne? Cui ſenex reſpondit: non fili, ſed meliorem neſcimus, at bene age & lætare, poſt annos quadraginta aderit, qui tibi verum ſalutis iter oſtendat. His dictis exſpirat. At *Changus* ultima Magiſtri ſui verba, velut cujuſdam divinioris Numinis oracula, non contentus mandaſſe memoriæ, chartæ conſignat. Elapſo aliquot annorum ſpatio, cum civitatis *Puching* Præfectus cum tota familiâ Chriſtianis ſacris eſſet initiatus, ſæpeque ad ipſum R. P. Simon de Cuncha ad obeunda religionis ex Chriſti legibus myſteria diverteret, contigit, ut ſacris abſolutis Patrem ad celeberrimum montem *Vuy* viſendum recreationis gratia deduceret, occurrunt ad excipiendum Præſidem idololatræ, inter quos primus fuit *Changus*; cum inter colloquia de lege Chriſtiana ſubinde fieret mentio, hæſit ille primum attonitus, mox oculis in præfectum defixis, in hæc erumpit verba.

Me hercule hæc illa lex est, atque hic vir ille, qui verum mihi salutis iter ostendet, ut mihi Magister meus dudum ante prædixit. Inspicitur liber consignatus ad memoriam & annus, quo hæc acta sunt, reperitur omnino ab illius obitu quadragesimus. Quare sine mora idolis dejectis, pedibusque conculcatis, indignatione plenus, ac cum stomacho in illa invehitur, quod tanto se tempore decepissent.

Apud urbem *Civencheu* templum *Caiyven* est septem contignationum altitudine, quarum singulæ centum & viginti sex perticas altæ sunt, podia ac meniana uniuscujusque zonæ ita prominent, ut undique turrium circuitus extrinsecus detur. Exornatæ marmoreis & æneis statuis idoli *Fe*, tanto artificio cæsis fusisque, ut Sinenses glorientur non humana, sed immortali opera confecta esse.

Extra urbem *Nanking*, templum est, in quo infernus imaginibus ex gypso tam artificiose repræsentatur, ut non exactius à Virgilio sexto Æneidos describatur.

Caput Decimum.

De Turribus & Arcubus Triumphalibus.

Turres. TUrres tota Sina splendidissimæ, novem septemve contignationum. Aliquæ ad solam pompam structæ: in quibusdam, quæ *Ceuleu* dicuntur, Sinensia horologia sunt & in nonnullis ut *Nankingæ*, instrumenta Mathematica asservantur. In turribus *Ceuleu* Præfecti crebra convivia agitant, singulæ clepsydram horarum indicem habent: nam aqua ex uno vase in aliud fluens, tabulam attollit, cui horæ & tempora inscripta. In urbe etiam perdius ac pernox, qui singulas horas tympanum magnum pulsans populo significat & tabellam, cui literis sesquipede altis, horæ inscriptæ de turri spectandam suspendit. Idem ex sublimi turri totam urbem perlustrans, incendia, si quæ oriantur, pulsu tympani prodit, & populum ad extinguendum convocat. Cujus culpa incendium oritur, capite pœnas luit ob periculum densis ex ligno ædibus imminens.

In cacumine montis *Hiaikeu*, antiquissima turris fere præ senio collapsa, sed adhuc altitudine centum & octoginta passuum si ostentat, mirantibus cunctis, qua ratione in montem adeo sublimem calx & saxa deferri potuerint.

In *Huquang*, apud urbem *Hanyang*, turris *Xeleuhoa* est, cuncta alia ædi-

ædificia arte & magnificentia ſuperans. Condita dicitur in memoriam cujuſdam mulieris, quæ tanquam venefica ad mortem innocens damnata, miraculo arboris punicæ, ad preces ejus fructus repente producentis liberata fuit, unde turris *Xeleuhoa*, id eſt *Granatorum flos* dicitur.

In *Chekiang* urbe *Hangcheu*, quatuor turres novem contignationum ſunt; & in duplici vertice montis *Funghoang* duæ turres novem contignationum cum templo eſt. In urbe *Niencheu* turris ſeptem contignationum eſt.

Apud urbem *Vencheu* mons *Paocai*, in cujus vertice turris novem contignationum eſt, pharos præternavigantium.

Arcus Triumphales.

HAud minimum urbibus ornamentum triumphales arcus ex marmore & ſecto lapide inſigni artificio & magnificentia, conciliant. Eriguntur in bene de patria meritorum honorem ac gloriam, ſive illi Magiſtratus, cives aut eruditi ſint. Plerumque in frequentiſſimis plateis & in foris, ubi maximus populi concurſus, excitantur. Ex tribus conſtant concamerationibus major in medio, duæ minores ad latera, leonibus & aliis imaginibus, draconibus, floribus undique exornatæ. Ubi imagines deſunt, ſaxa perforata & veluti catenæ variis ſpiris involuta apparent. Totus arcus in tres contignationes dividitur; retro & antro eadem forma ac elegantia omnino ſimili, ut ex utraque parte eundem arcum te videre credas. Singulæ contignationes, zophoris, marmoreisque epiſtyliis ac coronidibus diſtinctæ, exornatæ. In cacumine ſub aureo tecto ſaxum cœruleum, cui aureis literis nomen Imperatoris quo regnante; in medio ſaxum planum latumque cum nomine, patria, dignitate laudibus & encomiis ejus cui arcus excitatus. In *Chekiang* Civitate *Hangcheu*, ſive *Quinſai* paſſim tales arcus & in unica platea, quæ *magna* dicitur, plures trecenti numerantur.

C a

Caput Undecimum.

De Aquæductibus, Viis, Pontibus, Navibus.

IN regione *Suchuen*, fluvius *So* ad *Sinfan* excurrit & eſt quaſi canalis fluvii *Kiang*, quem Imperatoris *Yvus* effodi juſſit; prohibendis fluvii *Kiang* exundationibus.

In *Chekiang* pleraque à Septentrione manantia flumina arte & induſtria humana per univerſiam regionem effoſſis canalibus, quorum ripæ quadrato ſaxo conſtant, derivantur, crebris paſſim pontibus & cataractis inſtructa.

In *Ningpo*, quæ nona urbs *Chekiang*, ripæ canalium ſecto lapide per triginta ſtadia ſunt extructæ. Ad exitum cataracta arcens aquas, ne in fluvium influat, per quam omnes naves in flumen tranſmittuntur.

In urbe *Ieuping*, ſingulæ fere domus per canales & tubulos aquas ex montibus derivatas accipiunt.

In territorio urbis *Xaohing*, per aquæductum Orientem verſus tridui via navigatur; ripis utrimque lapide ſecto conſtratis. Ad exitum lapidea moles aquam continens. Magna hic naviculariorum copia, qui naves in alterum aquæductum transferunt. Per hunc ultimum canalem naves minores uſque ad urbem *Ningpo* perveniunt, majoribus interea per mare navigantibus.

Viæ Publicæ.

ADmiranda publicarum per Sinam viarum ratio, quæ in Auſtralibus Provinciis, in quibus minor equorum & currium uſus planæ & lapidibus etiam per altiſſimos montes ſtratæ ſunt, ad proficiſcentium commoda, quantum humana ratio valet, exacta. Singulis decem ſtadiis lapis miliaris, cui inſcriptum, quam longe loca diſtent, occurrit, & curſores conſtituti ſumma celeritate literas ac mandata Magiſtratuum deferunt: unde brevi tempore quicquid accidit, per univerſum Imperium innoteſcit.

Ad ſingulos octo lapides, qui iter diei faciunt, plerumque Regia Palatia ſunt, Præfectorum & Magiſtratuum diverſoria; qui per Epiſtolam *Pai*, quæ titulos, & ſtatutum diem, & horam continet, eorum adventum ſignificant, & ubi advenerunt, parata omnia, quibus indigent, non

modo

modo alimenta & potulenta, verum etiam equos, ſellas geſtatorias, bajulos, ac naves, publicis expenſis, reperiunt.

Nec minus nitide ripas fluviorum ac publicas vias cuſtodiunt. Octo ab aqua pedibus nullæ tolerantur arbores, aut quæ impedimentum præbere poſſunt navibus, quæ ab helcyariis protrahuntur. Ripæ ſaxo ab imo ſolidatæ, & cataractis fornicatis, ubi neceſſitas urget, canales paſſim conſtrati, adeoque ut merito Sinæ cum Romanis de Architecturæ gloria contendant.

In *Fokien* apud *Hinghoan*, omnes viæ quadrato lapide quatuor milliarium Germanicorum longitudine & unius perticæ latitudine conſtratæ ſunt, pulcherrimo per totam Sinam opere.

Apud urbem *Hoangting*, vallis profunda, anguſta & obſcura eſt, per quam via longitudine duorum milliarium conſtrata ducit.

In *Queicheu* apud *Ganxun*, tres Cataractæ, quarum tertia *Tienſeng*, id eſt naturalis mille perticarum longitudine ad utrumque latus via inſtar arcus cataractæ excavata eſt.

In monte *Mehi*, longiſſima & anguſtiſſima via vix duorum equitum capax; ad utrumque latus montes inſtar murorum in altitudinem aſſurgunt.

In monte *Co*, via acclivis eſt decem milliarium longitudine.

In montem *Fangnien* & *Hinglang*, per ſcalas lapideas adſcenditur.

Apud urbem *Kiangxan* mons *Civen* trecentorum ſtadiorum longitudine, per quem tranſitus in *Fokien* datur. Altiſſimus & maximè præceps collis *Sienhoa* vocatur, quem formâ cocleæ trecentis & ſexaginta gradibus ad faciliorem aſcenſum exciderunt. In ſupremo vertice ſacellum magnificum & ſplendida diverſoria ſunt.

Pontes & Catarractæ.

IN *Xenſi* apud pagum *Sigan*, in fluvio *Guei*, tres Cataractæ ſunt una Ortum, altera Occaſum verſus, tertia in medio altis ex lapide fornicibus. Ferrei obices, Leones & alia operi ſplendorem conciliant. Similis apud urbem *Lantien* eſt.

Apud *Hanchun* opus, cui toto orbe ſecundum non datur, reperitur. Quippe *Changleangus Licupangi* Dux omnes altiſſimos illos montes & profundiſſimas convalles æquavit & complanavit. Ad utrumque latus muri recta in cœlum uſque aſſurgunt, vix Solis lumine depreſſas vias irradiante. Alicubi duos montes pontibus junxit, qui tertiam viæ partem conficiunt, tantæ altitudinis, ut deſpectantibus in profundum comæ præ horrore ſtent. Via tam lata eſt, ut quatuor ſimul equites capiat; ac ne quis de pontibus decidat, clathra ferrea vel lignea utrumque latus claudunt. Ab urbe *Hanchung* uſque ad urbem *Sigan* hæc ſtupenda via pro-

procurrit. Sinæ hunc pontem *Cientao*, id eſt viam fulcrorum nominant.

Apud urbem *Chegau*, pons *Fi*, ab uno ad alterum montem unius fornicis ſtructus, per quem Croceum flumen labitur. Longitudo ejus ſexcentorum, altitudo ſeptingentorum pedum. Sinenſes pontem *alatum* vel *volantem* vocant.

In *Honan* apud *Queite*, cataracta in mari *Nan*, ex quadrato Saxo eſt.

In *Huquang* apud *Sianyang*, cataracta per fluvium *Han*, ex ſecto lapide diverſis fornicibus conſtans.

Apud *Changte* vortex *Lungmuen* eſt, cui cataracta naturalis adjacet, quadrata ab uno ad alterum montem uno latere duorum ſtadiorum longitudine.

In *Kiangſi* apud *Gangin* pons memorabilis, qui *obedientiæ & ſubjectionis* vocatur, quam vidua quædam marito & parentibus amiſſis in ſolamen extruxit, ac eo perfecto ſeipſam inde in flumen præcipitavit.

In eadem regione apud *Cancheu*, ubi fluvius *Chanus* & *Can* confluunt, pons longiſſimus centum & triginta navibus impoſitus eſt. Naves ferreis catenis colligantur. In ipſo ponte telonium & una navis facile aperiri & claudi, tranſmittendis navibus, poteſt.

In *Nanking* apud *Siucheu*, pons triginta quinque navibus, ferreis catenis colligatis, innititur.

In *Chekiang* apud *Kinhoam*, in vertice montis *Fangnien*, vallis ingenti ponte conſtratus eſt.

Apud *Cuki* ſub urbe *Ningpo*, pons lapideis columnis centum perticarum longitudine innititur: & alius admodus altus trium fornicum.

In *Fokien* apud *Focheu*, inſignis Cataracta centum quinquaginta perticarum longitudine, dimidiæ latitudine in ſinu maris ex albo lapide, centum conſtans altis fornicibus, utrimque clathris & lapideis leonibus armatis, quam ad utrumque latus podia & cancelli debitis intervallis ſupra lapideas baſes nixi, ornant. Similis pons apud *Focing* ſive *Vangan*, centum & octoginta perticas longus.

In *Civencheu* pons *Loyang*, cui toto orbe ſimilis non datur, ex nigro lapide trecentis columnis navium forma innixus. Singulis columnis quinque æquales lapides, ſinguli octodecim paſſus longi, duos lati & craſſi impoſiti ſunt: latera clathris clauduntur & leonibus exornantur. *Quem auctor Sinicus ita deſcribit, jacet pons* Loyang *ad urbis* Barrolybicum, *ſupra* Loyang *flumen exſtructus, etiam* Vangan *dictus; hunc ædificavit urbis Præfectus* Cayang, *ejus longitudo ultra trecentas, & ſexaginta perticas protenditur, latitudo autem ſesqui perticam obtinet. Priusquam pons ſtructus eſſet, navibus patebat tranſitus, ſed quotannis propter æſtum vehementiam quam plurimæ cum ipſis vectoribus mergebantur. Optabat* Cayangus, *ut hominum, ac præſertim*

ſuorum

ſuorum ſaluti & incolumitati conſuleret, pontem extruere, ſed cum ad hoc opus hominum vires nullo modo intelligeret ſufficere, videretque maximam aquæ altitudinem fundamentis jaciendis minime aptam eſſe; invocato ſpiritu maris petiit, ut æſtum contineret, obtinuitque (ſi credere fas eſt) poſtquam maria omnia fuere pacata, atque uno ac viginti die æſtus ceſſavit: tum demum fundamenta jacta, inſumptaque ad quaterdecies centena aureorum millia: hæc ille. Pons iſte non arcuatus ex nigro lapide trecentis columnis, navium formâ, innixus, utrinque in angulum acutum deſinentibus, ut minus ex aquarum alliſione atteratur, in ſuprema lapidum coagmentatione ſingulis columnis correſpondent quinque æquales lapides, ſpatii latitudinem occupantes, quorum ſinguli octodecim paſſus longi, duos lati, ac totidem craſſi. Numerantur ergo ingentes illæ lapideæ, ut ſic dicam, trabes mille & quadringentæ. Stupendum omnino artis miraculum, non ex eo tantum, quod columnis tantæ moles incumbant, ſed vel maxime, quod horæ tantæ magnitudine & numero parallelæ uſpiam reperiri, exſcindique potuerint. Ne vero tranſeuntes, è ponte delabendi ullum ſubeant periculum, podia ex eodem lapide utrinque cum leonibus, aliiſque ornamentis, qui baſibus inſiſtunt ſuis, adſtructa ſunt. Sed notandum, hanc eam eſſe partem, quæ eſt inter Logan *oppidum & caſtellum, ſupra ipſum pontem ædificatum: illo enim ſuperato alia pars pontis ejuſdem operis, ac artificii ſequitur. Quod ad ſumptus attinet; parvi hi forte cenſebuntur ab Europæis pro tanto opere. Aſt conſiderandum, maximam operariorum partem, cum publicum extruitur monumentum, apud Sinas gratis ſervire; eorum vero, quibus ſtipendium ſolvitur, adeo exilis eſt merces, ut unius Europæi ſtipendium hic facile decem ſufficiat.*

In *Cangcheu*, tertia metropoli pons triginta ſex fornicum lapideus tanta latitudine, ut utrimque ædibus & officinis ſit inſtratus.

In *Kienning*, quarta Metropoli ejuſdem Provinciæ pons fornice tectus, ædibus utrimque mercatoriis conſtructus, fluvio *Nin* impoſitus. Columnæ ex lapidibus, cætera lignea ſunt.

In *Xa* oppido urbis *Ienping*, quintæ metropolis ejuſdem Provinciæ pons magnificus ædibus & utrimque cinctus.

Apud *Liping* ſeptima Metropolis Provinciæ in *Queicheu*, pons *Tienſem*, id eſt à cœlo factus, ex unico ſaxo rivo *Tanki*, latus duas perticas, viginti longus.

Ad Occidentem *Piecie*, primum ſupradictæ Provinciæ munimentum profunda vallis, per quam torrens ingenti aquarum in præceps ruentium lapſu, atque impetu volvitur, pons ligneo ferreis viginti catenis, montium annulis ac utroque latere infixis, quarum ſingulæ viginti perticarum longitudinem habent, via ſternitur. Dum plures per eum ambulant, totus tremit, horribili in depreſſa aſpectu.

Similis pons in *Iunnan*, quarta Provinciæ metropoli, reperitur, quem *Mingo* Hanæ familiæ Imperator condidit circa annum Chriſti ſexageſimum quintum.



Apud *Chincheu*, in *Suchuen*, pons lapidens multorum fornicum centum perticarum longitudine.

Apud *Quangsin*, & montem *Paofung*, pons vetuſtus longus centum & quinquaginta pedes.

NAVES.

Sinica navium architectura.

SInenſium naves longe Europæas ſuperant magnificentia & altitudine, neque niſi quis viderit, facile credet, quanta illarum ſit copia & elegantia. Altiſſimas in fluminibus ædes repræſentant, cubiculis amplis inſtructa. In medio ſpatioſum atrium copioſa ſuppellectili inſtructum cernitur. Feneſtræ & januæ clathris ligneis curioſe ſectis obducuntur; pro vitris tenuiſſima pelle oſtrearum, vel ſericea tela, quæ omnem excludunt ventum, cerata variè picturata utuntur. Extus navim ambulacra ambiunt, ubi nautæ absque rectorum incommodo ſua expediunt. Tota navis gummi *Cie*, illita reſplendet variis picturis aureo & flavo colore exornata. Trabes ita coagmentatæ, ut vix clavum deprehendas. Longitudine Europæas triremes æquant, ſed non tam altæ & latæ ſunt: ſcalis duodecim pedum in eas aſcenditur. Prora, ubi tubicines & tympanotribæ, caſtelli ſpeciem refert. Audito ſonitu, aliæ naves dignioribus cedunt; dignitas aureis literis proræ inſcribitur. Vexilla & ſericea vela per aërem ſpiris ſuis ventilantur.

Vela ex arundine inſtar flabelli complicantur. Tranquilla tempeſtate

ſtate naves funibus aut remigio promoventur. Remos inſtar piſcium ſub aquis raro artificio agitant; ſæpe unico tantum remo navim protrudunt.

Naves, quibus piſcis *Saul*, & ſericea tela in aulam Pekingenſem transportantur, incomparabili pulchritudine intus extusque inauratæ & rubricatæ reſplendent. Iis cunctæ aliæ cedunt & vela demittunt.

In Provincia *Nanking*, apud tertiam metropolim *Sucheu*, multa navigia ad voluptatem & luxum magnificè inſtructa reperiuntur. Incredibilis multitudo navium, quæ ab uno ad alium locum navigant. Canales & foſſæ tota Sina frequentiſſimæ, ut nulla fere urbs ſit, ad quam non navigiis perveniri poſſit.

A *Makao* Pekingam, à *Chekiang*, per totam *Suchuen* navigatur. Urbes integras claſſes hinc inde pro ancoris ſtantes repræſentant, & ſunt, qui totam viam in navibus tanquam continente cum familia & pecore tranſigunt.

Apud *Hangcheu* in *Chekiang*, lacus amœnus *Si* eſt, in quo naves palatiorum inſtar aureorum vehuntur; omnia auro & picturis reſplendent. In iis convivia, Comœdias & vitam voluptariam ſecuri agitant, quamvis plurimæ per hæc bachanalia, exortâ tempeſtate, pereant.

In *Fokien* tanta navium abundantia, ut incolæ Imperatori in nupero Japonico bello promiſerint ſe Oceanum usque ad littus Japoniæ ponte navali conſtraturos.

Apud *Focheu* fluvius *Min*, urbes *Buching*, *Ienping*, & *Xuikeu*, præterlabitur ingenti celeritate, & tamen exiguis ſcaphis, quæ duobus longis clavis in prora & puppi ingenioſe reguntur, ſecurè eum Sinenſes navigant, per vallium anfractus & horrenda præcipitia, vix unius ſcaphæ capacia. Cymbæ illæ ex tenera & flexili materia funiculis compacta & fluctibus ac ſaxis cedente, conſtant. Unde proverbio Sinico dicitur: *Naves ſunt chartaceæ, nautæ ſunt ferrei.*

Pirata *Iquon* frequenter ad littus *Fokien*, & caſtella *Hiamnen* ac *Ganhai* claſſem trium millium navium ſimul pro ancoris ſtantem habuit. Quanta navium diverſitas in Sina reperiatur, quove artificio ingens familiarum numerus, claſſibus ſuis de loco in locum transferant, fuſius in legatione noſtra dictum.

Aulæ Præfectorum.

IN ſingulis urbibus quindecim aut viginti aulæ Præfectorum, quæ Regia Palatia referunt, conſpiciuntur: in minoribus oppidis minimum octo, vel quatuor æquali magnificentia, ſed diſpari magnitudine ſunt. Tres in ſingulorum frontiſpicio portæ, marmoreis leonibus inſignes. Maxima porta ſpatioſam aream, cancellis gummi *Cia* illitis cinctam, habet,

habet. In ea duæ turriculæ cum tympanis & tubis, quas præfecto exeunte aut ingrediente pulſant & inſonant.

Interius ſpatioſum atrium, in quo audientiam præfectus cupientibus largitur: ad utrumque latus ædiculæ, quas aulici inferiores habitant. Singula palatia duos minores quoque aulas habent, in quibus hoſpites excipiunt, in his ſedes & reliqua ad hoſpitum exceptionem deſtinata. Poſt illas tres aliæ portæ, quæ non niſi Præfecto tribunal aſcendente, reſerantur: media porta inſignis magnitudinis, per quam ſoli nobiles & magnates ingrediuntur; cæteri per minores. Tum alia area, in cujus extremitate magna aula columnis innixa, nomine *Tang*. In hac præfectus jus dicit: utrimque tabelliones, curiales, miniſtri publici, habitant, quorum illa ſedes conſtans, nec cum Præfecto adveniunt, vel diſcedunt.

Sequitur Palatium interius *Sutang*, id eſt *Secretum*, in quod nonniſi intimi Præfectorum ad colloquium, & ſalutationem admittuntur. Poſt per magnam portam circum hanc famuli domeſtici & Præfectorum proprii degunt, ad ædes Præfecti pervenitur, in quibus cum uxore & liberis vivit. Sunt & luci, ambulacra, lacus, horti & quicquid ad delectationem facere poteſt; naves, ſuppellex, mancipia, victus, omnia Regio ſumptu Præfectis ſuppeditantur, qui ſi diſcedant, & alio transferantur, cuncta ſecum auferre licitum: novo Præfecto alia ſuppeditantur.

In *Cingtu*, prima metropoli Provinciæ *Suchuen*, olim Rex quidam ex familia *Taminga*, qui juriſdictione ac titulo ſoli cedebat Imperatori, cœtera omnia Cæſareo ſplendore ac apparatu adminiſtrans. Palatium quatuor milliarium Italicorum circuitu habuit, quatuor portis inſigne multisque arcubus triumphalibus ſpectabile.

In *Tali*, Provinciæ *Iunnan* Palatium, relaxandis animis exædificatum, magnificum ambitu quinque ſtadiorum, altitudine decem perticarum ad voluptatem extructum eſt.

Apud *Hinghoan* in *Fokien*, ad pedem montis *Chinyven*, lacus *Chung* eſt, cujus ripæ magnum Palatium, in quo decem aulæ ſunt, adjacet. In hoc Palatio quoties pluvia vel ventus imminet, ſonus quaſi campanæ auditur. De aula *Pekingenſi*, ſupra in legatione actum.

Caput Duodecimum.

De Fluminibus, Catadupis, Fontibus, Flumina.

ABsolutis mortalium artificiis, jam ipsa naturæ prodigia & miracula spectare animus, exordio per fluvios sumpto.

Duo primaria Sinæ flumina sunt *Kiang* & Croceum flumen, KIANG, qui & *Yangou Kiang filius Maris*, dicitur totam Sinam in partem Borealem & Australem dividit, ab Occidente in Orientem fluens (qui, qua Provinciæ *Suecheu*, maxime vergit ad Occidentem in *Sifan*, longissime excurrunt, radicibus Boreis Metropolim *Guei* attingentes) inde egressum flumen magno aquarum impetu, metropolim alluit, factoque undarum divortio, in varios sese extendit ramos, magnamque Regionis partem in insulæ modum coactam, gyro suo complectitur, varia nomina à regionibus, quas permeat, accipiens.

A montibus *Min*, unde exoritur, *Minkiang*, apud *Sincin*, urbem *Takiang*, apud *Liucheu*, *Liukiang*, apud *Kingcheu*, iterum *Takiang* vocatur. Et hactenus multis mæandris summo cum impetu per rupes & asperas convalles labitur, donec apud *Kingchau*, lenior jam & placidior, receptis ex mari *Tungting* & *Pengsi*, vel *Poyang* copiosis aquis, labitur, ac magis magisque tranquillus navigationem secundo & adverso vento plenis velis fert apud lacum *Foum*, donec tandem latitudine duorum milliarium urbem *Nanking* & *Chinkiang* præterlapsus, ingenti se ostio in Oceanum Orientalem evolvitur. Dictu mirum per tantam terrarum longitudinem in noviluniis & pleniluniis præsertim huc usque maris æstum sentiri, piscibus maritimis adversas undas ascendentibus.

Flumen à fundo *Croceum*, Sinis *Hoang*, incredibili celeritate cursum præcipitat, longitudine octingentorum milliarium, latitudine dimidii: unde nonnisi magno helciariorum numero naves adverso flumine protrahi possunt. Oritur in regno *Tibet* & *Laos*, ex montibus *Quensun*, unde etiam *Ganges*, fontes plures quam centum habet, cujus aquæ supra lacum *Singcien* æstuant; inde per *Sifan*, *Taniju*, desertum *Samo* lapsus, murum Sinensem porta *Se* ingreditur, ac Provincias *Xensi* & *Xansi* disterminans, *Honan* & *Xantung* permeat, donec apud urbem *Hoaignan*, magno fragore Oceano mergitur. Hæc ipsissima Sinarum verba sunt. *Ortus* Hoang *fluvii est inter austra montes* Quenlun, *quos incolæ* Otunlao *vocitant. Aquæ pluribus quam centum fontibus scaturientes, ad superficies lacus, quem efformant, ebulliunt.* Singcieu *mare dicitur; octoginta stadia quadrata*

drata occupat: ex eo aqua, canali deducta, alterum lacum efficit, antecedenti paulo minorem. Inde fluit Hoang *boream versus, nonnihil in Ortum deflectus. Mox* Xensi *Provinciam alluit, rectaque ad Ortum pergit. Tum deinde versus Boream arenosos campos, seu desertam solitudinem præterlabitur, atque hinc versus Austrum* Sinam *subit, & per* Xantung *per mare prorumpit.*

Olim per *Pekingam* quoque & *Nankingam* labebatur, sed Sinæ veriti, ne crebris exundationibus suis Regiones illas depressas & campestres perderet, cursum ejus ingenti labore alio diverterunt. Quippe frequenter ripas excedens proxima quæque limosis suis undis stagnat, quæ adeo sunt fœculentæ, ut proverbio dicatur: *Tum quando flumen Croceum pellucidum fiet.* Sed nautæ limum alumine injecto præcipitant: mox enim quicquid turbidum subsidet ad fundum.

Catadupæ.

IN Provincia *Xansi*, apud *Pingjao* aqua ingenti fragore, cujus sonus ad milliaria aliquot auditur.

In Provincia *Niangsi*, apud *Nancham* primam metropolim mons *Pechang*, id est centum *Perticæ* est, quod aqua cum impetu centum perticarum altitudine ruat.

In fluvio *Chuem*, qui apud *Xunking*, per rupes & saxa ruit, sex & triginta catadupæ sunt, è quibus aqua horrendo fragore præceps delabitur. Rivus *Xemuen* vel *Hing*, ex præcipitio, quod Campana dicitur, fluit.

Fluvius *Yao* apud *Linijao*, instar tonitrui labitur.

In pago *Chunking*, apud oppidum *Chung* rivus *Mingyo*, ex rupibus confragosis labitur

Ex montibus *Taye*, aqua quadringentarum perticarum altitudine ruit.

Apud oppidum *Tau*, præcipitium aquarum mare facit.

Apud *Choxang* rivus X*angyung* præcipitium habet, cui lapis injectus, statim pluvias & tonitrua facit.

Apud *Hoeicheu* rivus *Singan*, inter valles & rupes trecenta sexaginta præcipitia habet.

In *Fokien* apud *Tincheu* rivus *Ienpingam* ducit, multis aquarum præcipitiis & brevibus infamis. Nautæ fasciculos straminis injiciunt, quibus leniter allabentes naves à naufragio defenduntur.

In *Quangsi* apud *Pinglo*, rivus *Ly*, in quo trecenta sexaginta præcipitia, ut vix navigabilis sit.

In *Queicheu* apud *Canchoang*, præcipitium duodecim perticas altum.

Apud *Kiegan* fluvii *Kan*, ubi periculosæ & naufragæ rupes X*etapan*, quod decima octava præcipitia (totidem enim) designat.

Apud

Apud *Ce* est rivus *Tan*, id est *ruber*; nam aqua ejus sanguinis instar rubet.

In *Chingtu* pago *Suchuen*, apud oppidum *Cu*, rivus *Margaritarum* fluit, quod noctu in eo fulgor Carbunculorum instar appareat, quos Sinæ *Iemingo*, id est *lumina nocturna* nominant.

Apud *Iungcheu* fluvius *Siang* Cristallinas aquas fundit.

Apud *Foming* rivulus ex monte *Talao* fluit, cujus aquæ autumno cœruleæ sunt; incolæ tum vestimenta sua in iis lavant, quæ cœruleum colorem imbibunt.

Rivus *Io* apud *Kancheu* debilis vocatur, quod aquæ ejus tam debiles sint, ut ne plumam quidem ferre possint.

Apud *Chingtien* in monte *Cucai* rivulus suaveolentes aquas habet.

Apud *Han* rivus *Co*, cujus aquæ ferrum indurant.

Apud *Choxau* est rivus *Cungyang*, cujus aquæ omnes ex vestibus maculas tollunt & ferrum indurant.

In *Hoquang* est rivus *Han*, ex montibus urbis *Vuchang* fluens, cujus aquæ frigidissimæ æstum caniculæ temperant, unde Reges Palatium ibi struxerunt, vitando calori æstivo.

In *Honan* apud *Hoaiking*, rivus *Ki*, ex monte *Vanguo* fluit; inde sub terra absconditur, mox iterum prorumpens lacum *Taye* facit, inde denuo profluens *Ci* vocatur.

Fluvius *Kinxa* aurifer vocatur, quia accolæ magnam auri copiam ex eo colligunt.

Urbem *Pexan* præterfluit rivus *Che*, qui & *Hoanglung*, id est *Draco flavus* vocatur.

Siangyn præterfluit amnis *Mielo*, ex eo celebris, quod Festi, apud Sinas *Tuonu* dicti, causa fuerit. Id quinta die quinti mensis per universam Sinam magno apparatu, in memoriam Præfecti, qui cum à proditoribus peteretur, se in *Mielo* flumen præcipitem dedit, magno apparatu colitur populis ovantibus applaudentibusque. Erat ille genti, quam regebat, gratissimus, eam ob rem in ejus honorem, eo die ludicra in navibus instituta certamina, celebrataque convivia, quibus Præsidi ob redemptionis beneficium gratulabantur. Pulcherrimis, deauratisque naviculis & in varias Draconum figuras elaboratis, discursantes certantesque pugnas miscent. Ab hoc exordio per totam Sinam ita sumpsit incrementum, ut etiamnum pretiosa victoribus præmia decreta sint.

Sub *Kiegan* nonam Provinciæ *Kiangsi* metropolim prope nonum oppidum *Iunsing* rivus datur *Senting*, fistula dictus ex eo, quod ipsius aqua per saxa velocissimo cursu profluens suave murmur, ac quasi gratam vocem suo decursu efformet. Aquæ fluminis *Xo* in X*incheu* decima ejusdem Provinciæ metropoli, prope secundum oppidum *Xangcao*, medicinales,

nales,haud aliter ac Spadanæ noſtræ,celebrantur. Fluvius *Kingxa* in Provincia *Iunnan* ad quintam ſecundæ metropolis *Tali* urbem *Lingkiang* in magnam latitudinem diffuſus triginta ſtadiorum lacum imperſcrutabilis profunditatis efficit.

In decima Provincia *Chekiang* ad primam metropolim *Hancheu* fluvius, qui modo *Che*, modo *Cientang*, modo *Cingan*, ratione decurſus dicitur, die decima octavâ octavæ Lunæ, (quæ apud Europæos decimæ octavæ Octobris coincidit) tam ſtupendum excitat maris æſtum, ut hinc Philoſophi copioſam diſputandi materiam haurire poſſint; adeo famoſa eſt hæc dies circa quartam pomeridianam, ut tota civitas Præfectique accurrant, ac maxime exteri aut advenæ, ſi qui ſint, ut prodigioſam per hunc diem æſtus vehementiam coram oculis uſurpent. Non obſcurum argumentum, æſtum maris, tametſi Lunæ periodis ſe accommodet, non à Luna tantum, ſed ab ipſa conſtitutione Terrarum orbis, varioque flexu & reflexu littorum, fluviorumque exonerationibus opitulari.

FONTES.

IN *Chinting* Pekingæ lacus ex duobus fontibus oritur, quorum unus frigidiſſimus, alter calidiſſimus eſt, cum tamen admodum vicini ſint.

In monte *Ganlo* urbis *Iungchang* lapis eſt, qui nares hominis refert, ex foraminibus duo fontes, unus calidus, alter frigidus, proſiliunt.

In *Tengcheu Xantungæ* fons *Hanuen*, ſimul calidas frigidasque aquas ejaculatur.

In X*enſi* apud *Linchang*, fons criſtallinus, cujus aquæ ſuperiores frigidæ, in fundo (& vix quinque pedum altitudine eſt) ferventiſſimæ ſunt.

In *Quangſi* fons eſt, cujus una pars turbida, altera clara; & ſi permiſceantur, mox iterum turbida a clara ſecedit.

In *Queicheu* apud *Tungpin*, ſimilis fons turbidam & claram ſimul ejaculatur; mox quaſi inimicitia intercederet, turbida & clara in diverſum ſecedunt. In clara potum ex oryza coquunt.

Apud *Iungping* aquæ calidæ fons, ut ova in eo excoquantur.

Apud *Hiaoy* mons *Caotung*, thermis & calidis fontibus frequens.

In *Huquang* apud *Hoangcheu* mons eſt, ex quo calida aqua fluit. Talis quoque fons apud oppidum *Ju*, qui *Ven* vocatur.

Apud *Iuencheu* ex monte *Nang*, fons frigidiſſimus oritur, cujus aquas niſi parum Soli exponantur, nemo præ frigore bibere poteſt.

Apud *Chenning* fons *Caikus* frigidiſſimus eſt, cum tamen tota Regio ignibus ſubterraneis æſtuet.

Apud

Apud *Iongan* in *Xensi* ex montibus bitumen ſive petroleum exudat.

Apud *Hoaiking* in *Honan* olim mons *Tai* diſruptus voragine trecentarum perticarum profunda, ex qua bitumen inſtar olei fluit, quod loco olei uſurpatur & guſtu admodum gratum eſt.

In *Suchuen* oppido *Nuikiang* fons eſt, qui inſtar maris æſtuat.

In *Fokien* apud *Hinghoam* in cacumine montis *Hucung* puteus pariter, ut mare, æſtuat.

Apud *Iungchang* mons *Gailo* profundum puteum habet, cujus aquæ prout altæ vel depreſſæ ſunt, fertilem aut ſterilem annum portendunt.

Apud *Iungking* fons *Tieju*, id eſt *lacteus* à dulcedine aquarum dicitur.

Apud *Vuting* fons *Hiangxui* odoris aquis & medicatis in vere eſt, quo tempore incolæ ſacrificia fonti offerunt & decoctum *Oryzæ* vino mixtum bibunt.

In *Honan* pulcherrimus fons *Ping* eſt & juxta eum columna.

In *Huquang* apud *Hoangcheu* fons *Loyu*, quo ad potum *Cha* utuntur.

In *Iunnan* mons Xang, fontem frigidiſſimum habet, cujus aquæ podagram curant.

In *Quangnan* rivus *Nanmo*, calidam aquam fundit & medicatam

Apud *Cioking* fons calidus eſt, in quo lavant, qui pectoris anguſtia & obſtructionibus laborant.

Apud *Lingan* in monte *Sieu*, fons eſt cujus aquæ potæ carnem dealbant & pinguefaciunt.

Apud X*unte* in cavo monte *Tang*, id eſt *Balneo*, calida aqua eſt.

Apud *Chelo* in monte *Manglo* aqua venenata eſt, homines & pecora vel minimum pota occìdens.

Apud *Yaogan* fons ſalſus eſt, ex quo ſal excoquitur.

Apud *Penxui* in monte *Fonien*, multæ Salinæ, nec non apud *Queicheu* in ſterilibus montibus. In *Hengman* triginta octo fontes & in *Nanmin* novem ſalinæ ſunt.

Apud *Iangcheu* multæ Salinæ unde ſal excoquitur.

In *Kiangſi* apud *Nanking* fons *Lien* cujus aquæ, in ſaliendo pannum argenteum referunt. Ex hoc fonte triginta rivuli oriuntur, ejusque aquæ ſaluberrimæ cenſentur.

Apud *Sintien* ex monte *Caimiao* aqua iridis ſpecie, dum Sol fulge proſilit.

Apud *Iaocheu* mons *Xehung*, id eſt *lapideus Iris* vocatur, quod ejus aquæ iridem repræſentent.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De MONTIBUS.

Curiosissimè Sinenses naturam montium scrutantur, quos à Draconibus habitari credunt, quibus omnem felicitatem suam adscribunt. Quare sepulchrum structuri, omnes montis venas pervestigant, ut terram fœlicem, nimirum Caput, caudam, vel cor Draconis nanciscantur, quod inde omnem posterorum defuncti felicitatem pendere arbitrantur. Hinc innumeri hanc montium indagandorum scientiam jactantes, velut Astrologi & Chiromantici, tota Sina vagantur.

In montibus præcipue magnitudo, altitudo, forma, cacumina & valles spectantur. Omnium Sinæ montium maximus & amplissimus est *Kiming* apud *Kinhoam* prope *Yu*: minimus *Lungciven* apud *Kungyang*, ambitu duorum milliarium cum dimidio.

Altissimus montium Sinæ, est *Pie* apud *Sintien*, supra nubes quam longissimè elatus. Proximi ab eo sunt mons *Tafung*, *Iuntai*, *Hocang*, *Loyang*, *Kiming* cujus cacumen vix novem diebus conscendi potest. In *Suchuen* omnium altissimi montes sunt.

Cacumina centum & octoginta octo mons *Xuming* apud *Xaohing* in altum tollit. Mons *Pie* instar cylindri verticem elevat, unde etiam *Pie*, id est *penicillus* vocatur.

Sunt etiam crebræ in montibus speluncæ, velut in monte *Tungting*, *Taiping*, *Iungte*, *Queikive*, *Chengleang*, *Cokien*, *Hayang*.

Salutares montes ob aëris constitutionem habentur, *Pao*, *Into*, *Cokien*, *Kaoleang*.

Forma montis *Ly* in *Quangsi* Elephantum refert. Mons *Utung* hominem facie cernua repræsentat. Mons *Tienmo* oculus cœli vocatur, quod in vertice duos oculos habeat.

Mons *Mingue* totus perforatus est, cujus foramen, si quis è regione stet, Lunam fulgentem refert.

Mons *Chicang* tempestate imminente ita fremit, ut ad duo milliaria exaudiatur.

Si nix in monte *Pequi* liquescat, signum fertilitatis est, si vero æstatem duret, sterilitas imminet.

In monte *Fang* vere & autumno nullus ventus sentitur; æstate ex spe-

ſpeluncis continui venti ſpirant; qui hyeme per ſpeluncas attrahuntur.

In monte *Lingſung* poſt pluvias noctu magna flamma apparet, nullo aëre ſicco.

Mons *Hoo* igneus vocatur, quod noctu multæ velut candelæ in eo luceant. Sinenſes cicyndulas eſſe putant.

Mons *Tienul* apud *Monghoam* auris cœli vocatur ob echonem ſuaviſſimam.

In monte *Fungcao* Phœnix nidulari dicitur.

In monte *Quan* falcones & vultures capiuntur.

In monte *Sinfung* feri homines & beſtiæ reperiuntur.

In monte *Holan* feri equi, in monte *Linijao* & *Nilò* feri boves, & tigres, in monte *Cutien* Tigres innoxiæ reperiuntur, & delatæ eo feræ Tigres ac Serpentes, ibi manſueſcunt.

In monte *Toyung* ſimiæ humana forma ſunt.

In monte *Cio* ſaxum quinque perticas altus & octodecim craſſus, qui tremit & movetur tempeſtate imminente.

In monte *Yoinu* imago naturalis pulcherrimæ fœminæ reperitur.

In monte *Chingleang* ex unico ſaxo mille Idola ſunt exciſa.

In monte *Vangkiu* ſtatua humana eſt, quæ pro aëris temperamento varios colores aſſumit, unde accolæ aërem ſerenum aut turbidum conjiciunt.

Montem *Fang* Imperator *Xius* perforari juſſit, ut prædictionem hariolorum, alii Imperium deſtinantium, irritam faceret.

In monte *Cokieu* vaſta ſpelunca, in cujus fundo imago hominis animalis, quam imaginem, ſi quis intueatur & clara voce compellet, ſtatim tonitrua & tempeſtates oriri dicunt.

In monte *Fiyun* veſtigia humana impreſſa reperiuntur.

In monte *Loyo* imago Leonis, ex cujus ore fons fluit.

In montis *Cuking* magnum auri fruſtum repertum, quo multi morbi curantur; unde arte Chimica confectum creditur.

Mons *Lin* celebris eſt, quod in eo *Heuyus*, inſignis ſagittarius ſeptem aves totidem ſagittis inter volandum trajecerit.

Mons *Changping* nativitate Confutii famoſus eſt, cujus parentes in monte *Fang* ſepulti jacent.

Mons *Kieuchin* à novem virginibus appellatur quæ ibi Alchimam exercuerunt.

Moyung mons paſtorum appellatur quod in eo pulcherrima virgo olim paſtoritiam exercuerit.

In monte *Cu* Rex *Ci* magnum auri pondus defoderat, occiſis quorum ad id opera uſus: ſed puer quidam id obſervaverat, qui etiam aurum inde abſtulit.

In altiſſimis montibus *Suchuen* regnum eſt, quod *King* vocatur, cujus incolæ

incolæ liberi & ob naturam montium Sinis inexpugnabiles ſunt. Ita in montibus *Queicheu*, *Changno*, *Kiangſi*, *Fokien* & *Quangtung* feri homines Sinis hactenus indomiti habitant.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Metallis, Terris, Lapidibus.

Metallorum tota Sina uberes venæ, ſed aurum ac argentum effodere leges prohibent: ad fluminum ripas legere licet, ibique copioſum aurum reperitur, nam exiſtimant, noxiis terræ exhalantibus vaporibus in mineris paſſim interire homines, quorum vitam pluris, quam aurum & argentum (propter quæ Europæi terrarum viſcera ſcrutantur & evacuant, ſoli ſuperficiem hominibus ſurripientes) ab Imperatoribus ac Regibus æſtimari par eſt. Cætera, argentum vivum, æs, ferrum, ſtannum, cinnabaris, lapis lazuli, vitriolum paſſim.

Per totam *Suchuen* excellentes magnetes, optimi apud *Liucheu* & in *Huquang*.

In montanis *Yocheu* lapis viridis, qui tuſus colorem viridem pictoribus exhibet.

In *Quantung* apud *Kaocheu* & *Tali* in *Iunnan*, marmor, quod in tabulas ſectum arbores, flores, Regiones & varias imagines pulcherrima colorum varietate exhibet.

In *Peking* Cryſtallus, album & rubrum Marmor: in montibus *Xaitung*, Regionis *Xanſi*, Jaſpides.

In *Xenſi* etiam Jaſpis copioſus Europæo clarior hinc inde maculis ſubceruleis variegatus, quem ſolus Imperator ſibi vendicat.

In Xen*ſi* apud *Chengyven* in monte *Io*, lapilli adamantum æmuli, qui Sinis magno in pretio ac æſtimatione ſunt. Comparatur à mercatoribus ex Regno *Yarken*, quem magno hic diſtrahunt quæſtu, & lucro. Gagatem aut Jaſpidem Europæum refert, niſi quod pellucidior, & intermixto ſubinde tenuiore colore cœruleo albeſcat. Facile quis credat, unum hunc eſſe ex iis, quos Sacræ Literæ recenſent, atque inter duodecim lapides illos pretioſos, qui veſti Aaronis attexendi erant, enumerari, ſi modo lapis tantæ magnitudinis forma quadrata reperiri poſſit, ut unum illius latus dumidium palmæ æquet, qui tum inæſtimabilis evadit pretii, atque à ſolo Imperatore comparatur.

In monte *Kiun* Marmor rubrum.

In


KIANGSI

In *Huquang* apud *Kingcheu* & *Quenlin* in *Quangsi* lapides, quo Sinæ atramentum ſuum temperant.

In *Quangtung* apud *Nanhing*, lapis atramento Sinico æmulus, cum quo, ut nos creta, albis tabulis inſcribunt. Ibi quoque lapis tam durus, ut ſecures & cultros inde conficiant.

In *Peking* lapides lydii.

In *Honan* apud *Changte* mons, qui magnes dicitur ob copiam illorum lapidum.

Apud *Paoning* mons *Io* gemmarum proventu inſignis. Sed difficilis aditu.

In *Suchuen Kienchang* mons *Tiexe*, cujus igne fuſi lapides ferrum exudant, acinaci & enſibus idoneum.

In *Huquang* apud *Hoangcheu* mons *Pao*, lapilli, qui Soli expoſiti rubeſcunt & flaveſcunt, durante ad tempus colore.

Apud *Chingtien* mons *Cucai*, cujus omnes arbores & lapides rubri.

In *Huquang* apud *Ganhiang* mons Hoan, id eſt flavus, quod ejus terræ, lapides aureo colore fulgeant. Ita mons *Tayven* apud *Unchang* tales terras & lapides profert.

In *Iunnan* apud *Cioking*, mons *Kinhoa*, cujus vertex aureo colore aſſurgit.

Apud *Chungchang Xensi*, ſubcœrulei lapilli albis lineis variegati, quorum calx uſta vitam prolongare creditur.

In Huquang monte *Uxe* nigri lapilli, quorum pulvis anginam & fauces ſanat.

Apud *Hengcheu* mons *Xeyen* lapillos forma hirundinum profert. Medici maſculos à fœmellis diſcriminare norunt & medicamenta inde conficere.

In monte *Ciepuon* apud *Tochi*, varia lapillorum genera.

In *Chekiang* apud *Taicheu*, mons *Gueyn*, cujus omnes lapides quadrati.

Apud *Siaoxan* lautumia toti fere Sinæ ſaxa ſuppeditans.

In *Xensi* apud *Lantien*, in monte *Vutu*, & apud *Cungchang* terra, antidotus contra venena & febres, & hydroprobiam, effoditur. Rubicunda nigris exſperſa maculis eſt, quodam inſtar cinnabaris rubet, ſed inepta ad pingendum. Eadem in *Suchuen* apud *Po* reperitur. Vino macerata bibitur, Europæis incognita.

Ex monte *Fangtai* vitrum Moſcovicum effoditur: copioſum etiam in monte *Iumo* reperitur. Calx uſta vitam prolongat, in vino hauſta. Hoc vitrum etiam in *Nanking* apud *Fungyang* effoditur.

In *Quangsi* apud *Cincheu* terra flava, venenis reſiſtens foditur.

In Huquang apud *Changte*, Manna colligitur, etiam apud *Minxan* in altiſſimi montis vertice. Sinenſes pro rore conplanato habent.

In *Xansi* monte *Tape* terra cinnabaris inſtar, cum qua Sinæ ſigilla ſua tingunt.

In

In *Xanſi* apud *Nieuxeu*, terra albiſſima, qua fœminæ pro ceruſſa, tollendis maculis & fuco faciendo utuntur. Sinis *Queiki* vocatur, quod *nobilem fœminam* ſignificat.

In *Xenſi* apud *Lentien*, monte Jo, cœrulea terra foditur tingendis veſtibus idonea.

In *Xanſi* carbones inſtar Leodienſium effodiuntur, quibus in Septentrionali Sina ad ignes utuntur. Tarde ignem concipiunt, conceptum ſemel pertinaciter ſervant.

In *Peking* apud *Pingco*, montes *Kie* & *Sui*, ubi itidem carbones uſtiles effodiuntur.

In *Sina* bituminis genus ex cortice arboris cujuſdam extillans picis tenacitate, unde genus rubricæ conficitur, Luſitanis *Ciaro*, Sinis *Cie* dictum, cum quo lectos, ſuppellectilem, domos, naves illinunt, unde ſpeculorum inſtar reſplendent. Et hæc cauſa, cur ædes in *Sina* & *Japonia* adeo ſplendeant & oculis blandiantur. Unde raro in menſis mappa, aut linteis utuntur, nam pinguedo facile aqua eluitur, bitumine nullas ſordes tolerante. Oleum quoque ex fructu arboris cujuſdam exprimitur, ſed non adeo ſplendidum, quanquam frequentius eo utantur. De porcellanorum materia jam ante actum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Radicibus, herbis, fruticibus, floribus, Arundine, arboribus & fructibus.

VAſtiſſimus Regni Sinici per quatuor mundi plagas tractus ob diverſimode temperatum aëra vario pariter ac copioſo vegetabili gaudet. Luxuriat cunctis, quæ natura Europæis novercali conceſſit manu. Ut hoc lectori conſtet, quibus ſingulæ Provinciæ rideant, breviter Botanicam ſubjungemus.

Radices.

IN *Iungping Pekingæ* & *Xanſi* apud *Leao*, prænobilis radix Japoniis *Niſi*, Sinis *Ginſeng*, quod humanam formam (*Gin homo* eſt) cruribus divaricatis referat, unde Mandragoræ ſpecies cenſetur. Sicca flaveſcit nigris venulis variegata. Manſa ſubdulcis cum pauca amaritie. Multiplicat

plicat duodecima unciæ pars ſpiritus vitales & calorem innatum: unde robuſtis & calidis letalis cenſetur; ſolis convenit debilibus & exhauſtis morbo. Animam agentes reſtituit, ut ſæpe convaleſcant. Libra ejus tribus argenti libris venditur.

In *Xenſi* Rhabarbarum Sinis *Taihoang*, id eſt ſumme flavum, magna cura plantatur. Terra, in qua luxuriat, rubra eſt & lutoſa ob fontes & pluvias: folia pro ratione plantæ magis vel minus duobus palmis longa, inferne anguſta, ſuperne ampla, limbus illorum lanuginem piloſam habet, quæ tamen, ubi adoleſcunt & maturantur, marceſcunt, & flaveſcentes in terram declinant. Truncus uno palmo ſupra terram eminet, ex quorum medio ramus ſubtilis onuſtus floribus, violis magnis non abſimilibus, verticem tollit, qui ſucco expreſſo inſtar lactis cœruleo turget; odorem acutum, quem nares offendunt, redolentibus. Radix non cava, ſed denſa, & paſſim tuberoſa, quam terra recondit, unius, duorum triumve palmorum longitudine, colore ſubobſcure viridi, craſſitie quandoque humanum brachium adæquans; varias circumcirca ſoboles alit, quibus reſectis *Rhabarbarum* diviſum in fruſta, carnem interdiu flavi coloris rubeis refertam venis oſtendit, ex qua ſuccus flaveſcens & rubeus lentore quodam viſcoſus diſtillat. Ne quid virium in Rhabarbaro pereat, experientia docuit, humida illa fruſtra non mox Soli exponenda, ſed prius in oblongis reponenda menſis, ſæpiusque eodem die revolvenda, ut per hoc artificium ſuccus ſenſim concreſcat, qui plerumque intra quatriduum incraſſatur, unde tunc tranſactis per fruſtra illa funiculis, exponunt vento, loco tamen umbroſo, ne radiis ſolaribus contingantur, alioquin unctuoſum illud humidum in vapores reſolveretur, emortuâ tantum radice ſine viribus ſuperſtite. Effodiendo *Rhabarbaro* hybernum tempus optimum peritiores Sinarum Botanici tradunt, antequam viridia folia pullulent, dum ſuccus & virtus magis unita ſunt. Quam ſucculenta radix ſit, liquet, quod ex ſeptem libris recentis, vix una vel altera ſiccata ſuperſit.

Ex *Xenſi* & *Suchuen*, omnes fere Rhabarbarum ad nos in Europam venit, ſive mari, ſive terra per Regna *Caskar*, *Tebet*, *Mogol* & *Perſiam*. Unde errant, qui ibi creſcere arbitrantur: nam ſola Sina Rhabarbarum producit; unde cæteri populi petentes ad nos deferunt

Apud *Xunking*, *Scorzonera* viribus Europæa longe excellentior reperitur, quæ præſentaneum peſtilentiæ remedium, & certa veneni antidotus celebratur, unde ſingulæ familiæ hanc radicem, tanquam Panacæam, & univerſale ad omne morbi genus remedium, domi reſervant.

In *Kiangſi* flos *Lien*, cujus radix præſtans. Hæc radix craſſitie humani brachii, trium quatuorve pedum altitudine in terra ſubtili creſcit, nodulis arundineis diſtincta. Cortex exterior ſolidus & bonus, medul-



la ſpongioſa & concava, caro albiſſima, noſtratium cynarorum pulpam referens, æſtate ob vim refrigerandi æſtimatur.

In *Suchuen* apud *Liping*, vera radix *Sina* creſcit, ſed per totam *Sinam* ſpuria; utramque *Folin* vocant. Non alia ferè, quam ſpuria, ad nos defertur, magnitudine & viribus longe inferior ſincerâ. Vera in vetuſtis pinetis, inſtar Patatum Indiæ ſub terra creſcit: unde Sinenſes ſcribunt eam ex pice pinorum pronaſci, quæ è foliis in terram exſtillans, radicem agit, herbam germinando, quæ ut per ſolum longe lateque ſeapit, ita nodoſas radices ſubtus terram diſpergit. Hæc nodoſa radix, interdum caput puerile magnitudine æquat, inſtar nucum Cocos, ſed non tanta duritie corticis. Sub cortice caro vel nucleus albus præſtans medicina; quanquam etiam ſpuria, ſed non eodem ſucceſſu, utantur. Hæc radix Sina Europæis demum circa Annum milleſimum quingenteſimum quintum innotuit, Sinenſibus *Goam* delata. Non in *Sina* tantum, verum etiam *Cochinchina* creſcit, ad littus Malabaricum & variis Indiæ locis; etiam in America, ſed ſpuria, creſcit. Optima cenſetur inſipida, pinguis, ponderoſa, ſolida, à vermibus illæſa & ſine putredine integra.

Vires inſignes contra Morbum Gallicum, Podagram, arthritidem, debilitatem ſtomachi, dolores capitis, calculum & alios morbos frigidos habet. *Garcia* teſte. *Acoſta* ſcribit eâ utentes, omni cibo, piſcibus & carnibus libere veſci poſſe. Sinæ & Indi ita eâ utuntur. Uncias duas, petroſelini ſemiunciam decem menſuris aquæ ad tertiam partem



partem incoquunt : liquorem tepidum bibunt bis in die : reliquum frigidum contra ſitim hauriunt. Singulis quoque diebus drachmam tuſam in vino capiunt, nullo rerum quotidianarum impedimento.

Zinziber non alibi majori copia quam per Sinam creſcit. Duplex ejus ſpecies, mas & fœmina: differunt magnitudine, mas foliis & radice major. Folia inſtar arundineorum, ut ægre ab arundine diſtinguas, mas unicam venam per folia habet, nec ultra tres pedes excreſcit, folia aſpero tactu abſque pediculo arundini adhærentia, inferius ſola, ſupra in cacumine denſa. Radix vario pondere & magnitudine; quædam longæ quatuor ſpithamas, omnes friabiles & nodoſæ, non profunde in terra ſed arundinis inſtar in ſuperficie reptantes. Unus alterve nodus, in ſolo relictus, terra tegitur ad novam propagationem, aqua dulci aſperſus. Effodiuntur foliis areſcentibus, quod media æſtate fit. Zinziber.

Alii alio modo Zinziber propagant. In autumno radicem evellunt præciſo Zinzibere, reliquum terræ iterum committunt, unde nova radix pronaſcitur. Virides radices ob humiditatem non adeo calidæ & mordaces, prout exiccatæ; ubi aliquantulum Solibus exiccatæ, ſubtus limum defodiuntur, ne à vermibus corrodantur. Cui malo admodum obnoxiæ ſunt. Zinziber luxurioſe creſcit, ut aliæ ad maritima herbæ. Et quanquam Sinæ Zinziber inter Olera plantent, ſponte tamen hinc inde etiam provenit. Conditur cortice detracto & in muria vel aceto duabus horis maceratum : exemptum ſtoreis tegitur, donec humor ſuperfluus exudet

Radices de loco in locum translaturi capsis indunt, pauca aqua aspersas, noctu terra tegunt, interdiu aëri exponunt.

Deinde saccaro, aceto & muria condiuntur. Unde sapor mordax temperatur ac extinguitur: sed nimium lotæ multum virium amittunt. Utuntur radice viridi, ut alia olera; & contra morbos ventris, colicam, diarrhœam & alios frigidos ac flatulentos affectus: sed calidi natura abstinere debent, vel moderatissime uti, quia sanguinem inflammat & orificia venarum aperit.

Plantæ.

IN *Xensi* apud *Kingyang*, herba *Kinsu* specie flavi capillitii, unde à Sinis *Sericum aureum* vel *fila aurea bombycum* nominatnr, sapore amaro, magis refrigerans tamen, quam calefaciens. Sanat impetigines cutis.

In *Xensi* monte *Nieuxeu* planta *Quei*, tristitiam pellens, risum & lætitiam concilians comesta reperitur.

Apud *Cin* in monte *Pechung*, planta *Hoako*, comesta steriles facit.

Apud *Cingcheu* in *Quangtung* insulæ sunt, in quibus herba *Lungsin* equis robur & celeritatem comesta concilians.

Apud *Kingcheu* herba, quam Sinæ *mille annorum* vocant, imo ei immortalitatem adscribunt. Aquæ, in quibus macerata, potæ canos denigrant & vitam prolongant.

In *Quangsi* apud *Liencheu*, herba *Pusu*, id est immortalis, quia toto anno, ut aloë, intra ædes viridis servari potest.

In *Huquang* super monte *Untang*, herba æstate pariter ac hyeme semper virens reperitur.

Apud *Hoang* absinthium album à Sinensibus *Heu*, dictum in *Fungyang* rubrum absinthium: utroque ad varios affectus, præcipue contra adustionem, utuntur.

In regno *Tanyn* herba in saxis crescit incombustibilis. Candet quidem in igne, sed exemptum mox colorem griseum recipit. In altum excrescit, sed aquis injectum mox putrescit.

In *Quantung* apud *Kiuncheu*, herba *Chifung*, ita dictum, quod ventum, qui flat, ostendit. Nautæ ex intermediis ejus herbæ videre possunt, quot tempestates uno mense, aut toto anno futuræ sint; nam pro numero nodorum tempestates æstimant, sed ex albedine menses conjiciunt.

In *Quangsi* apud *Cincheu*, ex herba *Yu*, panni conficiuntur sericum superans dignitate & pretio.

In *Queicheu* apud *Liping*, lintea ex cannabe vel herba cannabi simili, *Co* nomine faciunt. In æstate ad vestes admodum conveniens est.

Peculiare Sinis frutex *The* sive *Cha* est, unde famosus ille potus fit.

Nus-



Nuſpiam, quam in *Nanking* copioſius provenit,apud urbem *Lucheu*, neque alibi,quam in *Sina*, *Siam* & *Japon* creſcit. Folia in totum ſimilia foliis ſumach, & quod *The* ſpecies ejus, nemo dubitare debet, non tamen ſylveſtris, ſed hortenſis, neque arbor, aut planta, ſed frutex. Plantatur in colliculis, trium pedum diſtantia, & ad altitudinem roſeti vel ribeſii excreſcit, Rami florum & foliorum tenuiorum in acumen deſinentium pleni, quæ ſerrata & ſubviridia inſtar foliorum palmæ. Folia ſpecie eadem, ſed magnitudine quintuplici: maxima in imo inſtar malvæ; inde reliqua, ut aſcendunt, ita attenuantur: & ut ſpatio decreſcunt ſuperne, ita pretio augentur: infima quinque ſolidis, ſecundi generis quinquaginta, tertii quinque florenis, quarti quindecim, quinti, quinquaginta, quinimo centum ſæpe quinquaginta florenis veneunt Ad ramulos virides gemmæ, ex quibus floſculi albis foliolis, intus flavæ, magnitudine, forma, colore ſimiles flori vel roſæ caninæ, odore differunt. Floribus decidentibus, in umbilico ſemen nigrum, quod ſatum triennio novos frutices producit, in locis *Sinæ* & *Japoniæ*, ubi grandinat & ningit, ut in Hollandia. Ut ſpes magna ſit etiam apud nos produci poſſe, ſi ſemen in capſula probe clauſa huc delatum locis umbroſis & fertilibus ſeminetur. Radices fibroſæ & in multas particulas diſtractæ, non in profundo, ſed ſuperficie quaſi ſerpunt, nullius utilitatis, ita ut tota vis in foliis ſita ſit. Hæc avulſa in umbra ſiccant, & ad potum *Cia* aſſervant, quem quotidie, non inter cibos modo, verum amicorum colloquia hauriunt. In aulis Magnatum ſi quis negotium habeat, ei mox ut conſedit, patera potu

Cia plena porrigitur. Calidus ſorbetur. Quibus patera amarior, ſaccharo dulcorant. Somnos prohibet, cibos digerit & fumos ex nimio alio potu cerebri diſpellit, memoriam roborat, ſed nimia copia hauſtum, bilem auget. Sinæ eum ad cœlum extollunt; ejusque beneficio ſe podogrâ & calculo immunes jactant, neque quemquam illis vexatum malis toto itinere deprehendimus. Magna inter *Sinas* & *Japonios* in ejus uſu diſcrepantia. *Japonii* pulveriſata folia calidæ miſcent & ſimul abſorbent. *Sinæ* folia integra calidâ macerant & aquam ſorbillant, foliis rejectis. Quidam *Tartari* & *Sinenſes* imprimis Magnates addunt lactis dulcis quatuor partes cum pauco ſale, ac ex ligneis pateris intus argento obductis ſorbent.

Ex Sina in Europam potus hic propagatus, quanquam minori contra calculos & podagram efficacia. Sapor foliorum ſubamarus calidus & aromaticus, ſubtilium partium & parum aſtringens. Serum ſanguinis per ſudorem & urinam expellit, phlegmata craſſa attenuat. Uſus ejus apud Sinas non adeo antiquus eſt; unde in vetuſtis monumentis charactere caret.

In *Xenſi* apud *Hocheu*, cannabis copioſe creſcit, ſed linum tota Sina nullum.

In *Kiangſi* apud *Kienchang*, oryza præſtantiſſima provenit, quam ipſe Imperator utitur, unde Sinæ eam *argentea grana* vocant.

In *Xenſi* apud *Kingyang*, oryza creſcit corpus expurgans per ſeceſſum & urinam.

In *Chekiang* monte *Tienno*, apud *Hangcheu*, magna copia creſcunt fungi, qui per univerſam Sinam ſiccati & ſaliti diſtrahuntur. Dum coquuntur, aquæ parum immerſa, iterum quaſi recens avulſa vireſcunt.

Goſſypium copioſe in Sina provenit, cujus ſemen ante quingentos annos aliunde illatum fuit. Creſcit vel in herbis, quæ noſtrum frumentum ſarracenicum referunt, vel in arbuſtis pede ſatis craſſo.

Herba goſſypifera caule ligneo duorum pedum altitudine, rubro & duro cortice, in multos diſperſa ramos, aſſurgit. Folia longis & aſperis pediculis adhærentia, inſtar vitis triquetra, magnitudine minorem acerum æquant. Flos flavus, in medio ruber, poſt quem rotundi fructus inſtar minoris pomi, ſtellatim hiantes, in quibus, ubi maturuerunt, goſſypium latet.

Folia arboris Goſſypiferæ eadem fere, ſed glabriora ac læviora, neque goſſypium hoc bonitate cum priori comparandum.

Apud *Changchang* in *Xantung*, arbor potentiſſime venenis reſiſtit. Alicubi fabæ in arboribus creſcunt.

Per totam fere *Quantung* virgulta tenacia *Teng*, quæ Luſitanis *Rota*, ſpecie funium à natura contoſtorum proveniunt, craſſitie unius digiti, acutis ſpinis & oblongis foliis, humi repunt tanta copia, ut integri montes



montes & tota inſula *Hainan* iis obſideantur, ac viæ reddantur inviæ. Ex illis funes nautici, corbes, ſellæ, ſtoreæ, lecti, pulvinaria conficiuntur, neque aliis ipſi Reges & plerique Sinenſium dormituri, quam humi ſtratis nudo corpore incumbunt: nam pura præbent ſtragula & per æſtatem corpus refrigerant.

Flores.

IN *Suchuen* apud *Chunking*, flores *Mentang*, etiam in *Xenſi*, apud *Iengan* copioſe proveniunt. Hic flos à Sinis *Rex florum* nominatur, forma roſæ, ſed major ac pulchrior, minus vero odorus abſque ſpinis, colore ſubalbido purpuraſcente, quanquam etiam flavi & rubei reperiantur. Creſcit ſuper frutice, Sambuco noſtro non abſimili, & paſſim per hortos alitur.

In *Huquang* apud *Tau*, comma magnum eſt, ex quo lacus, oritur, in quo flores Crocei naſcuntur.

In *Kiangſi* hi flores (quos Luſitani *Fula de Golfo*) vocant in paludibus copioſe creſcunt, caulibus duris quatuor pedum altitudine ex aquis aſſurgentibus. Ex una radice varii flores protulerant, lilia noſtra ſuperantes, ſed longe elegantiores, minus vero odori, ſpecie fere tuliparum noſtratium. Cum aperit calycem, lilium refert, foliis in circuitu retortis. Folia fruticis magna & rotunda aquis innatant, nympheæ inſtar. Siccata à ſeplaſiariis pro charta uſurpantur. Integræ paludes horum florum plenæ;

quippe

quippe ſemina in aquas ſtudio & cura hominum abjiciuntur; inde adeo luxuriant. Magnates etiam in hortis & domi in vaſis figlinis luto & aqua plenis alunt.

Sinenſis roſa ſingulis diebus bis colorem in album & purpureum mutat: odor ingratus eſt.

Urbs *Queilin* in *Quangſi*, à flore *Quei* nomen habet, qui ibi copioſiſſime naſcitur in alta arbore, à cujus folio inſtar lauri vel canellæ: ipſe flos exiguus, flavus, in racemulos diſperſus, odore ſuavi. Diu inhærent arboribus, antequam decidant: intra menſem novi in autumno ſuccreſcunt. Odore ſuaviſſimo totam viciniam implent. Turcæ florem in ſucco limonum macerant & pilos equorum ſuorum colorant, ac tingunt. Ipſi Sinæ ad odores varios iis utuntur.

Apud *Kinhoam* in *Chekiang*, flos Indis & Luſitanis *Mogorin*, exiguo arbuſto innaſcitur, colore candidiſſimo, Jaſmino non abſimilis, niſi quod plura folia habet; odore ſuperat, ita ut unus Flos totam domum fragrantia impleat. Magni hunc Florem Sinæ faciunt, & in vaſis contra frigus curioſe aſſervant.

Apud *Pingiven* in *Queicheu*, Flos odorifer Jaſmini provenit.

Arundines.

IN *Xantung* apud *Tengcheu*, arundo quadrata naſcitur.

In *Huquang* apud montem *Co*, arundo naſcitur triennio tantum durans: ſed ex radice nova tum progerminat.

In *Nanking* apud *Hoaigan*, lacus alta arundine fœtus, quibus accolæ pro lignis utuntur.

In *Quantung* apud *Lochang*, in monte *Chang* arundo nigra, unde fiſtulas ſuas *Sinæ* & multa alia conficiunt. Splendore ebenum æquat.

Ibidem in monte *Lofeu*, longiſſima & craſſiſſima arundo, craſſitie decem palmarum.

In *Chekiang* apud *Chucheu* & *Kingning*, rivulus fluit plenus arundinetorum. Arundo illa ferrum duritie æquat, craſſitie trium ſæpe ſpithamarum. Et quanquam intus cava ſit, ac nodis interſtincta, firmiſſima tamen eſt & magnorum ponderum ferax: major ad quatuor perticarum altitudinem, minor vix ad dimidiam, aſſurgit. Aliqua viridis, aliqua nigra eſt, ut in India mas Bambu, eaque non cava ſed ſolida. Jucundum præbet ob oblonga, forma gladioli, & in extremitate aliquantulum retorta folia, & quia toto anno viret. Et quanquam ferri duritie ſit, facile tamen in exigua filamenta à peritis ducitur, unde ſtoreas, corbes, cantharos & alia ſuppellectilia plectunt. Ædes quoque ex hoc arundine conficiunt & columnas: ex tenuiori haſtas ac lanceas: apta etiam, quod perforata ſit, ad canales, aquarumque tubulos, & imprimis ad teleſcopia, quia levis,



levis, recta, craſſa & firma eſt. Aquæ impoſita recens liquorem, medicis ad ſanguinem grumoſum expellendum idoneum, exſtillat. Recentia virgulta, antequam folia nanciſcantur, velut rapa, carnibus incoquuntur: eadem aceto condita, inſtar cucumerum toto anno aſſervantur, & pro bellariis menſæ inſeruntur.

In *Suchuen* cannæ ſaccharinæ magna copia naſcuntur, ſed modum ſacchari excoquendi demum à Sacerdote quodam Indo didicerunt, cujus aſinus, cum in agrum cannis his conſitum aufugiſſet, & à Domino agri ob damnum illatum detineretur, Sacerdos artem ei ex cannis ſacchari excoquendi in compenſationem oſtendit. Cannæ ſaccharinæ ad ripas paludum & lacuum luxuriant, acutis foliis & inter avellendum manus incautorum ſauciantibus, altitudine ſex ſeptemve pedum altitudine, craſſitie duorum pollicum, internodiis crebris palmæ diſtantia diſcriminatæ: in vertice foliorum manipulus haud abſimilium illis, quæ in arundinetis noſtris conſpiciuntur. Cannæ intus albo ſucco plenæ, ex quo ſaccharum exprimitur. Arundines ita, ut & Braſilia, plantant. Ager vomere ſcinditur in pulvillos æquales & rectos: in hos ſuprema cacumina recentium ſurculorum ita infiguntur, ut duæ extremitates ſe mutuo tangant: ita plantatis terra egeſta iterum ſuperingeritur. Per æſtatem Soli prohibendo altius terra obruuntur, ſed hyeme minus, ut humiditas eo altius penetret. Quo magis aqua irrigantur, eo luxurioſius creſcunt: communiter intra decimum aut duodecimum menſes recens ſurculus ad juſtam altitudinem matureſcit. Matura arundo abſcinditur, ſæpe usque in alterum anno relinquitur, ac tum vetus arundo vocatur. Interea recens quoque adoleſcit, &

C. [illegible]na ſac na.



ſimul cum vetere ſucciditur. Intra biennium, niſi reſeces, inutile ad ſaccharum fit & perit. Surculi recenter pacti ſtudioſe à Zizaniis purganditer, quater aut ſæpius anno, donec juſtam altitudinem nanciſcantur. Quinquaginta annis hic frutex durare poteſt, ſi ſolum ſit bonum, & radices a vermibus non erodantur: in ſterili & ſicco ſolo vix quinquennii ætatem ferunt.

Arundini accenſentur bacilli, quos Indi *Rotang*, nos *Rotting* vocamus, quorum proventus montes in Sinis pleni reperiuntur. Juniores ſucciplenì a Sinis crudi comeduntur: intus enim medulloſi ſunt. Exiccati, ſi collidantur, ignem, ut ſilices, evomunt: unde multis locis ſilicum vicem præbent. Tenaces & flexiles ſunt, unde, velut apud nos ſalices, funium inſtar ad colligandos ædium trabes, ac tigna uſurpantur loco clavorum. In quatuor lacerati partes corbibus texendis uſum, ut ſalices, præbent. Javani, Japonii & alii inſulani etiam nauticos funes inde conficiunt, durabiliore ſub ſalſis undis materia, quam ex cannabe torti: idque Europæi in defectu funium cannabinorum, ad ancoras ſuſtinendas, imitantur. Fructus horum Rotangarum veſcus, & ſapore ſubacido, jucundo, rotundus magnitudine parvæ pilæ, cortex ſpadiceo colore, durus, friabilis & lineis cruciformibus variegatus. Ex ſingulis nodis loco foliorum erumpunt ſurculi, & virgulta tenacia, & funiculorum inſtar contorta: ab illis fructus dependent raro ſoli, plures plerumque ſimul: Intus durum nucleum habent, ex quo oleum exprimitur non modo eſculentum, verum etiam ſanandis vulneribus idoneum, unde mancipia Indorum Rottingis cæſa, eodem ſe oleo vibices plagasque ſanant.

Eſt

Eſt & aliud per *Sinas*, *Indiamque* arboreſcentis arundinis genus *Mambu*, quod Luſitani *Bambu* vocant, idque duplex. Minus cavum eſt, & medulloſum: majus fere ſolidum, & omnibus aliis arundinibus denſius, robuſtiusque, in paludoſis locis creſcit, recto palmite, niſi quod interdum ad lecticas inde conficiendas, arte inter creſcendum detorquetur. Stipium vicem ad piper ſuſtinendum præbent. Ad pedem craſſitie fœmur vivi æquant, ac reperiuntur tanta latitudine & firmitate, ut *Indi* & *Sinæ* ſcaphas inde conficiant, quas remis tam celeriter propellunt, ut celeritatem fluviorum ſuperent. Nodoſæ ſunt, nodis palmâ diſtantibus, unde ſurculi recti vel manu incurvati emergunt. Folia inſtar oleæ, ſed longiora, ſola, aut oppoſita. Dum hæc arundo recens eſt, medullam ſpongioſam & dulcem habet, quam Indi avide exugunt. Surculi primi lautitiis accenſentur ob gratum ſaporem & cibum delicatum *Achar* conſtituunt: unde etiam in Europam deferuntur. Sed cum adoleverit, color, ſapor & odor à Sole extrahitur, ac juxta internodia in grumos pumicis duritie, coagulatur. Mox alium ſaporem induit ſubaſtringentem, & ab Indis *Sacar Mambu* vocatur. Liquor hic, quo levior & albidior eſt, eo melior: inæqualis & cinericius vilis cenſetur.

Arbores.

IN *Suchuen* oppido *Kien*, in Pagoda quodam arbor *Cinnien*, id eſt mille annorum extat, tantæ amplitudinis, ut ducentæ oves ſub uno ramo ſtare & circumcurſare poſſint, a nullo aſtantium conſpectæ. In eadem Provincia fabæ creſcunt lapidea duritie.

In *Huquang* arbor inſtar hederæ aſſurgit, cujus rami extremi fila ſerica tenuitate æquant. Virgultum carni nudæ alligatum, ſomnum ſuavem conciliat, unde & nomen *Manghoa*, id eſt *flos ſomni* accepit.

In *Chekiang* apud *Singhiang*, quod eſt *terra pinorum*, arbores tanta craſſitie ſunt, ut octoginta homines brachiis eas cingere nequeant: reperiuntur, quæ ventre ſuo concavo triginta octo homines capiunt.

In urbe *Makao* arbor eſt, quam Luſitani *lignum ferreum* vocant, quod ejus ferrea durities & gravitas; unde in aqua mox ſubſidit. Talium in *Chaoking* & monte *Caoleang*, magna copia eſt.

In *Quantung* urbe *Chaoking* ligna odora, colore rubro, ſubnigro, ut aquilinum, rhodium, creſcunt, ex quibus menſas, ſellas, capſulas & alia conficiunt.

In *Quangſi* pannus conficitur ex foliis rubrorum *Muſen.*

In regno *Gannan* dulcis ex arboribus ſuccus, quem Luſitani *Roſamalia* vocant, ſtillat.

In *Chekiang* integri ſaltus mororum ſunt, quos quotannis, ut vineta, cædunt; quia folia parvarum arborum optimum ſericum præbent.



Canella. In *Quangsi* apud *Cincheu*, magna copia arboris Canellæ, sive cinnamomi, quod à Ceylonensi odore tantum & minus acri sapore differt.

Arbor, in qua Canella crescit altitudine citri est, longis, crassis, rectis ramis ordine protuberantibus conspicua. Ex hic ramis minora prodeunt virgulta, foliis laurorum instar, sed quæ à tenuibus dependent, ac brevibus pediculis retro lata, antrorsum acuta & in longitudinem tribus quatuorve nervis, ut plantago, discriminata: & hinc inde flosculos odoros candidissimos protrudunt. Post flores fructus parvi instar olivarum, initio virides, ubi maturuerunt præ nigredine resplendent, & à simiis ac avibus decerpuntur, antequam decidant. Ex his fructibus vi Solis vel ignis viridis, acris, amara & pinguis oleoginosa humiditas odore & sapore cinnamomi, sed debilius, extillat, unde parum in usu est. Lignum insipidum & inodorum est, ita ut natura cæteris omnibus partibus virtutem negatam soli cortici indulserit. Hæc arbor, ut pleræque omnes, duplici cortice est: primus est sapida, pellicula tam tenuis, ut non non nisi recens & viridis ab inferiori cortice separari possit, siccata amplius nec videri nec separari potest Inferior cortex, separata hac pellicula, quæ cineritii coloris, glaber est & lævus, ac glutinosi saporis. Hic ita separatus in partes quadratas scinditur & in sole siccatus, cannas cinnamomi, quales ad nos deferuntur, colore rubido, præbet. Arbor excorticata sæpe triennio sine cortice durat, post illa novo induitur cortice, & denuo deglubitur. Radicem gummum Camphoræ æmulum exudare ferunt. Sinæ & Ceylonenses ex cortice viridi & flore recenti liquorem extra-



extrahunt, cujus multiplex usus: ex fructu oleum exprimunt, quod in panes efformant siccatum & intus extusque in morbis utuntur.

In insula *Ceylon* integræ sylvæ arborum cinnamomiferarum sunt, tanta earum luxuria, ut totus orbis corticem consumere non posset, nisi incolæ integras sæpe sylvas exurerent. Sed nucem myristicam & caryophyllos eadem insula non adeo feliciter producit.

Reperiuntur etiam in Sina arbores, quæ caryophylla, piper & nuces myristicas, sed non magna copia.

Arbor, in qua Caryophylla crescunt Turcis *Kalafur*, Arabibus *Karumfel*, Javanis *Syanke*, Indis aliis *Chamque*, pyrum Europæum æquat, stirpe viri crassitie, cortice, ut olea, in album recta vel incurva, assurgit. Folia sola vel conjuncta, ut pirorum de longis pediculis pendent, in medio nervosa, unde venulæ ad latera procedunt. Rami plurimi majores & minores, quorum hi in tenuia virgulta desinunt, ex quarum vertice exigui pediculi prodeunt, de quibus Caryophylla decem, viginti in racemulos dispersa simul pendent. Ex capite Caryophyllorum flos prorumpit multis filamentis constans, initio albidus, deinde viridescens, mox roseus, tandem indurescit & latum de se odorem spargit, tempestate potissimum serena: quo annus siccior, eo major fructuum copia: non tamen singuli anni æque fertiles; secundus, tertius & septimus sterilior, dum naturæ amissæ vires instaurantur. Ex his Caryophyllis tandem fructus nascitur, dum crescit, tenax sed ubi maturuit, durissimus. Caryophylla initio rubent, inde ingrescunt & semel in anno ab Octobri ad Aprilem Caryophyllus.

 legun-

leguntur. Quædam manu decerpuntur, alia perticis aut flagellis decutiuntur, ſolo circum ab omnibus ſordibus & gramine purgato Quæ in arbore pendula manent, magis magisque increſcunt, ac proximo anno ſponte ſua decidunt, quæ etiam, quamvis ſapore obtuſiori ſint, pretioſiora habentur & pro ſemine uſurpantur. Unde ab Indis *Matres fructuum* vocantur. Si quædam deciduorum in ſolo neglecta maneant, radices ac ſtirpes agunt, ac intra octo vel novem annos in arborem excreſcunt frugiferam. In ſole color ſubruber nigredinem contrahit, ac ne à vermibus corrodantur, aquæ marinæ parum immerſa, in ſole ſiccant. Folia, flores, rami, gummi ſuam quoque habent virtutem aromaticam & medicam. Vendituri Caryophylla Indi, aut vendita endituri, vas aqua plenum in horrea, ubi aſſervantur, ponunt, quæ brevi tempore à caryophyllis abſorbetur, unde in tantum fere pondere creſcunt, in quantum aqua ponderavit.

Ex floribus ac recentibus Caryophyllis Indi vi ignis ſpiritum eliciunt odorum, magnæ in cerebro confortando virtutis & paralyſin, quam *Beribery* vocant, ſanat. Nullibi ferè, niſi in *Moluccis*, Caryophylla luxuriant. Arbores montibus gaudent & tam denſæ creſcunt, ut etiam Solis radios excludunt. Et ſicut arbor cinnamomi non alio, quam in *Ceilon* loco copioſius & melius naſcitur, ita nuces myriſticæ *Bandan* velut patriam eo habent, quæ Moluccarum præcipua eſt.

Naſcitur quoque in Provinciâ *Quangſi* arbor, quam *Quanlang*, vocant, quæ loco medullæ pulpam obtinet farinæ ſimillimam, hinc arbor farinacea dicta; hanc farinæ pulpam, incolæ in uſum conficiendi panis convertunt; quæ pinguiori, quam oryzæ, ſucco, ſapore haud ingrato, & ad omnes eſculentorum uſus per quam utilis eſt. Harum arborum mentionem facit *Paulus Marcus Venetus* libro tertio, capite decimo nono. Sunt *in Regione* Fanfur *arbores quædam craſſæ, quæ habent delicatum corticem, ſub quo invenitur farina quædam optima, ex qua delicata præparant cibaria, quæ aliquoties non ſine voluptate comedi.* Luculentum ſane divinæ bonitatis argumentum, cum naturæ benignitas, ita Triuno diſponente Deo, nunquam ad hominum neceſſitati ſuccurrendum in operibus ſuis deficiat. Adeoque non tam hujuſmodi cauſas explorare, quam paternam divinæ providentiæ diſpoſitionem in omnibus admirari liceat.

Sunt præterea in China, utpote quæ multum a zona torrida participat, arbores, fructusque, tot, ut ajunt, cœlo ab Europæis differentes, tametſi Europæis fere omnibus; præſertim in ſeptentrionalibus Provinciis abundet, atque inter cætera illa arbor eſt, quæ ob pungentium ſpinarum multitudinem a Sinis *Polonie* appellatur, quæ, quamvis ampliſſimis oneretur foliis, non tamen in iſtis frugum, florumve ferax, ſed in trunco producit cum tempore fructum tuberoſum tantæ vaſtitatis, ut ſingulis portandis ſinguli homines ſint neceſſarii, cucurbitam diceres, maximorum



rum noſtratibus majorem: cortice ſpinoſo, melleos fructus ejus concavo ſub pulpa alba adnatos monſtrat, nucleus tamen caſtaneam ſapit, fructuum pluralitatem in uno fructu, velut in burſa quadam, reconditam conſpicis, tantæ ſæpe magnitudinis, teſtantibus id incolis, ut vel fructuum unus decem, aut viginti hominibus ad comedendum ſufficiat.

Arbor quæ nuces myriſticas fert (incolis *Bongopala*) malum vel pirum refert: ſæpe ſua ſponte in aviis creſcit, ſemper virens, florifera & nucibus onuſta, quarum aliquæ maturæ, aliquæ adhuc immaturæ ſunt. Cortex cineritius, lignum foraminoſum, medulla rubicunda. Folia quæ denſa, raro ſola, de exiguis pediculis pendent, ſaturè viridia, tenuia, glabea, unico per medium nervo, unde venulæ procurrunt. Contrita digitis non viridia tantum fortem odorem ſpargunt, ſed ſicca quoque eandem fragrantiam retinent. Flores ſimiles pirorum & pomorum, facile decidunt, exigui odoris ſunt. Fructus poſt flores erumpens ad pellem forma conica, cætero corpore rotundâ, non ad extrema ramorum, ſed ad internodia creſcit. Ubi flos à fructu decidit primus nucis cortex initio viridis, rugoſus, aſper & craſſior eſt: ubi matureſcit, flavis, purpureis & aureis maculis variegatur. Hic cortex mox dehiſcit & nucem oſtendit, circa quam macis ſubſtantia reticulatim ſpargitur: ubi plene fructus maturuit, aſperum hoc involucrum totum diſrumpitur & initio ſubrubea, mox fulva apparet & corticem, in quo nucleus, quem nucem myriſticam vocamus, operit. Ita ut hæc mox tria involucra habeat, extimum viride & craſſum, medium tenuius & fulvum; intimum durum.

Repe-

Reperiuntur etiam nuces absque mace, quod fit, quoties per subita incrementa nucum, reticula rumpitur, & perit, antequam ad justam crassitiem & robur perveniat. Hic fructus a variis avibus, præcipue columbarum genere, quæ albæ & parvæ sunt, devoratur. Hæ columbæ admodum mace delectantur, & nuces dehiscente extimo involucro, abreptas una cum mace deglutiunt, neque nisi plena ingluvie, cessant; ideo a mercatoribus nostratibus *Neut-eeters* vocantur. Sed nuces deglutitas iterum integras ejiciunt, quæ stomachi calore excoctæ & maceratæ celerius radices agunt, ac excrescunt. Arbores ab ejusmodi nucibus prognatæ corruptioni admodum obnoxiæ sunt, & fructus longe debiliores aliis ferunt: unde parum æstimantur, nec nisi propter macem decerpuntur, qui optime macem adulterant.

Hæ arbores singulis annis bis, sæpe ter fructus ferunt. Prima messis Augusto & Septembri fit; secunda Martio, tertia aliis mensibus pro ratione anni. Hæ nuces non nisi maturrimæ decerpuntur; sæpe tamen color roseus decipit; unde præmaturas decerpunt. Nam immaturæ nuces (*Rumpi* Indis) ob succi inopiam & acerbitatem haud ætatem ferunt, ac facile verminant. Sed maturæ excorticatæ in Sole siccantur: inde macis volucrum aufertur; tandem nuces myristicæ calce abluuntur, qua arte ab omni corruptione & aëris injuria incolumes & integræ servantur, ac navibus per totum orbem sparguntur. Optimæ censentur cineritiæ & subrubicundæ, lineis albis variegatæ. Interdum quædam nuces extraordinaria magnitudine sunt, quas Indi *Pala Iava* vocant, quibus non ad cibos, sed in medicina utuntur.

Macis vero, quæ retis instar nucem ambit, Indi ante plenam maturitatem, dum adhuc colore rubello est, sale & aceto macerant ac inter condimenta, quæ appetitum excitant, primæ mensæ apponunt. Sed ubi maturuit, in sole siccatus, magna cura asservatur. Indi tam nucem, quam macem, nervis frigore & contractura læsis, prodesse credunt: unde semper oleum domi ad manus habent. Et sicut macis substantia longe minorem quam nux, olei copiam dat: ita è contrario oleum macis efficacius, quam nucis est. Hinc pretium macis nuces sexagies superat. Nuces virides & immaturæ aceto vel saccharo conditæ, inter bellaria mensæ apud Magnates Indos habentur: ab iis ad Europæos hæc luxuria pervenit. Nonnulli corticem extremum saccharo condiunt, & ipsi nuci ob jucundum odorem & gratam temperiem præferunt. Hactenus de nuce communi rotunda: paucis nunc de oblonga, mascula, quam *Pala Metseri* Indi vocant. Vulgus has prioribus absque ratione præfert, quasi quia masculæ vocantur & majores sunt, id præstantiam præ reliquis argueret. Masculas vulgi error appellat, quasi comestæ viris semen augeant, quod purum commentum est. Et quo majores sunt, eo debiliores viribus deprehenduntur parvis & rotundis exiguo corpore plus aromaticæ virtutis possidenti-



dentibus. Macis harum oblongarum nucum, etsi colore se commendet insigni, adeo effœtus est virium, ut ab ipsis Indis nullo in pretio habeatur: & arbores, in quibus crescunt, sylvestribus ac reprobis accensentur. Indi ne quidem dignas, quæ decerpantur, æstimant. Arbor ipsa ad littus Bandæ neglecta, foliis longioribus, crassioribus & nervosioribus. Non oblongæ tantum nuces, sed & fere quadratæ, neque ex gemmis, ut communes, sed extremitate ramorum nascuntur, ac nuces juglandes, tres quatuorve simul cohærent.

Piperis duo genera, rotundum & longum. *Rotundum*, quod præcipuè *Malakka*, *Iava*, *Sumatra* crescit, haud procul à littore plantatur juxta radices arborum quarundam, quæ *Fanfel* vocantur, aut palis, velut vites, innititur. Altitudine arborem vel perticam, cui se instar hederæ circumvolvit, æquat, & ubi ætate ac fimo luxuriat, ipsa sustentacula sua transcendens, velut lupulus iterum in solum descendit. Projicit etiam multa de se virgulta plena nodis, tenacia & flexilia, instar lupuli, aut fabarum Turcicarum in solo repant, nisi cui innitantur & per quod ascendant, reperiant. In fertili solo intra annum uberem messem producit: tardius in sterili. Radix plena parvarum & tenacium fibrarum; folia hederæ non absimilia, in medio nervum cum venulis ad latera habent, exterius intensis, intus pallidius virentia. Fructus uvarum modo, racematim cohærent, instar ribesiorum, sed una longior ac granorum abundantior est: nec in medio tantum ramorum, sed in summitate quoque proveniunt. Grana initio viridia: ubi maturuerunt nigra, quod Piper.

æstate fit. Decerpta in Sole ſiccantur, unde niger cortex corrugatur. Si niger cortex ante ſiccationem auferatur, album Piper fit, quod acrius, carius & ſapore gratius eſt; unde Magnates in India eo pro ſale in menſa ſæpe utuntur. Cortex niger tollitur, cum piper ad ſummam maturitatem pervenit, & in aqua marina maceratum eſt: unde extrema pellicula crepat ac album granum facili opera exemptum, in ſole ſiccatur.

Ac niſi Indi laborem fugerent, major albi, quam nigri, piperis copia haberetur. Multi ex ignorantia album & nigrum piper duo diverſa piperum genera eſſe arbitrantur, cum unum idemque ſint & maturitate tantum, ac excorticatione differunt. Neque grana modo, verum etiam folia & tota planta igneam acrimoniam habent. Nam folia, rami & radix manſa linguam faucesque inflammant, ac ſalivam attrahunt, non ſecus ac radices coſti & pyrethri.

Longum Piper Indi *Pimpilim* vocant. Eo non in cibis ſed medicina, præcipue theriace & aliis antidotis utuntur; nec injuria, virtutes enim inſignes & penetrantiſſimas habet, unde etiam carius venditur. Copioſiſſime in *Bengala* provenit; inde in Europam defertur. Planta cum altera, quæ rotundum piper profert, fere eadem, foliis parum differunt. Fructus, qui cum avellanis flore conveniunt, & ex multis granulis conſtant, ex ſingulis internodiis & regione foliorum prorumpunt, ac longiuſculis pediculis adhærent, initio viridant; ſiccati cineritium colorem induunt, neque omnes eadem longitudine ſunt, quanquam grana æqualia ſint. Surculi, quibus grana adhærent, interdum humore intus ſcatent, unde grana verminant evaneſcente hoc humore. Longum piper decerpitur & ſiccatur ante plenam maturitatem, & quanquam initio non adeo linguam inflammat, cum tempore eandem ac rotundum piper acrimoniam conſequuntur, & linguam primo attactu inſtar ignis feriunt.

Indi emplaſtris ad frigidos nervorum affectus, addunt, eoque contra venena, catarrhos, vertiginem & oculorum cataractam utuntur. Vulgus aquam in qua maceratum contra inveteratam ſtomachi debilitatem, bibit.

Betele. Quanquam Sinæ ab exoticis moribus abhorreant, tamen in quibuſdam Regionibus ab Indis vicinis, uſum maſticandæ *Betele* receperunt. Hæc folia luxurioſe proveniunt ſub cœlo molliori, ſed in frigidioribus Sinæ ac *Mozambique* plagis ſolum abnuunt. Frutex vitis modo ſeritur, adduntur que ſtipites & pedamenta, per quæ repens ſe ſuſtineat, piperis, lupuli, aut hederæ inſtar, ac procul à pipere ſecerni non poſſunt. Folium ſimile fere mali medici folio, oblongius tamen, & in extremo arctius, plana, glabra, ſubviridia, tenuia, inſtar herbæ fontalis quinque, ſex ſeptemve nervis conſpicua, rectis, partim & obliquis dicerpta, ſi diutius manu tractantur, pu-

putreſcunt. Maſticata ſtrepitum edunt, quaſi arenulas dentibus teras. Fructus ſimilis aliquo modo piperi longo, aut lacertæ caudæ, Indis *Siryboa*, ac ob raritatem majori in pretio, quam folium, habetur. Hæc folia in quibuſdam auſtralibus Sinæ provinciis & per totam Indiam, mane, meridie, veſperi & noctu manduntur, ac perpetim manibus tenentur. Non tamen ſolo *Betele* utuntur, ſed ei ad amaritiam temperandam, *Arekam* & parum calcis addunt: ita paratum ſapore ſubdulce fieri referunt. Quidam *Betele* addunt Lycium, divites Caphuram de Burneo, alii lignum aloes, moſchum, & alia aromata. Ita ſapore gratum fit, & halitum oris ſuaveolentem reddit, ob quam præcipue cauſam ejus maſticatione adeo delectantur. Sinæ in mutuis viſitationibus folia Betel manu tenent, ac cum Areka & calce in patinis ligneis, in benevolentiæ ſignum, offerunt hoſpiti. Dum utuntur primo, parum Arekæ mandunt, mox folium Betele calci illitum, exemptis prius nervis ungue pollicis, quem propterea longum & acutum habent. Maſticatum ſaliva ſanguinea os implet, quæ expuitur. Hoc eſt unum ex tribus, quod Sinæ proverbio de *Quantung* jactant, nimirum tria inuſitata in ea regione eſſe: *Cœlum abſque nivibus, arbores ſemper viridantes & homines Betele* ac *Areka Maſticantes*. Poſt ſalivam rubram, aliud phlegmatis genus, quod deglutiunt. Credunt gingivas & ſtomachum corroborare. Folia calefaciunt, & exiccant fere ſecundo gradu. Dum Magnates alloquuntur, Betele maſticant, ut odore os commendent; nam ſummæ incivilitatis eſt, tetro halitu, & putri aliquem alloqui. Solent tamen ab ejus uſu abſtinere per aliquot dies, cum quis ſanguine junctus obiit & jejunia quædam celebrantur. Rideas vero viros, ut & mulierculas itidem inſanire, ſicut Germaniæ Amazones ruri fiſtula, ſic ut hæc herba ad cervical dormituras præſtoletur.

Haud longè a *Surda* eſt inſula *Pulo Seveſsi*, cujus gemini montes ultra *Bantam* conſpicui, quæ Betelem ſine cultura producit, unde Javani, cymbatim eam auferunt, tanto chariorem, quod urticis permixta nudis collectoribus, vel triduanum ex puſtulis ardentibus dolorem vindicent. Duæ viciniores inſulæ Betelam alunt, ſed parcius, & minus laudabilem, ob arenoſum ſulphuri permixtum ſolum. Tyronibus ſuboritur vertigo ebrioſa, haud ſecus ac è fumo tabaci: navigantibus in uſu ſunt paſtilli; ex convolvulis conflati. In mediterraneis, ubi nullus Betelæ proventus, maximum ejus deſiderium ac pretium. Feruntque *Nicomoxam* Regem Decani ſingulis annis ex hoc mercimonio tributum capere tricies mille aureorum. Hujus foliis ornantur convivia, & dimittuntur gratiſſimi ad peregrinationes, ſive hoſpites, ſive domeſtici. Reges viris nobilioribus manu propria, tenuioribus altenâ tradunt. Eorum Mandatarii ſacculum convolvularum accipiunt, qui itinerantibus porrigunt; adeoque hujus herbæ monopolium Reges hic ſibi ſervant.



Ficus Indica.

In quibuſdam Sinæ locis creſcit etiam *Ficus* Indica, quam alii Arborem *Goæ* appellant, quæ ibi primum ab Europæis reperta, ac copioſiſſime in illa inſula provenit. In magnam altitudinem unico trunco craſſo aſſurgit, & ramos circumcirca diſpergit: unde tenues quædam fibræ, ſive filamenta, qualia cuſcutæ, coloris, dum recentia ſunt, fulvi in terram deſcendunt, ex quibus ſenſim increſcentibus novi trunci ac arbores naſcuntur; ab his iterum deſcendentium fibrarum alia propago exoritur, atque hæc alternatio abſque fine & termino durat, ut unica ſæpe arbor cum ſuis propaginibus, & ſobole milliare Italicum ambitu occupet, nec mater à liberis ſuis niſi craſſitie agnoſcitur, quæ tanta ſæpe, ut tres viri junctis manibus truncum vix cingere poſſint. Nec inferiores modo rami tales de ſe fibras ſpargunt, verum etiam ſuperiores, unde unica ſæpe arbor denſiſſimam ſylvam repræſentat. Incolæ pervias reddituri has arbores, tenuiores ſurculos ſuccidunt, ac fornices & concamerationes defendendo Soli, in quibus velut umbraculis æſtu flagrante, deliteſcunt, nam ſuperne adeo denſis omnia ramis implexa & clauſa ſunt, ut nullus Soli tranſitus detur. Quanta earum arborum amplitudo ſit, hinc patet, quod ſub una tria hominum millia ſe abſcondere poſſint. Folia in novellis ramis mali cotonei foliis ſimilia, ſuperne viridant, inferne albent & lanuginoſa ſunt, Elephantis gratiſſimus cibus. Fructus pollicis articulum magnitudine æquans, groſſulis ſimilis, intus & extus ſanguineo colore, granis, ut ficus, repletur, dulcis & veſcus, non tamen ſapore ficubus comparandus.

Arbor



Arbor quoque *Kokos*, Indis *Coquoeiro*, per Sinam frequens luxuriat. Truncus ejus raro rectus, plerumque curvus in altum, quatuor, imo septem pedum ambitu, altitudine quinquaginta, assurgit. Radix brevis, tenuis, ægre terra tegitur: unde miraculi instar, truncum tam crassum longumque, ramorum & nucum pondere gravem, ac ventorum flagellationi expositum, tam infirmo fundamento stabilem insistere posse, cum præsertim infima juxta solum trunci pars supremâ non sit major vel robustior. Cortex cineritius: lignum, quod quia ex meris filamentis constat, ad pauca utile est, dulce & plenum lacteo liquore, à formicis, arbore succisa, appetitur. Truncus ramis destituitur, in vertice quindecim, viginti, pluresve, ut in palma, deorsum flectuntur; folia plumarum instar in circuitu, partim erecta, partim deorsum pendula. Folium quodque, sedecim circiter pedes longum, & prope truncum pedis latitudine, ex multis aliis foliis constat, quæ seriatim & è regione sita sunt. Kokos.

Inter hæc plumosa folia in vertice vagina duos pedes longa, paulatim in acumen desinens, primo viridis, deinde rubra & sua sponte dehiscens. Antequam se aperiat, intus elegans pedis longitudine virga, trium aut quatuor digitorum crassitie, ex multis ramis sesquipe de longis, & compactis instar magnæ aristæ, se ostentat. His ramis annascuntur quædam triangularia corporea, amygdali magnitudine, albo colore, rudimenta florum & nucum: nam vagina illa disrupta, rami dispserguntur & flavos flosculos produnt. Flores sequitur fructus, qui singuli singulis pediculis annati, *nuces Kokos* nomine; duri, ponderosi, interdum caput virile superant,

perant, racematim firmiter ſupremo trunco adhærent. Extra craſſior, fibroſus, & tenax cortex; inde ligneus calix, qui immatura adhuc nuce perforatus, copiam dulcis liquoris emittit, qui recens potus, urinam valide pellit: matureſcentibus nucibus paulatim in nucleum coagulatur & lateribus nucis adhæret. Nucleus tanta dulcedine eſt, ut etiam dulciſſimas Europæas nuces ſapore longe ſuperet; bene nutrit, & exhauſtas vires mirabiliter reſtituit. Unde ab illis, qui diu mari jactati ſcorbuto & aliis morbis laborant, avide appetitur. Calida & humida primo gradu eſt, oleum amygdalino nullà in re cedens, exprimitur, eſtque communis per Orientalem pariter ac Occidentalem Indiam cibus. Oleum interne ſumptum vitia pectoris corrigit, alvum laxat, contuſiones ex lapſu ſanat, urinam valide pellit. Ex cacumine trunci arbuſcula quaſi nova erumpit, candidiſſima & fungoſa medulla, vaginæ incluſa, ejuſdem fere cum nuce ſaporis, non cruda ſolum, ſed & cocta menſæ imponitur, ut apud nos braſſica capitata. Adhuc immatura magis refrigerat, & pro lactuca adhiberi poteſt. Sed hac medulla decerpta, arbor perit, quod non tam facile fit, ſi pars radicis vulneretur, aut ſuccidatur: unde non ex humore terræ per radicem inferne, ſed ex aëre deſuper ali credunt.

Ex filamentis, quæ durum corticem nucis cingunt, per Indiam funes nautici, durabiles in aqua ſalſa & fere in corruptibiles, fiunt. Etiam funes ancorarum & aliæ in regiis Luſitanorum navibus onerariis ex his flamentis nucum Cocos conſtant. Lacuna ſcribit, etiam tapetes exinde texi. In Sina & alibi loco ſtupæ ad rimas navium obturandas uſurpantur, & meliora cenſentur, quam ſtupa, quod non tam facile computreſcunt, & in aqua ſalſa intumeſcunt. Ex interiori cortice duro ſcyphi, ac pocula tornantur, auro etiam ac argento obducta. Folia chartam præbent, & ex iis veſtimenta Indi conſuunt duratura. Uno verbo, omnia hæc arbor ad navim neceſſaria ſuppeditat, ſive ſtructuram ſive merces reſpicias. Nam ex trunco & ramis mali, tabulæ & clavi; ex foliis vela, ex filis funes fiunt, & nuces mercimonia, ac onus ſunt. Unde propter tot uſus naturæ miraculum habetur: nulla quippe toto orbe arbor alia in tot humana commoda & emolumenta ſe diffundit.

Apud *Kingiven* in *Quangſi*, arbor *Areka*, & India eo delata creſcit, facie *Kokos* haud abſimili, ſed non tanta craſſitie & foliis minoribus. Fructus *Areka* vocatur, tam durus, ut non niſi cultro aut forcipe ſcindi poſſit.

Fructus.

IN *Quantung* & vix alibi fructus *Venku* Sinis, *Iamboa* Luſitanis, *Pompelmoes* Hollandis provenit in arbore ſpinoſa ſed majori, quam citrus. Flos floribus mali aureæ ſimilis, albus, odorus, ex quo aqua fragrantiſſima

ma diſtillatur. Fructus ſuperant mala aurea etiam maxima, ac interdum caput humanum ſuperant. Cortex & ipſe ſimilis pomo aureo. Medulla intus rubet, dulcacida, ſapore uvæ immaturæ, unde potus, ut in Europa ex ceraſis & piris, exprimitur.

In *Peking* poma, pyra, pruna, frumentum, hordeum, ficus, uvæ proveniunt, ex quibus tamen incolæ non conficiunt vinum, quia potu ex oryza magis delectantur, cujus tanta ſuavitas eſt, ut etiam Europæi vinum non deſiderent.

In *Xanſi* uvæ prædulces, unde optimum & copioſum facere poſſent, ſed ipſi ſiccatas malunt vorare.

In *Peking* Caſtaneæ magnæ, in *Suchuen* apud *Xunking* tam molles, ut in ore paulum detentæ liqueſcant.

In *Honan* apud *Queite* mala aurea, & granata ſive Punica creſcunt, unde etiam oppidum *Xeching*, quod *vallum malorum granatorum* ſignificat, nomen accepit.

In *Huquang* ſub *Changte* aurea mala, inter quæ à Sinenſibus appellantur hyberna mala aurea: nam cæteris jam arbore præ maturitate delapſis, hæc demum matureſcunt hyeme, ſaporis ſupra modum dulcis & jucundi.

In *Fokien* apud *Chivencheu* & *Changcheu*, aurea mala nobiliſſima copioſa proveniunt, quæ pondere & magnitudine maxima Europæorum æquant, ſed odore ac ſapore multum ſuperant. Ipſa etiam arbor parum ab Europæa differt; ſed ſapor pomorum eſt, ut uvarum Apianarum: unde nec Italia nec Hiſpania tale genus aureorum pomorum profert. Hic fructus ejus eſt naturæ, ut aureus cortex facile decidat. Medulla intus mollis, pelliculis variis clauſa, quæ facile divelluntur. Ubi ſuperfluus humor inter duas tabulas expreſſus eſt, Sinæ ſaccharo impoſita poma toto anno aſſervant. Nec domi tantum in pretio ſunt, verùm etiam ad exteros deferuntur.

In *Chekiang* apud *Kinhoam*, ex arboribus pinguedo ſtillat, unde velut ex ſevo, candelæ albiſſimæ fiunt, quæ manus inter tangendum non inficiunt, nec odore, dum exſufflantur, torquent. Arbor haud exiguæ magnitudinis eſt, inſtar pyri, floribus, ut ceraſi, albis. Florem rotunda bacca, ceraſi quantitate ſequitur, nigra & tenui pelle tecta, ſub qua caro alba, quæ apparet, cum bacca matura eſt, & pellicula rumpitur. Sinæ aquas excoquunt; unde caro liqueſcit, & dum refrigeratur, gelatini inſtar coagulatur. Intra carnem nucleus oleo plenus, qui inſtar olivarum Europæ maceratur: oleum expreſſum non ad cibos, ſed lampades adhibetur. Folia, quæ præpinguia, ovibus ac vaccis pabulum gratum præbent, quæ etiam inde vehementer pingueſcunt.

In *Peking* fructus *Linſcio*, figura tribuli & triquetræ pyramidis, circumcirca inæqualis. Cortex viridis craſſus, & ubi eminet, rubens; dum ſicca-

ſiccatur ingreſcit. Caro interior admodum alba, caſtanei ſapore, ſed unus fructus tres quatuorve caſtaneas ſuperat. Folia ſunt exigua, quæ aquæ innatant: fructus plerique pediculis ſub aqua adhærent. In aquis ſtantibus tota Sina ſeruntur.

Pomum *Sucu.* In *Xantung* pomum *Sucu* copioſe provenit, ſiccatum, ut ficus, toto anno durat, & à mercatoribus per Sinam diſtrahitur. Europæa poma magnitudine aliquomodo ſuperat, colore intenſe rubeo. Intra pulpam lapilli, vel teretes & rotundi nuclei, cortice duro clauſi. Hi nuclei non in medio pomi, ſed ad latus alterum, neque jacent, ſed erecti ſtant. In uno fructu ſæpe decem, quinque plures pauciores pro quantitate: dantur etiam qui plane lapillis carent. Caro intus rubra & mollis, ſapore gratiſſimo. Pomum exiccatum cruſtam ex melle veluti, aut ſaccharo nanciſcitur: ita ut condita appareant. Dantur etiam viridia, quæ cum maturuerunt, non molleſcunt, ſed inſtar noſtratium pomorum, dentibus aut cultro ſcinduntur & excoriantur. Hi fructus nullibi extra Sinam reperitur, in mediocri arbore creſcit, neque ulla humana cura opus habet.

Fructus *Lichi.* In *Suchuen* apud *Chunking*, copioſe provenit fructus *Lichi*, qui maturus per curſores ad aulam Imperatoris defertur. Majori adhuc copia in auſtralibus *Fokien* plagis, maximè apud *Focheu*, quanquam qui apud *Hinghoam* creſcit, melior cenſeatur. Luſitani *Makaonenſes Lichias* vocant. Arbores præaltæ, foliis lauri ſunt. Ex cacumine ramorum racemi quaſi erumpunt, quibus velut uvæ, fructus adhærent, ſed non denſi, & longioribus pediculis, forma corculi, magnitudine juglandis, repræſentans parvam nucem pineam ſcabro ſuo & ſquammoſo cortice, quanquam non tanta craſſitie; quippe pelliculam tantum levem, quæ facile manu tolli poteſt, refert. Intra nucleus ſucciplenus, albus, ſapidus, odore roſeo. Maturi fructus purpuraſcunt & tam arbores circumcirca capillis quaſi purpureis flagellantur, jucundo ſpectaculo. Intus in pulpa lapillus, qui quo minor eſt, eo fructus excellentior habetur. Jure hic fructus *Rex omnium fructuum* vocari poteſt; cum natura eum oculo tantum & ventri produxerit: nam oculus aſpectu, lingua guſtando ſatiari non poſſunt. In ore ut ſaccharum liqueſcit.

Nuſpiam in Sina, niſi in *Suchuen* nux pinea reperitur.

Lungyen. Eſt & alius in Sina fructus priori non abſimilis, ſed minor, *Lungyen*, id eſt *Draconis oculus*, ceraſi quantitate ſed duriore cute & ſquammoſa. Siccata quoque paſſim venduntur, ſed crudis haud æquiparanda, quod inter exiccandum ſuccus prænobilis totus fere exhalarit. Ex crudis ſucco exprimitur vini ſpecies, ſaporis grati, ſed rara ejus copia.

In eadem regionis fructus *Muiginli*, id eſt *pruna formoſæ fœminæ*. Hæc pruna rotunda, magnitudine Damaſcena & præſtantia longe ſuperant.

Panaix. In *Quantung* paſſim nuces Indicæ parvæ & magnæ & fructus quidam, qui omnium reliquorum maximus cenſetur, Indis *Iaka*, Arabibus *Panaix*, Perſis



Persis *Funax*, reperitur. Ob magnitudinem non in arborum, quanquam magnarum, ramis, sed trunco crescunt, quasi metuentes debilitatem ramorum. Cortex tam durus, ut non nisi securi findi possi. Intus innumeræ ædiculæ plenæ flava medulla & in quibus nux sive castanea latet, quæ ubi maturuit dulcis & castanearum sapore est.

Præter hunc fructum & alius *Champidaica* reperitur, non trunco sed ramis adhærens. Arbor in magnam altitudinem ramis late diffusis, folio quercino, sed absque crenis, assurgit. Sapore & succo *Iakam* superat. Cineribus corticum aculeatorum ad lixivia, eluendis vestibus, utuntur. *Christophorus Acosta* arborem & fructum ita describit: Vasta est arbor, foliis palmaris amplitudinis prædita, dilute virentibus, nervo crasso & duro per longitudinem excurrente. Malum fert non è germinibus, aut foliorum sede, quemadmodum aliæ arbores, sed ex ipso trunco majoribusque ramis nascens, longum, crassum obscurius virens, crasso duroque cortice tectum, omni ex parte cuspidibus septo, quæ in spinam brevem, viridem, nigroque aculeo præditam desinunt, admodum similem Durionis spinæ, sed minime acutam aut pungentem, tametsi minitari videatur. Horum fructuum minimus est maximæ cucurbitæ amplitudine atque etiam major, præsertim in Malabar, ubi præstantiores nascuntur. Nam qui in Goa proveniunt, minores & pejores sunt, atque magis insipidi. Cum maturus est hic fructus, bonum odorem spirat. Ejusque duas differentias constituunt. Unum *Barca* appellatum, & præstantiorem: alterum *Papa* aut *Girasal* dictum, minusque bonum: deprehenditur postremus ex mollitie:

quoniam ſi manu apprehendas, digitis cedit. Præſtantiſſimi vero fructus pretium quadraginta maravedis non excedit, hoc eſt, paulo plus Regali Caſtellano. Per longitudinem ſecti hi fructus, intus candidi, & denſa carne præditi apparent, ac veluti in capſulas aut receptacula diviſi, plena caſtaneis longioribus & craſſioribus, quam ſint Dactyli, ſive Palmulæ, cinerea tunica tectis, & intus albis Caſtanearum vulgarium modo, guſtu terreſtri & aſpero, ſi virides edantur, multosque flatus generantibus. At ſicuti Hiſpanicæ Caſtaneæ aſſentur, guſtu ſapido & Venerem excitantibus, ob quam ſolam rem plebs frequentius uti ſolet. Sunt autem ſingulæ hæ Caſtaneæ pulpa flaveſcente, & aliquantulum lenta involutæ, & pulpam Durionis nonnihil referente, tametſi ab eo differat. Grati ſaporis eſt, præſertim quæ in *Iaca Barca* cognominata continetur, optimi Melonis pulpæ admodum ſimilis.

Duriones.

CReſcunt etiam variis Sinæ locis *Duriones*, ſapore quidem ingrato & odore allii fœtido; nihilominus ſaluberrimis fructibus accenſeri merentur. Calido & ſicco temperamento, urinam, flatus, ſudores pellit. Autumno copioſius comeſti noxam inferunt, jecur & ſanguinem inflammant, faciem puſtulis fœdant. Si quis Indica ſcabie Japoniis *Kourap* laborans, hoc fructu veſcatur, cutis ejus adeo perpruriſcit, ut manus abſtinere à ſcabendo & fricando non poſſit. Acoſta hunc fructum ita deſcribit: calidus & humidus eſt hic fructus, & qui edere volunt, pede leviter comprimere, & frangere ſolent, propter ſpinas, quibus obſitus eſt. Qui nunquam hos fructus ederunt, cum primum illos olfaciunt, videntur putridas cæpas odorari: ſed poſtquam deguſtarunt, præ reliquis cibis bene olere & ſapere cenſent. Eſt vero in tanta exiſtimatione apud eos, qui gulæ dediti ſunt, hic fructus, ut putent neminem eo poſſe ſaturari, propterea varia dant illi epitheta. Tanta tamen eſt hujus fructus in Malaca abundantia, ut ſinguli non pluris, quam quatuor maravedis veneant, præſertim menſibus Junio, Julio & Auguſto: nam reliquis pretium intenditur pro hominum arbitrio. Admiratione porro digna eſt Betele cum hoc fructu antipathia, quæ profecto tanta eſt, ut ſi quis in navem Durionibus plenam, ædeſve aut concamerationem, ubi obſerventur, aliquot Betele folia reponat, corrumpantur & putreſcant omnes. Et ſi cui ex Durionum immodico eſu ventriculus inflammatur & gravatur, folio Betele ſupra ventriculum impoſito, ſubito mitigatur inflammatio, tumorque tollitur. Et, ſi à Durionum eſu ingerantur aliquot Betele folia, nullam noxam ſentiet, quantumvis multos ederit: inde fit, tum etiam ob ejus guſtum ſuavem, ut vulgo dicatur, neminem eorum eſu poſſe ſatiari.

Ananas.

EST in Sina fructus sapidus *Ananas* ex America in Indiam Orientalem primo translatus, ubi nunc uberrime provenit. Fructus, magnitudine mali citri, dum maturuit, est colore summe flavo, & tanta odoris fragrantiâ, ut prætereuntium nares suaviter afficiat. In cacumine florum Thyrsus ac foliorum emicat: eminus intuenti cynaro præter pingentes spinas apparet similis; grato sapore palatum recreat. Medius caulis maximus duorum pedum altitudine, quindecim vel sedecim tegitur foliis, aloes frondem æmulantibus, sub quibus fructus latitat. Circa medium caulem minores, fructu juniori gravidi, germinant. Hunc maturum fructum legentes, mox ejus taleas inhumant, quæ intra anni spatium fructus ferunt. Dum primo in Indiam deferebantur, singuli decem aureos valebant.

Sapor fere fraga cum vino & saccharo æquat. Fructum comesturus exteriorem corticem tollit: reliquum in taleolas secat & aqua vel vino macerat, ut corrosivus humor, linguam sua acrimonia lancinans, extrahatur. Cavendum ergo, ne quis subdulci deceptus sapore nimium ex iis comedat; nam sua acrimonia facile insanabilem diarrhœam & dysenteriam concitant. Et quanquam hic fructus sit calidus, folia tamen ob accidam & astringentem vim, refrigerant. Tam nobilem & jucundum saporem hic fructus habet, ut sacchari modo inter dentes liquescat, ac dulcedine vix parem habeat.

Musa.

IN *Quantung Musa* provenit, de qua ita Acosta: Musam seu Ficum Indicam vocant: decem & octo aut viginti (inquit) palmorum magnitudine attollitur hæc pulchra & elegans arbor, cujus truncus ex multorum corticum sibi mutuo incumbentium conjunctione constat, & humani cruris crassitiem adipiscitur, radice rotunda & crassa, Elephantorum gratum pabulum: foliis novem palmorum longitudine, duorum cum semisse latitudine, nervo satis crasso per longitudinem excurrente, & transversis fibris in latera sparsis, parte superiore saturis, inferiore dilutioribus. Ex hujus arboris fastigio nascitur veluti thyrsus quidam florum simul congestorum in modum Pinei strobili, coloris rufi: deinde unicum ramum fert humani brachii crassitie in multo nodos divisum, è quorum singulis, decem aut quatuordecim dependent ficus, ita ut nonnunquam ramus centenis, aut ducentenis ficubus onustus conspiciatur. Hos in diversas species distinguunt Lusitani.

Hic fructus communiter mollis, pinguis, tenax, viscosus, dulcis, sapore assuetis jucundo; sed duræ concoctionis, boni tamen nutrimenti & tussim ac catarrhos sanans. Cortices exiccati, viscera & cor confirmant. Aqua, cui incocti, febres malignas pellit, pulvis omnes affectus cordis tollit.

Caput Decimum Sextum.

De ANIMALIBUS.

Quadrupes.

OVes per Sinam, ut in Persia & Tartaria, longis crassisque caudis, quas post se trahunt, pondere interdum quadraginta librarum, carne dulcissima.

Apud *Tieki* vaccæ generosæ longis, crassis & cirratis caudis, quibus milites Sinici pro plumis in cassidibus suis utuntur.

Apud *Cingcheu* & *Tengcheu*, in stomacho vaccarum lapis *Nieuhoang*, id est flavedo vaccarum, quia plerumque flavus est, reperitur. Varia ejus magnitudo, sæpe ovum anserinum æquat, non tam densus, ut *Bezoar*, ideo & levior, quanquam Sinenses Medici eum *Bezoaro* præferant. Externa facie creta mollis & flava videtur. Frigiditate sua catarrhos capitis absorbet. Aquam ferventem mox injectus sedat: gutta frigidæ aspersus vaporat & statim aquam attrahit.

In *Quantung* apud *Luicheu* animal est, quod Sinæ *celerem vaccam* vocant, quoniam una die trecenta milliaria stadia cursu conficit. In vertice oblongo & rotundo cornu armatum est.

In *Cincheu* cornuta bestia est, vaccæ specie, cornibus in capite ebur albore superantibus. Salem avidissime appetit, unde venatores saccos salis ei apponunt, quos tam avide lambendo exugit, ut sui quasi oblita vinciatur & occidatur.

In *Kiangsi* apud *Nanchang*, sues magna cura saginantur, ac tanta eorum in ipsa urbe multitudo est, ut ægre per plateas transitus detur. Neque tamen viæ propterea lutulentæ fiunt: nam omnia stercora, etiam suillum, Sinæ diligenter colligunt & pro fimo ad stercorandos agros, vendunt.

In *Peking* feles candidissimi, promissis pilis & dependentibus auribus. In deliciis virginum sunt: sed muribus insidiari nolunt, quod domi nimis delicate pascantur. Non tamen desunt aliæ feles, quæ muribus perniciem struunt.

Nuspiam meliores & frequentiores equi, quam in *Iunnan* & *Suchuen* apud *Po*.

In *Xensi* monte *Holan*, qui trecenta stadia ambitu complectitur, multi

feri



feri equi. Sinensium equi communiter humiles sunt, sed carnosi, clunibus latis, robusti & laboriosi. Freno simplici, absque verberibus, facile & reguntur & sua agunt.

Apud *Siven* mures flavi, magni, pretiosa pelle circumdantur.

Per totam Sinam, maxime in *Quantung*, cervi, lepores, hinnuli, & aliæ feræ; integra armenta eorum proficiscentibus occurrunt.

In *Xantung* lupi homines pariter & fruges invadunt.

Xensi ursos alit, quorum priores pedes Sinæ inter delicias referunt.

Apud *Linyao* montes sunt, in quibus tauri efferi & animalia Tigridum æmula, ex quorum pelle vestes conficiunt, reperiuntur.

In *Suchuen* apud *Po*, *Rhinoceros*, Belgis *Neushoorn*, quod cornu naribus impositum gerat. Colore subcineritio est, instar Elephantorum, corpore glabro & depili. Pellis rugosa & segmentata tanta duritie, ut vix Japonico acinace diffindi queat. Non enim squammis (ut vulgo pingitur) armatus est Rhinoceros, sed hæc segmenta & plicaturæ squammas tales & quasi clypeos repræsentant. Ore suillo, sed acutiore, cornu in nare gerens, nigrum vel cineritium, raro album, quod pretiosius cæteris. Prout ætas, ita & cornu majus minusve est. Rhinoceros.

Mole corporis parum ab Elephanto distat, sed brevior pedibus est, unde etiam minus spectabilis. Nulli noxam infert illæsum: si vis fiat, non in illum modo, qui prior læsit immaniter sævit, sed obvia quæque, etiam integras arbores prosternit. Prostratum hominem lambendo necat; lingua enim ejus aspera & aculeata est: qua cutim & carnes usque ad

oſſa dilaniat. Exemplum memorabile *Iacobus Bontius*, in hæc verba: Cæterum de irritatæ beſtiæ furore aliquid addam, quod nuperrime accidit Secretario noſtræ civitatis *Theodoro Iemmingio*, qui cum nuper duobus aliis comitatus eques in ſilvam exiiſſet exſpatiatum, in paludoſo loco in Rhinocerotem cum catulo ſuo incidit (nam hoc animal non ſecus cœno, quam Porci, & Apri libenter volulatur) qui illis viſis ſurrexit, ac tarde recedens præ ſe agebat catulum ſuum ſilvam verſus, qui cum laſciviens aliquando reſtaret, mater roſtro protrudebat. Interea quidam ex eorum conſortio præ temeritate, equo inſidens belluam inſequitur, & exerta machæra, quam gerebat, Japonicâ, poſteriores partes Rhinocerotis ferit, ſed ictibus non penetrantibus propter cutis craſſitiem aliquot ſtriæ in tergo & natibus beſtiæ apparebant. Quod patientiſſime bellua ferebat, quouſque catulum ſuum inter vepres & ſalicta occuluiſſet, tum enim repente converſa in equitem noſtrum, cum immani grunnitu, & ſtridore ejus caligis mordicus apprehenſis, eas mordicus diſcerpſit, materia levi, utpote Bombycina, ſequenti, alioquin plane actum de eo fuiſſet: ſed equus forte prudentior aliquanto ſuo rectore, retro ſaliit, & in fugam convertitur, inſequente ipſos omni vi Rhinocerote, proſternendo cum horribili fragore arbores, & quidquid obvium ipſi impedimento eſſet. Dum noſter eques devenit in eum locum, ubi ſocios reliquerat, quibus viſis, Rhinoceros, eo derelicto, alios impetit, qui furorem belluæ declinantes, poſt duos ingentes arbores ſe abſcondiderant, vix duos pedes intermedia rima à ſe invicem diſtantes, & ſive hoc felici eorum fato, ſeu ſtupore huic animali ingenito, evenerit, beſtia ſolummodo per iſtam rimam ſummo conatu ſibi viam quærebat, & arbores non ſecus ac arundines tremere faciebat, ſed tamen craſſities earum frontis ipſius impetum infringebat. Interim dabatur ei locus ſcopleta ſua explodendi (quæ propter Latrones Javanos, ibi tum temporis vagantes, unicuique gerere mos erat) & belluam adactis aliquot ictibus per cerebrum feriendi, & ſic immanem belluam proſtravere, ſuppetias ferentibus Mauris ferris, qui iſtuc à Dominis ſuis lignatum miſſi fuerant, qui hoc animal porro dolonibus, & ſecuribus contrucidavere.

Paſcitur aculeatis frondibus, ac ſpinoſis ramuſculis, qui linguam ob membranæ craſſitiem non offendunt. Ei innata cum Elephanto antipathia eſt, cujus abdomen cornu, prius ad ſilicem exacuto, dilacerat, unde ſubſequente hæmorrhagia interit. Porcum grunnitu æmulatur. Mauritani ejus carne veſcuntur, cujus ſubſtantia tendinoſa, & adeo compacta, ut ad conciſionem dentes ferrei requirantur. Vinum, in quo Rhinocerotina pellis per noctem macerata eſt, adverſus malignas febres præſtans remedium: ut & ejus cornu adverſus venenum certa antidotus. Hæc bellua non Ariſtoteli, nec Græcis, aut Romanorum ulli ſexcentis ſexaginta quatuor annis ante reſtauratam Romam innotuit. Quamvis poſtea Quiri-



Quirites rebus ſecundis luxuriantes ejus cornu pro lechytho in balneis, & vivum animal in theatris uſi fuerint. Unde auctores de prima Rhinoceratis in Europam introductione variant.

Per univerſam *Chekiang* Tigres; ſed in monte *Kiucheu*, hominibus innoxii, & ſi quæ feræ Tigres in hunc montem deferantur, manſueſcunt.

Variis Sinæ locis Elefanti quoque reperiuntur, ſed optimi in *Nanking* [illegible] & *Iunnan.* Et quoniam animal hoc etiam Europæis notiſſimum eſt ac multorum prolixæ de eo deſcriptiones extant, pauca tantum de eo tRademus, omiſſis quæ ut ambigua adhuc diſputantur. Omnes ſunt nigri, Æthiopicis exceptis: album Rex Narſingæ habuit. Cutis rimoſa & denſa eſt, unde clypeos & arma Mauris & Peguanis præbet. Quatuor in ore dentes habent, præter duo illa eburnea cornua, quæ in maribus reflexa; fœmellæ in ſolum propendula gerunt. Inferiorem tantum maxillam inter mandendum movent, ſuperiori ſemper immota. Loco narium proboſcidem habent flexilem, quo vici manuum utuntur. Quicquid de Elephanti docilitate dicitur, verum eſt: ſed illud Plinii & Æliani falſum inflexiles pedes & crura ſine flexuris habere. Elephanti natura melancholici ſunt admodum, noctu pavent & inſomniis divexantur. Alvi profluvio frequenter laborant & zelotypia quotannis efferantur. Hoſtes ejus ſunt Rhinoceros, Leo, Serpens, Tigris, Porci, Arietes, & Dracones ex coloribus ruber & igneus.

In *Iunnan* apud *Chinyven*, mons *Nalo*, in quo ferociſſimæ Tigres & Tigris, Leopardi; ſunt & in *Quantung*, apud montem *Xepao* prope *Gucheu.*

Leoni-



Leonibus ferociores ſunt, humanæ carnis avidæ; homines ex ipſis ædibus, ut felis mures, abripiunt. Etiam arbores conſcendunt, inde, qui eo confugerunt, deprædantes. Circa renes baculo percuſſus, animo linquitur & ſuperatur: neque alia ratione facilius domari poteſt. Ac ne in homines pariter & beſtias inſatiabiliter graſſaretur, natura parvum quoddam animal ei ſocium fecit, quod perpetuo ſuo latratu præſentiam Tigris prodit; quo audito reliquæ beſtiæ ſe abdunt, homines aufugiunt. Bengalenſes imprimis Tigres metuunt, unde variis nominibus quaſi in ſecuritatem appellant, ne ſi proprio ſemper nomine compellent, ab eo ſtatim dilanientur. Magna inter Tigres & Rhinocerotem amicitia eſt; ubi Rhinoceros ibi & Tigris cubile ſuum habet, ac frequenter ſimul ambulant. Cauſam Javani referunt in ſtercus Rhinocerotis, quo Tigris contra debilitatem ſtomachi utatur, non ſecus ac feles nepetam, Canes gramen, cervi dictamnum pro medicina habent. Sed Rhinoceros fœmina, dum prolem ſuam lactat, Tigrim non fert juxta ſe ambulantem.

In *Quangſi* Echini aculeis ſeſquipede longis, quos in obvios magna noxa ejaculantur.

In *Xenſi* beſtia *Xe*, unde moſchus. Ex regno *Lu*, in regnum vicinum *Laos* delatum, ſtatim moritur, velut extra aquas piſces. Etiam in *Suchuen*, montibus apud *Paoning* reperitur.

In Regno *Gannan*, animal *Feſe*, humano fere aſpectu, brachiis longis, nigrum & ſetoſum; celer, riſu hominem æmulatur & deprehenſum vorat.

In

In *Suchuen* apud *Cungking*, mons *Tayung*, in quo simiæ humana forma. fœminis admodum insidiantur, quas etiam subinde abreptas, ineunt. Tale monstrum *Nicolaus Tulpius*, insignium virtutum & in Remp. Amst. meritorum ita describit: *Satyrum Indicum, nostra memoria, ex Angolæ delatum: & Frederico Henrico Arausionensium Principi dono datum. Erat autem hic Satyrus quadrupes. Sed ab humana specie, quam præ se fert, vocatur Indis* Oran-Outang *sive homo sylvestris. Exprimens longitudine puerum trimum, ut crassitie sexennem. Corpore erat obeso, nec gracili, sed quadrato, habilissimo tamen, ac pernicissimo. Artubus vero tam strictis, & musculis adeo vastis; ut quidvis & auderet, & posset. Anterius undique glaber; at pone hirsutus, ac nigris crinibus obsitus. Facies mentiebatur hominem; sed naves simæ, & aduncæ, rugosam & edentulam anum: Aures vero nihil discrepare ab humana forma. Uti neque pectus ornatum undique mamma prætumida (erat enim sexus fœminini) venter habebat umbilicum profundiorem; & artus, cum superiores, tum inferiores tam exactam cum homine similitudinem, ut vix ovum ovo videris similius. Nec cubito defuit requisita commissura, nec manibus digitorum ordo; nedum pollici figura humana; vel cruribus suræ, vel pedi calcis fulcrum. Quæ concinna, ac decens membrorum forma in causa fuit, quod multoties incederet erectus, neque attolleret minus gravate, quam transferret facile, qualecunque gravissimi oneris pondus. Bibiturus prehendebat canthari ansam manu alterâ, alteram vero vasis fundo supponens, abstergebat deinde madorem labiis relictum, non minus adposite, ac si delicatissimum vidisses aulicum. Quam eandem dexteritatem observabat utique cubitum iturus; inclinans quippe caput in pulvinar, & corpus stragulis convenienter operiens; velabat se haud aliter, ac si vel mollissimus illic decubuisset homo. Quinimo narravit aliquando affini nostro Samueli Blomartio Rex Sambacensis, Satyros hosce præsertim mares in Insula* Bonræo *tantam habere animi confidentiam, & tam validam musculorum compagem, ut non semel impetum fecerint in armatos viros, nedum in imbellem fœminarum, puellarumve sexum. Quarum interdum tam ardenti flagrant desiderio, ut raptas non semel constuprarint. Summe quippe in venerem sunt proclives, quod ipsis cum libidinosis veterum Satyris commune, imo interdum adeo protervi, ac salaces, ut mulieres Indicæ propterea vitent cane pejus & angue saltus & lustra, in quibus delitescunt impudica hæc animalia.*

A V E S.

IN *Xantung* Gallinæ, Capones, phasiani perdices & aliæ aves vilissimo pretio veneunt.

In *Quansi* gallinarum genus, quæ gossypii fila evomunt & nisi mox sublegantur, iterum deglutiunt.

In *Xensi* apud *Mincheu* & *Tiencíven*, perdices & Gallinæ loco plumarum lanam, ut Aves, habent. Hæ gallinæ parvæ pedibus admodum

humiles, sed animosæ ac pugnaces sunt, ac voluptatis & delectamenti ergo à fœminis aluntur.

In *Quantung* incredibilis anatum copia, studio incolarum alitur. Ova fornacibus vel sub fimo, more Ægyptiorum, excludunt. Sinæ in navibus suis integra anatum stabula habent, quæ ad littus & ripas delata, undis recedentibus, ostrearum, cancrorum aliorum animalculorum carnibus saginant. Sæpe integræ classes anatiferæ uno loco subsistunt, anates in aqua & littore mixtim pascunt: circa vesperam ad pelvis sonum singulæ navim suam repetunt. Caro earum salita, pristinum saporem retinens, diu asservatur.

In *Huquang* apud *Hanyang*, anseres feri capiuntur.

In *Chekiang* apud *Vencheu*, & montem *Yentang* lacus est decem stadiorum ambitu, *Balneum anserum* nomine, quia feri anseres, dum loca mutant, in prætervolando ibi quiescunt.

In *Quantung* apud *Chaoking* & in *Quangsi* ac *Iunnan*, montana feros ac cicures Pavones alunt, quos vix alibi reperias.

In *Nanking* apud *Taiping*, Insula *Hiao*, quæ saxum excavatum videtur; in quo innumeræ noctuæ stabulantur, unde & nomen accepit.

In *Suchuen* asperis montibus apud secundum militare castellum, vultures generosi & acres reperiuntur.

In monte *Locung*, in Provinciæ *Huquang*, apud urbem X*incheu*. avis nidulatur, quæ nunquam nisi pluvia imminente, sonum edit; unde accolæ certam conjecturam faciunt.

In *Chekiang* apud *Kiahing*, Sinæ autumno aviculas *Hoangcio* capiunt, quas vino ex oryza impositas toto anno divendunt.

In *Quangsi* apud *Queilin*, pulchræ & discolores aves, quarum pennas suis telis sericeis vel lineis intertexunt.

In *Xensi* urbs *Fungciang* à Phœnice dicta vel ave auspicata; quæ raro visitur: nam *Fung* est avis & *Ciang* fortuna vel felicitas. Hanc avem variis coloribus depingunt, sed semper solam, quia rarissime, nec nisi magno rei bono conspiciatur. Procul dubio Phœnicem vel ignotum aquilæ genus, quale suis tapetibus & vestitui intexunt, denotant.

In *Iunnan* apud *Kiocing*, hirundines albis sub ventrem maculis, ex quibus Medici præstantem ad oculorum vitia aquam distillant.

Apud *Unting* lacus *Hoeiniao* arboribus undique cinctus, quinque stadiorum ambitu, in quem decidentia arboris cujusdam folia, avium formam induant, tanto accolarum cum stupore, ut illas aves pro spiritibus habeant.

Per universam *Sinam* avis *Louwa* reperitur, ansere minor, corvo similis, collo procero, rostro aquilino incurvo. Sinæ ut supra dictum piscari eum docent, sicut apud nos canes ad venandum edocentur. Collum iis, ne majores pisces deglutiant, ferreo annulo constringunt, quos ex ingluvie

vie eorum piſcator expellit. Piſces majores, quam ut gutture capi poſſint, roſtro attollunt & dato piſcatori ſigno, exhibent. Pro ſingulis certum tributi genus Imperatori perſolvitur.

Piſces.

IN *Xantung* aquæ adeo piſculentæ ſunt, ut unico ſtufero, decem piſcium libras emere poſſis.

In *Kiangſi* magna quoque piſcium copia, præſertim apud *Kienkyang* ubi Sturionum, Delphinum & Salmonum captura.

In *Huquang* apud *Xeu*, in rivo *Loſeu* præſtantes lampretæ capiuntur.

In fluvio *Croceo* capitur piſcis *Xehoa*, à lapideis cutis maculis ita dictus. Nuſpiam niſi apud urbem *Pajote* capitur, bibonum & ebrioſorum delitiæ.

In *Fokien* apud *Hinghoam* optimi alburni capiuntur.

Apud *Ningpo* in vere piſcis *Hoang*, id eſt *flavus* capitur tantæ teneritatis & mollitie, ut vix dimidia extra aquas hora durare incorruptus poſſit. Sed quia ſaporis delicati admodum eſt, in ſaccis glacie plenis eum conſervant, & atque huic fini hybernam glaciem tota æſtate in cellis cuſtodiunt.

Apud *Kiagan* mare eſt *Mie*, ita dictum, quod piſces melle dulciores alat.

In *Chekiang* apud *Hangcheu* & *Canghoam*, mons *Cienking* mare ducentorum jugerum amplitudine eſt, in quo fulvi piſces aureo colore micantes, vix digitum magni, ſed cauda bifurcata aut trifurcata, etiam ſolida & lata ſpectabiles. Sinenſes hos piſces in ſuis hortis magna cura, peculiaribus quibuſdam ad id vaſis, alunt, & Magnates quoque manibus ſuis eſcam illis in aqua quaſi applaudentibus, projiciunt. Unus talis piſcis, ubi in juſtam magnitudinem excrevit, tribus vel quatuor Coronatis venditur.

In *Honan* apud *Namyang*, rivus *Tan*, principio æſtatis rubri plane piſces capiuntur; reliquo anni tempore latent.

In *Huquang* apud *Changxa* & *Nanking*, in magno fluvio *Kiang*, piſcis *Xiyu*, Luſitanis *Sauel* Aprili & Majo capitur; Imperatore quendam Eunuchum ibi conſtituente, qui piſces curioſe glacie ſepultos vivosque navibus *Pekingam* mittit.

In Xenſi apud *Pingyang*, piſcis capitur quem Sinæ *lapidem* vocant, cujus ſiccati & contuſi pulvis telæ ſericeæ inſperſus, eam à tineis & blattis præſervat.

Apud inſulam *Hainan* Sinæ Balænas eodem, quo Batavi apud *Gronlandiam* & *Spitzbergam* modo capiunt & inde oleum excoquunt.

In *Iunnan* apud *Chinkiang*, piſcis genus, ex quo Medici præſtans medicamentum contra pſoram & impetigines conficiunt. In eadem regione mare *Ming*, nigris piſcibus fœcundum, qui varios morbos ſanant.



Balæna.

LOngitudo Balænarum communis octoginta, sæpe centum & viginti pedum est, quanquam in Indico Oceano nongentorum & sexaginta pedum conspectam tradant. Capita tertiam corporis partem constituunt; supra nares duo rotunda foramina, per quæ aquam attrahunt & regurgitant. Loco oculorum duas prominentias, vel tenues nervos, tres ulnas longos & sespipede latos, densis villis consitos habent. Auris utrimque ad tempora, extus longe angustior quam inferius, unde acutissime audiunt. Rictus quinque ulnas patet, labia tam pinguia & crassa, ut sæpe sexies mille libræ laridi exscindantur. Lingua octodecim pedes longa, decem lata, supra octingentis parvis magnisque ossibus setis mollibus vestitis, ne lædatur, quiescit. In ventriculo nil nisi pugilli aliquot aranearum & musci marini reperitur: unde putant sola aqua salsa nutriri. Sed vorant etiam pisces, ac in una quadraginta aselli majores reperti. Nonnulli negant eas mandere, sed totos pisces deglutire, nec nisi minutos, quod gula eorum angusta sit. Mas membrum genitale quatuordecim pedes habet. Coeunt magno cum affectu, mutuo se amplectentes & erectæ. Fœminæ pariunt inter Octobrem & Novembrem unicam prolem, bovis magnitudine ac sæpe majorem, quam mater suis pinnis defendit & uberibus lactat. Inimicitiæ ipsis cum *Tonis*, *Delphinibus*, *Orka*: imprimis tamen *Xiphiam* formidant, qui suo acutissimo

tiſſimo gladio ſerrato ventri Balenæ exitium molitur: inde rictum ejus ſubiens, linguam devorat, cui rei fidem faciunt multæ balænæ mortuæ, quarum lingua faucibus morſu eſt evulſa.

Balænæ ita capiuntur. Deprehenſa in mari Balæna ſcapham, cujus proræ *Harponierus*(ita vocant Belgæ)inſiſtit,expediunt. Jaculator jaculum ſuum in Balænæ caput adigit. Ferrum ejus tres pedes longum, acutum & uncinatum longo funè ducentarum fere orgyarum alligatum eſt. Piſcis ictus profundo mergitur, fune ſequente. Si profundius deſcendat, quam funis longus eſt, dimittitur ex manibus, ne ſcapha evertatur. Interdum extremo funi inane vas alligant, quod aquæ innatans, vel ex ea emergens Balænam oſtendit; nonnunquam Balæna etiam hoc vas cum fune in profundum abripit. Vulnere paulatim debilitata emergit, & ſi vivat adhuc, lanceis porro confoditur, ſed maximo cum periculo; quippe pinnis ſuis & cauda mare horribiliter verberat, ut undæ ſpumis ingentibus albeſcant, & ſcaphæ ſubmerſioni expoſitæ ſint. Ex mortuo ad littus laridum cultris exſcinditur, ac in oleum excoquitur: reliquum cadaver in mare abjicitur, cui inſidentes lari illud depaſcuntur, & dum natat, Balænam vivam procul ſpectantibus exhibere videtur.

Reptilia.

Apud *Fungciang* Serpentes nigri ex quibus antidotum conficiunt.

In *Honan* apud *Nangang*, Serpentes cute maculoſa & albuginibus infecta. Vinum, in quo macerati, paralyſin ſanat.

In *Huquang* apud *Hoangheu* Serpentes lepram & ſcabiem ſanant.

In *Chekiang* apud *Kincheu*, in monte *Cutien*, Serpentes ſine veneno & innoxii ſunt.

Inſecta.

X*Enſi* raris irrigatur pluviis, unde ingens locuſtarum in ea proventus, omnem virorem depaſcentium, quanquam omnes incolæ juſſu Magiſtratuum contra eas expeditionem ſuſcipiant & quaſi bellum gerant, nihilominus cuncta adeo vaſtant, ut neque folia in arboribus, neque in campis herbæ, aut ſata conſpiciantur. Sæpe ſua multitudine ipſum Solis lumen offuſcant & tenebras ipſa meridie inducunt. Coquuntur à Sinis & pro cibo delicato comeduntur.

In *Huquang* apud *Tegan*, cera alba reperitur, quam Vermiculi quidam eodem fere modo, quo apes, favos elaborant. Hæc cera pretioſis candelis, quibus nonniſi Magnates utuntur, inſervit: nam & candidiſſimæ ſunt & ſuavem, dum ardent, odorem exhalant, & clarius lucent, quam aliæ, nec veſtes contactu fœdant. Hæc cera etiam apud *Pinglo* in *Quangſi* reperitur.

Nullibi totâ Sinâ plures, quam in *Chekiang*, bombyces, ubi eodem quo in Europa labore, propagantur. Ut falsum sit omne sericum in Sina absque humano labore, in arboribus crescere.

In *Xantung* fila serica de arboribus & tectis ædium ac per campos sponte dependent, non à Bombycibus, sed alio vermium genere, quod erucis non admodum dissimile est, confecta. Sericea tela ex hoc serico confecta paullo crassior est, quam ex Bombycum filis, sed simul quoque durabilior & densior.

Amphibia.

MUlta quoque per Sinam *Amphibia*, ambiguo terræ & aquæ commercio utentia.

In *Huquang* fluvio *Siang*, bellua equi specie, sed squammosa ac unguibus, ut Tigres. Homines pariter ac bestias imprimis autumno, ubi aquis egressum omnem regionem pervagatur, dilaniat.

In *Quantung* apud *Hoeicheu*, bellua *Hoangcioya*, id est flavus piscis. Hoc animal neque piscis, neque avis est. Sed medium inter utrumque. Nam tota æstate avis colore flavo est, in montibus volans: autumno mare iterum subit & piscis fit, quem tum captum cum voluptate comedunt.

Crocodili.

APud *Chaocheu* in fluvio *Co* Crocodili sunt, Indis *Kaiman* specie lacertæ, colore croceo, præter ventrem, qui albus. Pellis sub ventre mollis, ibique facile vulneratur, ut falso Plinius scripserit pellem insauciabilem esse. Lata fronte rostro porci, rictu ad aures patulo, dentibus, qui magni, albi & robusti, pectinatim in ore dispositis: superiorem tantum maxillam movet, immotâ inferiori lingua caret, ejus loco pellicula inferiori mandibulæ adhærens. Oculis magis & rotundis, nigra pupilla, dorso sexaginta vertebrarum, pedibus uncinatis & extrorsum detortis, cauda reliqui corporis longitudine. Quatuor mensium inediam ferre potest: famelicus hominis instar, ululat. Cursu celerrimo, sed ægre inflectuntur ob dorsum rigidum, qua etiam causa sæpe prædam amittunt. Quidam limo vivere perhibent, sed revera pisces edunt, ac humanarum carnium avidi sunt. Animalibus in terra insidiantur, coëunt, fœmella in dorsum cubante & sexaginta ova, anserinorum magnitudine, pariente ac intra sexaginta dies excludente. Quidam ova sub arena defossa calore Solis excludi volunt. Nullum animal à tam exiguo initio in tantam molem excrescit: nam triginta pedum longi reperiuntur. Ichneumon, Bubalus, & Tigris, inter aves accipiter, ex piscibus Serpens aquaticus, piscis Porcinus,



nus, Delphinus, Scorpio quoque & homo hoſtes ejus ſunt: Ichneumon ova ejus frangit & apricantis ac dormiturientis os ſubiens, inteſtina ejus corradit. Bubalus eum occidit, Tigris jacentis ventrem dilaniat. Contra amicos habent ſues & aviculam Trochilum. Sues ſecus ripas Nili abſque noxa vagantur. Trochilus dentes ei & rictum à ſordibus purgat, ac vermiculos ex piſcium retrimentis intra dentes prognatos ſublegit, hiante Crocodilo & amicum laborem indemnitate compenſante. Sinæ & Indi carnes ejus cum delectamento comedunt: nonnullibi in India aſſantur. Aqua, quibus caro eorum incocta, aranearum morſus ſanat, ſanguis oculos clarificat & Serpentum admorſioni medetur. Pellis combuſta & amurcæ permixta ſtuporem membris inducit, ne ſectionem ſentiant.

In fluvio *Chaoking* piſcis eſt, quem Sinæ *vaccam natantem* vocant, quæ ripis egreſſa, cicures vaccas cornibus impetit, ſed extra aquas cornua ejus mollia & flava fiunt, omnemque duritiem amittunt, unde in fluvium redire & denuo piſcis fieri cogitur, ubi cornua ejus priſtinam duritiem recuperant.

Apud *Kaocheu* animal maritimum eſt, capite avis, cauda piſcis, & in ventre ſuo pretioſos lapillos habet.

Inter hanc urbem & Inſulam *Hainan* Cammari capiuntur, qui quamprimum extra aquas aëre afflantur, ſaxeam duritiem retenta priſtina forma, induunt. Tales etiam in quodam lacu Inſulæ *Hainan* capiuntur. Luſitani & Sinæ his Cancris ad febres depellendos utuntur.

In

In *Quangsi* apud *Quelin*, in monte *Haiyang* ſpelunca aquoſa eſt, in qua quadrupedes & cornuti piſces ſunt.

In *Honan* apud *Changte*, piſcis *Hajul*, id eſt *infans*, quod captus ploratum infantilem edat, Crocodili ſpecie, quadrupes longa cauda reperitur. Ejus pinguedo ſemel, ubi ignem concepit, neque aqua neque alia re extingui poteſt.

In *Xangtung* apud *Tengcheu*, oſtrea copioſe dantur.

In *Chekiang* apud *Vencheu*, parva oſtrea in paludoſis campis naſcuntur. Contuſa oſtrea, velut ſemen per agros ſparguntur & inde alia creſcunt, ſapore dulci palato grata.

Teſtudines.

TEſtudinum variæ per Sinam ſpecies. In *Suchuen* apud *Chunking* copioſus earum proventus: in *Huquang* apud *Hangcheu*, magnæ & parvæ reperiuntur, quas incolæ domi voluptatis ergo alunt & ſæpe non majores, quam avicula *Loman* ſunt.

In *Quantung* apud *Hoeicheu*, juxta littus maris teſtudines rupium inſtar. Sunt, qui tradant frutices & plantas in eorum tergore natas. Tam terreſtres quam maritimæ teſtudines more viperarum generant, maſculus fœmellam conſcendit. Sed ægre concubitum ferentem, quod nullam inde voluptatem capiat Ova Gallinarum inſtar, ſed minora & oblongiora, albumine & vitello conſtantia, ponunt. Hieme ſubtus terram absque cibo vivere dicuntur. Inceſſu tardigrado ſunt ob ponderoſum teſtæ onus & naturalem deſidiam. Semper cum perdicibus rixantur. Aquilas formidant, quarum unguibus in ſublime rapti, caſu franguntur. Sonum minorem quam ſerpentes emittunt. Contra viperas & ſerpentes pugnaturæ ſatureia & ſerpillum vires corroborant. Piſcibus, an carnibus annumerandum, dubium eſt. Jejunii diebus piſcium vicem apud Romanos ſuſtinent. Sed quia oſſa habent, reſpirant & ova pariunt, carnes videntur.

Terreſtres teſtudines duriſſimam, inſtar eboris & inflexilem (nam aquatilium molliores ſunt & flecti poſſunt) teſtam habent. Clypei earum ſuperne ſchirroſi eleganter flavo & puniceo colore variegati. Caput, pedes, caudam per foramina ſingula exerunt & iterum recondunt immobili tum mole. Tam parvæ dantur, ut vix pugnum æquent.

In *Virginia* trium aut quatuor pedum longitudine ſunt, nonnullæ bicipites & admodum mordaces ſunt.

In Inſula *Mauritii* tam magnæ dantur, ut quatuor ſtantes perſonas reptando ferant. Clypei decem homines conſidentes capiunt. Cammaris ex mari egredientibus inſidiantur, eosque devorant. Maritimæ terreſtres mole ſuperant. *Lerius* unam octoginta viris in cibum ſuffeciſſe ſcribit, teſta ſuperiori duorum cum dimidio pede latitudinis. Mari dorſo innatant

tant dormientes, ubi harpagonibus trajectæ capiuntur, carne dulci & instar vitulinæ sapida.

Reperiuntur, quæ centum & quinquaginta ova, pilæ parvæ magnitudine, molli pellicula, habent. Sæpe in unico nido trecenti pulli jacent. Fæmellæ ova noctu in littore deposita, arenis obruunt, ubi Solis calore excluduntur.

In *Quangtung* apud *Kaocheu* piscis monstrosus est quatuor oculis, sex pedibus præditus. Sinenses margaritas evomere dicunt, sed eas fortasse cum ostreis deglutivit.

Apud *Kuicheu* parvum mare *Pehiai*, quod nomen ab albis cancris accepit, qui copiose ibi reperiuntur.

Caput Decimum Septimum.

De Incredibilibus & Admirandis Sinæ.

Multa incredibilia Europæis Sinæ de sua regione narrant, neque quin vera sint, dubitant.

Apud *Hucung Xensi*, mons *Taipe* est, in quo pulsatum tympanum statim fulmina tonitrua & tempestates commovere dicitur: unde capitis pœnam prohibitum tympano ibi strepitum facere.

In eadem Provincia in monte *Lo* apud *Chinning*, septemdecim imagines humanæ ab ipsa natura effigiatæ sunt, tanta artis proportione, ut intuenti stuporem incutiant.

Fluvius *Tan* rubros pisces alit, qui ex levissima aquarum agitatione superficiem petunt, unde spectatores piscium ruborem, præ magna copia visum confundentium, aquæ attribuunt; unde nomen habet: *Tan* enim rubrum significat.

In *Xantung* apud *Niuyang*, fons, potus cujus longævos facit.

In *Suchuen* mons *Chinching*, in quo *Xinsien*, id est immortales homines simul conversari dicuntur.

In *Huquang* & montibus apud urbem *Xincheu*, altissimis feri homines & cujusdam Regis filia & cane prognati degunt.

In *Nanking* apud *Quangte*, mons *Ling* caput inter nubila condit, in quo spelunca est, cujus aditus statuam lapideam cujusdam sacrificuli in saxum mutati ostentat.

In *Chekiang* apud *Ningpo*, incolæ salsis cibis adeo delectantur, ut de iis per ludibrium vicini dicant, *ne post mortem quidem perituros, quod vivi tam largiter saliantur.*

Apud *Tinghai* ex mari ſaxum columnæ forma aſſurgit, quod dum prænavigant,aliquid in mare de navi jaculantur, certa perſuaſione, niſi id fecerint, infauſtum fore iter.

Apud *Funghoam* parvum, ſed profundum mare eſt, cujus aquæ, ſi Præfectum nanciſcantur probum, vitrea pelluciditate reſplendent; at vero ſi injuſtus ſit, nigreſcunt undæ & limoſæ fiunt.

Apud *Lieucheu* in *Quantung*, mons *Uhoang*, in quo fructus nuſpiam alibi conſpecti, de quibus quisque quantum vult, comedere poteſt, ſed nullum ſecum auferre: quod qui faciunt viam, qua deſcendunt, reperire nequeunt.

Luicheu urbs *Quantung*, nomen à fulmine accepit, quia ibi Templum magnificum ſpiritui fulminis extructum. Sinæ fingunt ſpiritum quendam fulmini præeſſe, fulmen eſſe partem confracti mallei decidentem. Malleo illo magna tympana pulſari & hinc tonitrua exaudiri, quæ in illo monte toto anno graviſſima ſunt.

In *Iunnan* apud *Chinkiang*, hodieque magnum ſaxum conſpicitur, quod *Sinulo* Rex regni *Mung*, acinace ſuo, altitudine trium cubitorum unico ictu diſſecuiſſe dicitur, ad Legatum alterius Regis, *abi* inquit *& tuo Regi nuncia, quales ego acinaces habeam.*

In monte *Funghoang*, Provinciæ *Honan*, apud *Munghoam* Phœnix, poſtquam aliquandiu ſuaviter concinuiſſet, obiiſſe fertur. Sinæ dicunt circa exitum autumni quotannis vicinarum Regionum in eo monte congregari, mortem Phœnicis deplorantes. Accolæ tum montem noctu cum lampadibus conſcendunt, ac magnam præſtantiſſimarum avium copiam capiunt.

Apud *Vunning* puteus *Quonin* eſt, quem ſenex quidam baculo ſuo terram ſiticuloſam percutiens, produxiſſe dicitur, impoſterum nulli amplius viſus. Ita in *Suchuen* apud *Kiating*, rivulus *Chocung*, ex quo fœmina quædam puerum in arundine latentem & plorantem extraxiſſe, ac pro ſuo filio domi educaſſe dicitur. Utraque narratio Hiſtoriam Moſis adumbrare videtur.

In *Iunnan* mons *Fukin*, apud *Kiocing* jacet, ubi fons ſcaturit, cujus aquæ ingenium pueris augent & corroborant.

In *Quangſi* apud *Gucheu*, Rex *Pego* decem Crocodilos in lacu *Po* aluit, quibus noxios objicit Innocentes illæſi evadebant: ſoli rei devorabantur.

Apud *Luching* mons *Funieu*, id eſt *vaccæ occultator* jacet, quod in eo vacca quædam furioſa poſt multos dilaceratos homines, à quodam ignoto abſcondita fuerit.

Apud *Fuencheu* mons omnium altiſſimus *Vanhu* eſt, qui nomen à decem millibus hominum habet, qui in ejus cacumine diluvii tempore ſubmerſionem, cæteris omnibus ſtagnatis, evaſerint.

In

In *Suchuen* apud *Chingtu*, mons *Tienchi* eſt, in quo palus, cujus aquæ neque pluviis augentur, neque ſiccitate imminuuntur. Talis quoque lacus *Funghoang* apud urbem *Linkiang* eſt.

Apud oppidum *Cin*, palus *Tienxui* eſt, id eſt cœleſtis aquæ eſt, quæ varios morbos ſanat.

In *Honan* apud *Queihoei*, mons *Cingnien* ſpeluncam habet, cujus aquæ tam ſunt acres, ut omnes capilli ea loti excidant.

Apud *Chaoking*, mons *Tientu* horribilis aſpectu eſt, in quo palus, cui lapillus injectus, ſonitum inſtar tonitrui concitet & ſtatim coëuntibus nubibus pluvia cadit.

Apud *Tingcheu*, mons *Kin*, & in eo tres paludes ſunt, quæ ferrum mox in æs tranſmutant.

In *Xenſi* apud *Huquang*, palus *Fan*, ex fluviorum confluxu oritur. Imperator *Hiaovus*, ibidem tres alias paludes effodi juſſit, unam aquis fluvii *Guei* eo derivatis, ad quam magnificum Palatium exſtruxit; alteram nomine *Quenming*, in qua *Naumachias* exhibebat, ac milites maritimis præliis aſſuefaciebat; tertiam apud planitiem *Silen*, in qua magnum ex lapide piſcem ſub undis velut cœcam rupem conſtituit, ut nautæ dum eum evitare diſcunt, ſyrtes ac cautes ſub mari latentes eadem induſtria caverent. Hic piſcis pluvia imminente horrendum remugit, quod forte repercuſſo inter montes aëri adſcribendum. Ferunt Sinenſes Imperatorem *Hiaovum* aliquando ſomniaſſe, piſcem illum lapideum hamo captum auxilium ſuum implorare. Altera die captum hamo piſcem quendam in illo lacu, quem Imperatori, memor ſomnii pridiani, liberum dimiſerit; unde in reti Imperatoris duæ margaritæ captæ fuerunt, Sinis *Mingyne*, id eſt lapides Lunæ claræ, quod cum Luna creſcant pariter & imminuantur, quaſi liberale donum piſcis illius capti & dimiſſi.

Volunt illas margaritas hodieque in Palatio Imperatoris ſupereſſe, ſed inæſtimabili pretio cenſeri. Quando Imperatori in manus traduntur, inquit: *Hoc eſt donum grati piſcis, qui per me hamo liberatus fuit.*

In *Xenſi* apud *Xancheu*, palus *Hungyen*, id eſt *Rubri ſalis eſt*, quia ex ejus aqua ſal rubeus excoquitur.

In *Honan* apud *Caifung* lacus *Kinning* eſt, quam familia *Sunga* juſſit effodi, ad nautas maritimis præliis exercendos, quod præcipuo Imperatoris *Taicungus* ſummo ſtudio fecit. Hæc palus amœniſſimo ſitu eſt, circum frequentibus paſſim Palatiis & Templis. Crebræ etiam columnæ carminibus Poëtarum, quibus laudes ejus celebrant, inſcriptæ. In illo tractu alius quoque lacus *Tungmuen*, ob aquæ claritudinem dictus; nam muſcus, vel quicquam pellucidis aquis inimicum in eo non creſcit.

In *Honan* apud *Queite* palus *Choking*, in cujus aquis lota tela ſericea, ſplendidior longe & mollior fit, unde plurimi textores ad eum cum officinis ſuis conſederunt.

Apud *Iemſu* in *Honan* palus æſtate frigidus, hyeme calidus eſt.

Apud *Nanchang* in *Huquang*, palus *Cinchu*, id eſt *margaritarum* eſt, cujus ripis, inambulantes ſi fortius figant pedes, exiliunt. Undique rotundæ aquæ ex terra guttæ margaritarum imaginem referentes.

Apud *Hengcheu* ejuſdem Provinciæ *Huquang* profundiſſima palus, cujus aquæ inſtar graminis virides, quam ad vinum ex oryza coquendum Sinæ admodum æſtimant.

Apud *Taiping*, *Nankingæ* palus *Tanyang*, trecentorum ſtadiorum ambitu.

Sed omnes lacus magnificentia & ſitu ſuperat *Si* in *Chekiang* apud *Hangcheu.* Inter hanc urbem & lacum via lapidibus ſtrata ſeptem ſtadiorum. Lacus ambitu quadraginta ſtadia complectitur,undique amœnis montibus cinctus, ex quibus rivuli jucundiſſimo murmure labuntur. Circum Palatia, Templa, Cœnobia, Sylvæ, Sepulchra. Secus ripas viæ latæ quadrato ſaxo conſtratæ & in ipſo lacu viæ hinc inde apertæ, quibus pontes inſtrati. Arbores frugiferæ & ſteriles ad ornatum & umbroſas deambulationes, ordine diſpoſitæ viis paſſim cum clathris & podiis cinctis haud exiguo ornamento. Omnia denique hujus lacus tam magnifica, artificioſa & decora ſunt, ut naturam ne prius mireris, an artem, dubites. Aquæ ejus adeo pellucidæ, ut cryſtallo ambiguam palmam faciant & minimus in fundo lapillus appareat. Ad ripas ubi minus profundus, flores *Lien*, de quibus ſupra, copioſe creſcunt. Accolæ elegantiſſimis in eo navibus voluptatibus pulcherrimi loci & genio ſuo delicioſe indulgent.

Apud *Unping* in *Fokien*, palus *Loxui*, id eſt aquæ viridis; nam aqua ejus adeo viriditate ſatura eſt, ut cuncta, quæ ei intinguntur, viridi colore inficiat.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Regibus, & Imperatricibus familiis Sinensium, quæ ante & post Christum natum floruerunt.

PRiusquam nuperrimi Tartarorum cum Sinis belli Historias prosequar, universam Regum pariter ac familiarum imperantium chronologiam ordine recensere animus, ut mentem Europæus lector in prima tam vasti longeque dissiti Regni origine, ejusque incremento quandoque pascat, quapropter operæ pretium, illa ex Sinensium Annalibus juxta *Martinii* traditionem recensere: cum autem hi, à doctissimis Philosophis publica auctoritate conscripti, nulla contradicentium varietate distrahantur, tam certa annorum serire cohæreant, consensum potius illarum antiquissimarum narrationum, quam dissensum, ipsis circumstantias rebus ostendentibus, arguunt; attamen fidem non à lectore extorquentes, veritatem in medium relinquemus.

Primo hominem, ut supra dictum, *Puoncuum* agnoscunt, ipso mortuo Sinas rexit *Tienhoangus*, & post illum successores tredecim unius omnes familiæ. De hujus Ducis ævo ita Sinensis Historicus loquitur. *Tunc temporis cælestis spiritus ubique discurrens, paullatim urbanos mores induxit, & absque magno labore mortales, alioqui disciplinæ capaces, ad humanitatem informavit, præcipue magno illo dracone* (fortasse ad Leviathan parientis Jobi alludit) *occiso, qui mundum omnem turbavit cœlum terræ miscendo. Eo enim perempto, suum res quæque gradum ac dignitatem obtinuit.* Puoncuus Præfectus primus.

Addunt hominibus deinceps præfuisse *Tihoangum* quendam, quem cæli siderumque cursus perite observantem, diem noctemque suis nominibus insigniisse, mensem quoque triginta dierum spatio terminasse. Hunc undecim alios fuisse insecutos tradunt; de quibus nihil memoria dignum, ne nomen quidem invenitur. Tihoangus secundus.

Huic *Ginhoangus* cum novem aliis è familia sua successit; qui terras ita divisit, ut novem partes constituerent. Earum una ad habitandum mortalibus contributa, reliqua octo agriculturæ atque annonæ destinavit. Ita vagos homines ac dispersos in unam sedem coëgit, quod Græci Photoneo apud Argivos tribuunt. Hoc gubernante aureum seculum fluxisse affirmant. Terra namque modico labore culta, sponte propemodum fruges tulit; & quilibet rerum ordo, ut cum Sinica historia loquar, suam dignitatem obtinebat. Rex plus quam paterna charitate populos comple- Aureum sæculum.

plectebatur; qui eum viciſſim, ut patrem, obſequentiſſimi filii colebant. Ille Regis nomen, hi ſubjectorum civium munus pulchre explebant. Omnia tunc erant communia, liberi omnes, maximoque inter ſe omnes amore connexi. Ab hac vero agrorum diviſione Geometriam initium reperiſſe credibile eſt.

Yeus tertius. Sequitur *Yeus*, qui mortales in montium antris & ſpeluncis in hoc uſque tempus habitantes, mapalia & caſas è ligno ædificare docuit, ut à ſe ferarum injurias defenderent. Fuit autem iis temporibus magna humanorum commodorum inſcitia. Neque enim aut agri colendi præcepta idonea, aut ignis è ſilice ad parandos cibos, fovendaque corpora eliciendi uſum callebant. Herbis & fructibus ſponte naſcentibus, crudisque ferarum carnibus veſcebantur, epoto etiam earundem ſanguine, cum urgebat ſitis. Animalium pellibus nullo artificio paratis, ad tegenda corpora ita utebantur, ut tamen maximam partem nudi incederent.

Sujus quartus. Hoc vita functo *Sujus* regnare cœpit. Is mirifice in Aſtronomia excelluit. Ex aſtrorum, ut & orbis noſtri contemplatione primus è Sinica Philoſophia quinque elementa eſſe docuit, metallum, lignum, aquam, terram, & ignem; quorum poſtremum eſſe in aëre deprehendit. Ligno quoque lignum atterendo primus ignem elicuit, ut nos è ſilice ſolemus; ac velut alter Prometheus flammæ radices & originem aperuit. Eam ignis extundendi artem etiamnum Sinæ in uſu habent, & pro varia tempeſtate anni ligna varia deligunt, id temporis ad præbendum ignem aptiora. Et ſi neque alterum compendium ignorent, chalybe ignem è ſilice petendi. Idem *Sujus* characterum & literarum loco, funium nodos ad memoriam levandam primus invenit, & in ſcholis modum iis rite utendi edocuit. Nulla tunc pecunia, nec auri fames fuit. Nundinas tamen inſtituit, ut rerum permutationibus idoneas. Ad quæ talia felicius conſtituenda quatuor præſtantium virorum, quos ditionibus præfecerat, opera & conſilio adjutus fuit.

Fohius quintus. Hic ergo primus eſt, quem Sinæ Imperatorem, ſeu cæli filium vocant. Hunc *Fohium* è matre abſque patre natum memorant. Illam enim forte ad ripam lacus, à quo *Lanthien*, urbs in provincia *Xenſi*, alluitur, deambulantem ingens hominis veſtigium in arena impreſſum calcaſſe, inde ab iride circumdatam concepiſſe, in eademque provincia *Fohium* enixam eſſe. Is anno ante vulgarem Chriſti epocham, quod ſupra indicatum, bis milleſimo, nongenteſimo, quinquageſimo ſecundo imperium auſpicatus in eadem provincia, quam natalem habuit, regiam conſtituit.

Hic Imperator magnis virtutibus eluxit; & aſtrologiæ cumprimis peritus, cœleſtium juxta humanarumque rerum curam exacte habuit. Nam in cælo quidem ſiderum motus intuitus, magnos eorum orbes aliasque è Matheſeos norma figuras primus in tabulis deſcripſit. In regno leges & ſtatuta excogitavit, quibus, ut & mœnibus, primus mortales munivit, nomi-

nominaque familiis facilius distinguendis imposuit.

Ad hujus Regis tempora nullum vestimenti inter marem & fœmidam discrimen. Copulæ conjugalis ignari veneri promiscue vacabant. Hæc vitia arcebat *Fohius*, jus matrimoniale introducendo, maremque à fœminâ habitu discernendo. Legem, ne quis virginem cognominem duceret, quæ etiamnum viget, stabilivit. Ad demulcendos subditorum animos instrumentum meditabatur musicum, quod triginta sex fidibus constabat: tantum hoc tempore valebat musica, ac si *Sinæ* sine ejusdem harmonia intra tranquillitatis & concordiæ fines coërceri non potuissent.

Fohius, postquam centum & quindecim annis imperasset, suum obiit diem; cui *Xinnungus*, virtute & pietate eximius succedit; qui Regni clavum centum & quadraganta annos moderabatur. Cum indies Sinarum numerus augebatur, qui carnibus, & herbis duntaxat vivebant, animalium plerisque consumptis, alimentum defecit. Imperator huic malo provisurus naturæ, quæ pro tanta hominum multitudine non sufficiebat, artis junxit auxilium; aratrum & reliqua ad agriculturam instrumenta primus adinvenit. Quo invento plebs gratulabanda, cæpit agros in sulcos incidere, quibus tritici, milii, oryzæ, frumenti turcici semina mandabant. Unde *Xinnungus*, id est agricola, dictus. Herbarum vires diligenter explorabat, non in alieno, sed suo corio experimenta faciens. *Xinnungus sextus.*

Postea vero, quum centum & quadraginta regnavit annis, ab alio Regulo, qui ei deinde in Imperio successit, bello petitus & victus occubuit. Ista clades in monte *Fano* accidit eo loco, ubi nunc *Yeking*, provinciæ, cui nomen *Peking*, civitas est sita; penes quam gentem ad hæc usque tempora primi hujus, ut putatur, in orbe belli memoria servatur.

Hoangtius igitur perduellione, vi & armis Imperium occupavit; de cetero virtute nulli secundus, eleganti etiam forma & statura ultra modum procera. Sinarum Republica statutis ac legibus aucta, mensuras itidem & rerum pondera ad libram examinanda instituit. Primus omnium exercitum aluit; cujus armis & metu jussa facere detrectantes in officio continuit. Neque aliud ei criminosum fuit, quam quod perduellis pessimo exemplo iisdem copiis esset ad legitimi Imperatoris injuriam abusus. Veruntamen Regnum per scelus obtentum probe administravit, civium amans & patriæ; quam ut commeantium bono apertam accessamque faceret, montium juga & latera excidit, publicasque vias aperuit, limitibus etiam Imperii propagatis. *Hoangtius septimus,*

Is igitur primus diadema & alia ornamenta, quæ Imperatorem decerent, adscivit, veste cærulea usus & lutea, ut cæli ac terræ colores geminos velut gentilitios in cultu imitaretur. E florum interitu artem usumque tingendi variis coloribus invenit, quos opulentis egentibusque voluit esse diversos. Figlinam & fabrilem artem cædendi dolandique ligna

per

per suos Præfectos docuit; arboresque in naviculæ formam excavatas ad flumina majora trajicienda, undis credidit, minoribus fluviis ponte junctis. Ad commercia deinde provehenda nummos cudit ex ære; ad arcendam vero vim hostium, arma & bellicas artes non modo præceptis tradidit, sed in usum etiam perduxit. Ita pace belloque providens Imperator in utraque Reipublicæ fortuna civium commodis ac saluti consuluit. Miraculi speciem habet, quod sequitur. In ejus palatii atrio herba crevisse fertur, cujus ea vis & ingenium, ut, si quis improbus regiam ingrederetur, confestim in venientem, prona instar heliotropii, se obverteret. Quod germen si passim in hortis aut atriis Magnatum cresceret, quanto plures aulis abstinerent, qui nunc latentium scelerum securi, hujusmodi proditores non timent?

Ceterum *Hoangtius* mares genuit viginti quinque, de quibus quatuordecim contracto matrimonio plures illi nepotes procrearunt, quos vivus aspexit. Sinæ asserunt nunquam eum fuisse mortuum, sed in eorum cætum assumptum, quos *Xinsien* appellant. Hos in jugis montium summis voluptatibus vacare fingunt immortalitate donatos.

Xaohauus *Xaohauus* omni virtutum genere & præclara indole insignis, ab *Hoangtio* patre Imperium per manus accepit. Primus ex Imperatoribus, Præfectorum gradus & dignitates per varia volucrum genera & colores distinxit. Quippe semper ita habitum est apud hanc gentem, muneris, quod obit, gradum in veste ostendere. Hinc ante & retro volucrem aut aliud sibi proprium insigne auro byssoque acu phrygia pictum thoraci assuunt, cujus aspectu obvius quisque moneatur, quem è novem honorum gradibus magistratum obtinent. Neque una omnibus suorum symbolorum materies fuit. Ii enim, queis præfecturæ civiles obtigerant, quos nuncupant Philosophos, pro insignibus semper aves habuere; militares vero præfecti ac tribuni volucrum loco, Dracones, Leones, Tigrides & alias ejusmodi ferociam militarem innuentes belluas sibi affinxisse, pulchrius putabant. Omnes tamen eodem spectant, ut ex hoc habitu non gradus modo, sed etiam conditio ac dignitatis genus in quoque noscatur. Aves autem *Haohuus* ceteris animantibus idcirco prætulit, quod sub initium Imperii Solis avis apparuit, cujus adventu felicitatem Regno portendi vulgo existimant. Quod si hæc avis diu non sit visa, Imperatoriæ familiæ interitum & futuros bellorum motus ominantur. Quænam vero sit hæc avis, non liquet. Forma, qua eam pingunt, aquilam crederes, nisi plumarum mira & discolor varietas obstaret. Phœnicem ut esse suspicer, ejus raritas persuadet, Sinæ *Fughoang* vocant.

Kieulius plebem ad idololatriam hortatur. Postquam imperium multis annis sanctissime habuit, cum jam ob decrepitam ætatem Regni rebus minus providere posset; *Kieulius* impostor magicis artibus & lemurum spectrorumque terrore à veritatis tramite ad infanda sacrificia incautam plebem adduxit, omnium fere animis fœda super-

superstitione imbutis. Hinc iratum cœlum magnis in eam gentem calamitatibus detonuit, regnumque omne concussit.

Hoangtii fuit ex fratre nepos, & ob insignem cælestium rerum scientiam & Imperii fastigium ascendit. Omnium primo, labefactatam priorum annorum fato religionem restituit, instaurata majorum pietate, ut unum omnes supremum cæli Imperatorem statis sacrorum ritibus colerent. Additum, ne cui alteri, quam Imperatori, sacris fas esset operari. Tanti faciebant sua sacrificia, ut sacerdotalem dignitatem, quæ ipsis summa habebatur, nonnisi cum sceptro vellent esse conjunctam.

Xaohavi nepos hic fuit, *Cous*, apud summum significat, ob summam virtutem dictus. Omnes enim optimi Imperatoris partes explevisse scribitur. Initio regni urbem regiam in *Honan* amœnissimam Provinciam, ubi nunc *Yensu* civitas est, loci commoditatem secutus, transtulit. Quatuor uxorum conjugio novo exemplo illigatus, totidem ex iis filios suscepit. Harum una concepto voto à supremo cœli Imperatore *Cieum* filium impetravit. Altera *Kium* enixa est, quem, itidem precibus à *Xangii*, quem pro Deo coli supra indicavimus, matri antehac sterili concessum ajunt. Tertia decimo quarto post conceptum mense, viso prius in somnis rubro dracone, quod magnæ felicitatis argumentum Sinis est, *Yaum* peperit. Quarta *Cheum* filium habuit. Hunc annis procedentibus præ reliquis pater ad Imperium assumpsit; optimæ indolis indicia in id usque tempus præ se ferentem. At in eo fortunæ gradu non diu stetit. Nam ubi solus ab obitu parentis regnum obtinuit, cito modestiam dedidicit. Inde in licentiam vivendi nimiam prolapsus, vivus adhuc, quod nemini priorum obtigerat, Imperio exuitur. Ebrietati enim ac mulierum illecebris ita se totum permisit, ut nullam Imperii curam haberet. Cumque à Regulis suæ ditionis non raro sed nequicquam officii admoneretur; gens probis in hunc diem Regibus assueta, eique, cui ratio non imperaret, parere indignum rata, nono Imperii anno, è fastigio in exilium detrudit, fratre illius *Yao* in ejus locum subrogato.

Hunc omnes libri Sinici passim sanctissimum piissimumque prædicant. Et sane si res ab eo gestas recte expendas, omnes non modo Sinenses, sed orbis fere totius optimos quosque reges virtute pariter & gloria vel vicit, vel æquavit. Ejus laudes liber Xu dictus, & imperante *Yao* editus celebrat hoc brevi quidem, sed insigni elogio. Yai *merita implevere totum orbem. Magna erat in eo diligentia; omnes debito honore prosequebatur. Intelligens, compositus & perspicax; omnia virtute atque indole quadam sibi congenita exsequebatur.*

Idem siderum contemplatione se cumprimis oblectans, anni dimensionem nonnullis erroribus obnoxiam restituit; mensem quoque intercalarem & abundantes ad debitum ordinem redegit. Ad quod efficiendum

dum duorum virorum opera usus est in ea facultate præstantium; quorum unus *Hius*, alter *Hous* nominabatur. Eos ad assiduam magni cœli venerationem cohortatus, jussit varia ad mathesin opportuna instrumenta conficere; Lunæ quoque stellarumque motus deligenter observare; agriculturæ rite exercenda præcepta inde ad vulgi usum eruere; ac demum summa accuratione hiemale solstitium notare. Interat enim illam Solis conversionem à rege non ignorari, quod eo die cuncta officia ministris distribuere consuesset. Interea conjugis partes erant, bombycum educationem, byssi ac serici conficiendi rationem reliquas mulieres docere.

Ceterum *Yaum* supercilia vario tincta colore atque in Iridis modum micantia habuisse, invenio. Pacis quidem toto imperio stabiliendæ perpetuum ei, primumque studium fuit. Nec à studio dissentiebat publica tranquillitas, æquitate illius ac pietate maximè constituta. Hinc cum mortale genus illis præsertim locis, mirum, quantum augeretur; vicinæ gentes famâ tantæ virtutis excitæ, atque sub tam laudato Principe victuræ, ad ejus ditionem velut paternum sinum confluxerant eâ frequentiâ, ut jam vix regnum Sinense iis capiendis sufficeret.

[...]ounalium inventio, & officia.

Post hæc ad meliorem formam, imo novam *Yaus* revocavit Rempublicam Sinicam, sex tribunalibus cum suprema potestate institutis. Rebus ita constitutis, quemadmodum *Yaus* Imperium summa æquitate tenuit, sic pari modestia eaque gemina, vivus alteri sponte cessit, nescio illone fortiter contempto, an juste & legitime administrato magis laudandus. In ipsa quoque abdicatione publicam utilitatem potius quam suorum amorem in consilio habuit. Quippe filiis suis, etsi nec degeneres, nec vulgo ingrati essent, ultro præteritis, imperium homini detulit, in quo nihil regium præter virtutem suspiceres. Forte cum Magnatum uno collocutus, solicitum se ajebat, quem in tanta negotiorum mole fortunæque varietate summæ rerum atque gubernaculo præficeret. Cui alter *Fangius* nomine, *In regia*, inquit, *& stirpe tuâ est, quem Sinis imponas. Filius tuus natu major* Chus *bonæ indolis, prudentia non modica, ingenio perspicaci, te sive patrem, sive Imperatorem non dedecet. In eo gens universa præter virtutes tuas in filio tralucentes etiam sanguinem tuum amabit. Neque si me audis, alteri imperium trades.* At *Yaus* loquentem interpellans, *an ignoras*, subjecit, *æque mihi malorum laudes atque bonorum calumnias displicere? Natus meus loquax & contentiosus est; neque facta dictis illius respondent; foris doctus bonum se simulare, intus à ratione aberrat.* Ita purpuratum sugillata sibi adulandi vanitate à se dimisit, abdicationis consilio in alium diem dilato. Nec multo post, cum jam annis septuaginta imperasset, arcessitum ad se *Sungoum*, fidissimum & maximæ authoritatis præfectum alloquens: *in te* inquit, *transferre sceptrum cogito, cui ferendo te unum parem prudentia & probitate video.* Tum *Sungous* fastigium illud serio deprecatus, negat se iis virtuti-

bus

bus adornatum, quæ majestatem decent; neque honorem istum se promeruisse, pudori suo gravem; neque humeros afferre tantæ moli pares. *Yaus* hominis in respuendo Imperio constantiam admiratus, quod alii ultro ac per vim invadunt; rogat, si gravetur regnum adire, quem igitur alium honore illo dignum judicet? Hic *Sungous* in omnium Magistratuum Præfectorumque corona ita Imperatorem alloquitur. *Quando ita me de idoneo regni successore compellas, qualem me fore nec quidquam tibi persuaseras; non equidem dissimulabo, quod è re tua regnique futurum existimo. Est in tua ditione agricola, conjugii adhuc expers, homo omnium sermone probus, quem ob pietatem ac morum gratiam omnis agrestium vicinia veneratur & amat, agris etiam suis ac domibus ad ipsius commoda usumque sponte oblatis. Ab ejusdem nutu & ore ob conceptam de illius integritate opinionem ita pendent, ut ejus in eventis omnibus consilium sequantur. Huic nomen* Xunus *est. Pater illi* Cuseus, *homo stolidus; mater ultra innatam fœminis garrulitatem singulari vitio loquax; fratres superbi ac pervicaces. Hos tamen obsequio & submissione inter tam diversa studia ita continuit, ut non modo se cum ipsis, verum etiam cum virtute tandem redirent in gratiam. Neque contentus alios facere meliores, seipsum quoque in dies magis castigans ad virtutis culmen enititur, juratus pravæ societatis osor.* Hæc *Sungoi* oratio fuit. Addunt Sinæ hunc ipsum *Xunum* toto tempore, quo ruri stivam ac deinceps in Regia Imperium rexit, nunquam desiisse, singulorum virtutes, etiam suas facere. Nec diutius factum, & duas filias jam nubiles, quas deinde matrimonio sibi junxit, ac novem filios ad *Xunum* in ejus obsequio & potestate futuros mittit; ipsi Provinciæ præfecturam tantisper commisit, ut ejus in minori potentia virtutem exploret. Ubi ea se animi moderatione præbuit, ut omnibus admirationi esset, præcipue *Yao*. Qui tam bono successore lætus, elapso triennio eum Imperii consortem fecit, ipsi omni gubernatione commissa. Quo munere ille vivente *Yao* ipsos viginti & octo annos magno Reipublicæ bono perfunctus est. Atque ita, etiam regnum duos capere potest, si virtus utrique sit comes.

Colloqui *Yai* cum *Sungio* de Regni translatione.

Hoc anno cum jam ad ultimam senectutem *Yaus* pervenisset, moriens ita *Xunum* ad Imperium legitime tenendum hortatur. *Ades,* Xune; *satis superque tuam fidem expertus sum. Dictis tuis ex æquo facta respondent. Age igitur, sceptrum capesse, virtuti ac meritis tuis debitum. Cura, ut civibus tibi subjectis patrem te exhibeas; & memineris non tibi à populo, sed à te populo serviendum. Rex enim idcirco super omnes eminet, at unus prospiciat omnibus.* His dictis moritur *Yaus*; quem *Xunus* haud aliter, atque filius optimum parentem, luxit. Et ut dolori suo litare posset liberius, rebus Imperii subinde Præfectorum curæ demandatis, ipse toto triennio ab *Yai* sepulchro nonnunquam discessit.

Fuit *Xunus* eximie prudens, moribus perquam compositis, & omnibus charus; quod sua vicissim, eaque summa in cives charitate promeruit.

Enitebat in eo non umbratilis virtus, ſed ſolida & in utraque fortuna conſtans. Ferunt eum in quovis oculo geminam pupillam habuiſſe; quod inde in Phyſiognomia Sinica, cui gens hæc impenſe dedita, bene magna de ea habet volumina, variis vultuum linearumque figuris referta, inuſitatæ felicitatis argumentum haberi cœpit. Neque hoc mirandum. Vidi ipſe puerulum in oculo dextro duas pupillas habentem. Quæ res parentes ejus ſingulari gaudio affecit, reputantes eum congenitam futuræ proſperitatis teſſeram in oculis ferre. Nec vani auguris fuere. Filius namque cum familia univerſa Chriſtianis ſacris imbutus, non alio nomine, quam iſto potuit eſſe felicior.

Sex tribunalia reformata.

Porro *Xunus* Rempublicam novis variisque ordinibus civium ac munerum diſtinctam, ritibus inſuper ac legibus multum adauxit. Sex quoque tribunalia ſub *Yuo* inſtitúta in meliorem formam redegit, adlectis multis, qui magiſtratui jus dicenti partim aſſiderent, partim Præfectorum vices communicata poteſtate ſubirent. Ditionem deinde univerſam in provincias duodecim partitus, omnes ipſe quotannis coram obibat. Tum annos quatuor in excipiendis Regulis beneficiariis, explorandaque illorum fide conſumpſit; quos pœnis aut præmiis, ut erant cujuſque merita, affecit. Viros doctos & ſapientes præ ceteris fovit. Præfectis per omnes provincias imperavit, ne agriculturam impedirent unquam, alio laborum genere vexando agricolas; largam ubique annonam procurare, hoſpites peregre procul adventantes benigne excipere, munia probis tantum & idoneis mandare, virtutem præmiis excitare, bonis fidem habere, malos dimittere. Quinque ſuppliciorum genera conſtituit, quibus criminum reos vel naſo, vel talo pedis, vel manu, vel capite, vel denique acerbiori quopiam mortis genere plecterent. Sin ambigerent judices de ſupplicio in conſilium adhibere jubebantur clementiam, & mitius iraſci. Exilii tres gradus pro ſceleris magnitudine ſtatuit. Graviſſimum fuit, toto Sinarum regno extorrem ad Barbaros amandari. Proximum, à patria ultra mille Sinica ſtadia exeſſe. Tertium ac mitiſſimum erat, regni duntaxat finibus proſcribi, nulla meta longinquitatis præfixa. Sed inter omnia *Xuni* imperia illud mihi palmam teneat, quo vetuit, nequis idcirco pareret, quod Imperator, ſed quod æqua juberet. Hinc forte Præfectos ſuos allocutus, *Tum demum*, inquit, *morem mihi gerite, cum quod bonum & æquum erit, imperavero.*

Supplicia quinque & exilium triplex.

Xuni dictum mirabile.

Inter hæc Tartari, de quibus prima hæc apud Sinas eſt mentio, in Sinicam ditionem infuſi, prædas agebant. Nec deinceps unquam deſtitere Sinarum terras infeſtare, uti ſuis locis docebimus. At *Xunus*, cui ſuorum ſalus cordi eſſet, in tempore ivit obviam per Præfectos ſuos graſſanti maleficio, patriæque tranquillitatem in præſens reſtituit.

Sub eadem tempora ſolicitus, quem aggerem objiceret aquis planiora Sinarum inundantibus; *Yuo Quenii*, ob hoc ipſum negotium male cura-

tum

tum occisi, filio munus hoc demandat. Is patris exemplo sapiens, tredecim annorum spatio tanta diligentia curavit negotium, uti tandem maximo incolarum bono ingens opus ad finem adduceret. Ajunt eum hoc annorum decursu sæpe suas ædes prætergressum, nunquam illic divertisse, nequid temporis sibi deperiret, exsequi regia jussa festinanti. Opus omnino stupendum, & cui, nescio, an in toto terrarum orbe par esse credam. Exstant etiamnum illius apud Sinas vestigia. Ingentia enim & navium capacia flumina per alveos pares derivata; montes integri perfossi; alibi lacus & paludes exsiccatæ; alibi egestis aggeribus aquæ in lacum coactæ; fluvii majores in duos tresve amnes divisi, aut in mare deducti; unde ingens terrarum planities longe lateque diffusa emicuit. Aquarum operosæ deductiones.

Hoc labore, uti & eximiis virtutibus, quibus *Yuus* excellebat, adeo sibi X*unum* demeruit, ut suismet filiis posthabitis illum in Imperii societatem adsciverit. Hoc, quod rarum est, annos septendecim concordi potestate tenuere. Nimirum facile duos capit regnum, quod capere virtutem potest.

Mortuo *Xuno* ejus filius *Yuum* sibi prælatum indigne ferens, cum natura Imperium sibi deberi crederet, armis illud ivit assertum. Sed nec consilium, nec tentata vis quicquam profuere. *Yuus* quidem, etsi divisa paullo ante potentia fessus, profugerat è Regia. Sed fugientis modestiam sceptra sequebantur, desertoque ab omnibus *Xuni* filio retractus est ad culmen, omnino dignus, qui Imperaret, quippe qui nulli tunc vel rebus gestis, vel ingenii magnitudine secundus habebatur. Hinc familia *Hiaa* apud Sinas prima hereditaria dignitate Imperium in posteris propagavit. Atqui non patris ambitio filium, sed suamet cum virtus rebus præposuit. Ab hac jam tum ubique charus, ab omnibus expetebatur. *Yuus* quidem successorem sibi elegerat *Yeum* quendam, jam ante in Imperii societatem adscitum, at ubi diadema morte illius vacuum fuit, omnium ordinum consensu, *Yeo* spreto, ad Y*ui* filium delatum est, utriusque merita spectantium. Ita eligendi mos, sive jus in hereditariam successionem transiit. Hæc familia *Hiaa* duravit annis quadringentis quadraginta & uno, septemdecim Imperatorum successione continua rerum apud Sinas potita. *Hiaa* prima familia imperatrix.

Eodem, quo *Vieus* ejectus est, anno ante Christum natum millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, apud Sinas *Tangus* regnare cæpit, qui primus familiam *Xangam* in Imperatoris nomen intulit, à sua olim Dynastia, cum Regulus esset, attributum: more Majorum, quoties Regnum in novam transfertur stirpem id observantium. Annis sexcentis & quadraginta tribus auctorem non intermissa serie sunt è sua stirpe secuti septem omnino & viginti, vitiis ac virtutibus promiscue insignes. *Xauga* secunda.

Hac deleta familiâ sequitur *Faus* anno ante Virginis partum millesimo centesimo vigesimo secundo, qui Imperii principio nomen mutavit, *Uvus*, *Cheva* tertia.

 id

id est bellicosus, dictus. Hinc morem illum manasse crediderim, ut Imperatorum nomina apud hanc gentem sub Præfecturæ auspicium mutentur, quemadmodum aliud nomen assiscit, qui Romanus Pontifex eligitur. Hæc familia à dynastia sua *Cheva* appellata Imperatores continua successione trecentos & septuaginta unum; una stirpe, quod de alia vix in omni legas Historia, in annos omnino octingentos & septuaginta quinque propagatâ.

Cina quarta. Post exstinctionem familiæ *Chevæ*, caput extulit *Cina* anno ante Servatorem natum ducentesimo quadragesimo sexto, cujus auctor *Chingus*, sive *Xius*, floruit tantum annis quadraginta. Quam subsecuta est anno ducentesimo sexto imperatrix familia *Hana*, quam *Lieupangus* ad Cæsareæ dignitatis splendorem erexit, cujus posteri Throno ad annum post Christi nativitatem ducentesimum sexagesimum quartum insiderunt.

Hana quinta.

Cyna sexta. Hac quinta Imperantium familia subacta sexta, *Cyna* dicta, originem sumpsit, quæ ad annum Christi quadragesimum & decimum nomen imperavit. In hac familia quatuor Reges eodem tempore numerabantur, *Utai* dicti. Qui semetipsos post acre annorum quadringentorum bellum solio turbarunt. His subsequitur familia *Tanga*, quæ Universo Sinarum Imperio potita in posteris ad annum sexcentesimum & decimum octavum imperavit.

Tanga septima.

Anno post Virginis partum nongentesimo vigesimo tertio familia *Sunga* clarescere cæpit, quæ Imperii clavum ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum octavum. Hoc anno Tartari, postquam septuaginta trium annorum serie continuis bellis Regnum infestassent, familiam *Sungam* penitus delevit, aliamque, quam *Yvenam* vocant, substituerunt; quæ ad annum millesimum trecentesimum sexagesimum octavum. Quo anno Tartari jure talionis à sacrificulo *Hu* Sinâ pulsi sunt; qui Imperii clavo potitus *Hunguvus*, id est bellicosus miles dici voluit, qui familiæ *Taimingæ* auctor in posteris ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum quartum regnavit, donec Tartari pulsis iterum Sinis auspiciis *Xunchii*, qui familiæ Tartaricæ *Taicingæ* auctor, Imperii habenas receperunt. Quantam fortunæ & belli vicissitudinem Sina fuerit experta, ex infra dicendis patebit.

Sunga octava.

Yvena nona.

Tartari. Ac quoniam antiquissimi Sinarum hostes Tartari fuerunt, de eorum nunc Origine & primis bellis quædam altius repetenda sunt. Primam *Tartarorum* velut Sinæ hostium & illius Imperii invasorum mentionem Annales sub Imperatore X*uno* faciunt. Quos Græci & Latini *Scythas*, Persæ & Sinæ *Tartaros* vocarunt, quanquam ob defectum literæ R, Sinenses *Tata* pronuncient. Gens illa jam antiquissimo ævo, tempore *Cyaxaris* Medi, *Nebucadnezaris* Babylonii excursionibus in Occidentem & Meridiem usque terminos Ægypti dedita fuit; unde non probabile modo, verum omnino certum est in *Orientem* quoque & illam, quæ Sina hodie

hodie, vocatur, plagam, eos jam ante *Alexandri Magni* & *Xii*, tempora impetum fecisse.

Ipsi *Tartari* in Annalibus *Amir Chonde*, quarto volumine originem suam à TURK filio natu maximo Japhet deducunt. *Turk* igitur idem est, qui *Magog* Scytharum omnium Pater. Ab hoc *Turk* septem gentium originem deducunt scriptores Rerum Persicarum, *Chazarorum* ad volgam, *Russorum*, *Gazorum* sive *Alanorum* (à quibus Suedi, Dani, Norwegi, Islandi, Gronlandi profecti) *Tzynorum*, qui sunt ipsi Sinæ (quippe *Tzyn* filius *Turk* picturam, textoriam, serici conficiendi artem invenisse dicitur, quæ omnia Seribus sive Sinis adscribuntur) *Saclabitarum* sive Siberorum & in Zona frigida habitantium Asiæ populorum, *Kemaritarum* à quibus *Bulgari* & *Purtasitæ*, sive ut Vincentius appellat *Perositæ* vel *Hunni*, *Iueuri* & *Hungari* profecti.

Quintus *Turkarum* Rex *Alentza*, qui primus *Chakani*, id est *Magni* Regis vel Imperatoris nomen obtinuit, (*Cha* enim Turcis & Tartaris *magnum* denotat) filios duos sive gemellos habuit *Tartar* & *Mogol*, quos inter Imperium ita divisit, ut *Orientalis* & *Borealis* pars *Tataro*, australis & occidua *Mogolo* cederet. Atque ita *Tatarorum* & *Mogolum* gens nomenque a Turcis fluxit. Tertius Mogolum Rex *Ogur*, vel potius *Oguz Chan* sub quo in Persarum historiis mentio fit *Sinarum*, quos sibi subjecisse *Oguz* perhibetur. *Mogoli* igitur sunt illi Tartari, quos *Occidentales* vel *Tanyn* Sinæ vocant, M. Paulus Venetus *Tangut*: Tartari autem sive *Tata* sunt Orientales supra murum Sinensem ad mare Coreanum & Japonicum protensi, quos hodie *Niuche*, *Niulhan* & *Yupetacas* vocant. Annales Sinensium sub *Xio* ingentis muri contra Tartaros structore, præcipue Occidentalium *Tanyn* vel *Tangu* meminerunt. Cujus successor *Hiaovuus* Tartariam ipsam Rege ejus *Hieutu* Clinius, nomen primum in Sinicis Annalibus occurrit, superato, debellavit. Tum temporis Sinæ coloniis extra murum in Tartariam ductis, *Kara Kathajam*, id est *nigram Catayam*, ad distinctionem Sinæ, quæ *flava Cataya*, condiderunt. Hujus *Hieutu* Tartarici Regis filius fuit *Kin*, conditor ejus familiæ, ex qua post multa secula *Zingis* Chan Originem duxit, ut Martinius conjicit. Sub Imperatore Sinico *Iveno*, qui quadraginta ante Christum annis regnavit, alterius Regis Tartarici *Tangu*, mentio fit *Huhansieni*. Inde altum de Tartaris silentium, in locum eorum *Turcis*, *Hunnis* & *Cara Chatæis* succedentibus, donec tandem familia *Zingis* Chanica Imperium & nomen Mogolicum ac Tartaricum instauravit, de cujus nunc contra Sinicos Imperatores bellis dicendum est.

Imperante familia *Sunga*, circa annum millesimum ducentesimum secundum *Tamachin*, dictus ZINGIS CHAN, *Tube Tangri*, id est *Regum Rex*, victo *Ungchan* Nestorianorum sive Chatæorum Rege, qui & *Iohannes*, Europæis vulgo *Presbyter* Johannes, quod una cum tribu *Kerrit* Religio- Prima Tartarorum in Sinam expeditio.

ligionem Christianam secundum traditiones Nestorianorum profiteretur. Amir Chonum Volumine quarto *Zingis* Chano coætaneum fuisse Kara Kathæorum, Regem dictum *Courchan*, id est *Regum* Regem vel *Chanorum* Chanum. Et hic idem cum illo, quem *Georgius* Abel Pharajus *Ungchan*, Paulus Venetus *Uncam* vocat, unde apud Amir Chondum vitiose scriptum *Courchan* ac *Re* in *Nun* mutato *Counchan* legendum crediderim. Nam idem plane Regnum *Counchan* ac *Ungchan* adscribitur, nimirum *Kara* Chataja, *Cashgar*, *Chuten* & Turcarum ac Tartarorum trans Jaxarten & Oxum tribus; cumque uterque Zingis, Chano, coætanæus fuerit & in Chataja regnaverit, nullus autem alius Rex, quem Zingis in illa Scythica plaga domuerit, quam Uncam memoretur, hinc manifestum evadit, eundem fuisse Emir chondi *Cour*, vel potius *Coun* chanum & aliorum *Ung*, *Un*- *Unad*chanum.

Cum igitur *Tamachin* Imperium Tartaricum per Scythiam fundasset Anno Hityræ sexcentesimo secundo, Christi millesimo ducentesimo quinto, titulum *Zingis*chan Regum Regis, quod idem ac *Cour* vel *Counchan* suscepit, ac sequenti Anno millesimo ducentesimo sexto. Bellum familiæ *Sungæ* in Sina latissimè imperanti, intulit, ac tum ipse tum successores ejus, *Xoktai*, *Cayus*, *Muncaca* sive *Mango*, *Kublai* per septuaginta octo annos continuarunt, donec tandem Anno millesimo ducentesimo septuagesimo octavo Kublai familiam Sunga, penitus expulit, ac tota Sina potitus fuit. Nam Tartari cum hactenus sex Provincias boreales, *Peking*, *Xansi*, *Xensi*, *Quangsi*, *Kiangsi*, & *Honan*, sedem suam in urbe *Cambalu* Tartarica linguæ *Civitatem Domini*, teste M. Paulo Veneto 11. 10. Unde error Trigautii Martinii & aliorum patet, qui eam vocem. Sinicam esse arbitrantur, compositam ex *Cam*, *Pa*, & *Lu*, & *Imperatorem Septentrionalium Tartarorum* significare arbitrantur. Major enim fides Paulo Veneto adhibenda,qui per septemdecim annos in aula Magni Chami Cublai vixit, & vocem illam ex Tartarica lingua *Civitatem Domini* interpretatur. *Cam* enim Dominus, Rex, Imperator est, *Balu* civitas, pro quo Turcæ dicunt *Balek*, unde apud Abul Fedam *Chanbalek* nominatur. Solent enim Turcæ & Tartari interdum literam postremam omittere, vel omittere, veluti cum *Ulu Ulug*, Balu pro Baluk dicunt. Ac testatur *Amir* Chond Tomo quarto, *Balyg* lingua Mogolum significare *pulchrum oppidum*. Sinenses amissis sex borealibus Provinciis novem australes, quas Tartari *Mangi* vocarunt, retinebant, ut ex Veneto libro secundo, capite quinquagesimo tertio, ad finem libri & cap. patet. *Mangi* autem, sive Mantzi à Tartaris Sinenses vocabantur, id est Barbari, quia linguam eorum non intelligebant, ut Martinius testatur. *Kublai* igitur Anno millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, (apud Venetum corrupte legitur millesimo ducentesimo sexagesimo octavo) regnum *Mangi*, cujus metropolis erat *Quinsai*, expugnavit, atque ita toto Imperio Sinensi potitus

titus

titus fuit, prout *M. Paulus Venetus*, qui ipſe huic expeditioni interfuit, prolixe libro ſecundo commemorat. Sinenſium Imperator ab eo *Facfur* dicitur libro ſecundo capite quadrageſimo tertio, quod nomen non proprium & perſonale, ſed commune eſt: omnes enim Reges Sinenſium à Tartaris & Saracenis *Facfur* dicuntur, ut *Coſroæ* Perſarum, *Pharaones Ægyptiorum*. Hic *Facfur* deſperans de conſervando regno contra potentiam & impetum Tartarorum, cum mille navibus ad inſulas quaſdam inexpugnabiles confugit, urbe *Quinſai* uxori cum valido præſidio commendata, quæ mox *Bajan Chinſan* Duci Tartarorum deditionem fecit: ipſe autem *Facfur* in inſulis illis, ad quas confugerat, reliquum vitæ exul & ExRex tranſegit, teſte *Veneto libro ſecundo, capite quinquageſimo quarto*.

Magnus Tartarorum Cham KUBLAI toto Imperio Sinico potitus, Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo novam Imperatoriam familiam, quæ *Ivena* dicta, inſtituit. Novem Imperatores Tartaricæ Originis in Sina per nonaginta annos regnarunt, quorum primus fuit *Kublai*, qui admodum diu Imperium tenuit, uſque ad Annum milleſimum trecenteſimum circiter Nam ei tum ſucceſſit filius *Tamor* Cha. *Haitho* quadrageſimo ſeptimo, quem *Venetus libro ſecundo, capite trigeſimo nono Eſen Temur* nominat. Cæterorum nomina tam diu ignorabuntur, donec Annales Sinenſium prodeant; Extat quidem Catalogus Magnorum Chamorum Catajæ apud Henningen, ex Schiltpergero Bavaro, qui ſub Tamerlano militavit, ſed nomina adeo monſtroſa & corrupta ſunt, ut nihil inde certi haberi poſſit.

Intra nonaginta annos bellicoſa Tartarorum natio adeo Sinicis deliciis infracta & corrupta fuit, ut belli ſtudio omiſſo à virtute Majorum penitus degenerarint. Sinæ nondum extincta injuriarum & cladium in hac Tartarica ſervitute acceptarum memoria, auſi tandem fuerunt armis acceptis, peregrinum jugum excutere. Dux & autor tam generoſi auſi quidam infimæ conditionis, ſacrificuli cujuſdam mancipium, nomine *Chu* fuit, qui ſacello & ſacris inanibus relictis, prædonum manu collecta ex montibus plana longe lateque vaſtavit & acceſſione virium indies validior (quippe Sinæ ad libertatis vindicem & Tartarorum fulmen ingenti numero confluebant) ſpe prædæ, quam liberaliter diſtribuit, juſtum exercitum conflavit, bello Tartarico his quaſi tentamentis præluſit. Ac ne majori vi intra montes repulſus, fame laboraret, eos arari & conſeri juſſit, futuræ ita neceſſitati providè conſulens. Tum ſucceſſibus tantis animatus, palam bellum Tartaris intulit, Sinas omnes ad libertatem & prædæ ſocietatem evocans, quos etiam indemnes belli eſſe voluit, ſolos ad necem Tartaros tanquam publicos hoſtes, depoſcens. Victoriæ ejus tam frequentes fuerunt & denſæ, ut Tartari paſſim profligati, tandem omnes, qui reſtabant, panico terrore correpti, fuga ſe ultra murum in priſtinas

Tartari è Sina pelluntur.

ſedes reciperent, ac Sinam poſt nonaginta annorum dominationem turpiter deſererent Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo. Quo quidem anno *Chu* Imperium Sinicum ſuſcepit, dictus *Humvuus* ſive *Hunguvus*, quod *Bellàtorem magnum*, aut *diluvium armorum*, ſignificat, & novam familiam Imperatoriam TAIMINGAM condidit, ſede Regia *Nankingæ* poſita. Nec contentus *Hunguvus* Sinâ Tartaros expuliſſe, murum transgreſſus in ipſa Tartaria ingentibus eos damnis affecit, & tandem domitos tributa pendere coëgit, quod præcipue fecerunt illi, qui in Tartariam Orientalem *Niuche* confugerant. Nam *Tartari* Sina profugi magnam partem in illas regiones, quæ ſupra Sinam Orientem verſus jacent & *Niuche*, *Niulhan* ac *Iupetacæ* vocantur, confugerunt, ubi ab eo tempore & Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo. Sinis tributarii & ſubjecti, per *Leaotung* quotannis tributa & mercimonia ſua importabant. Reliqui in Occidentalem Tartariam *Tangu* & *Kara Chatajam*, ſive *Matearanaſſe* ſe receperunt, ubi tum temporis Anno milleſimo rrecenteſimo ſexageſimo nono, *Timur* ſive *Tamerlanes* novum Imperium Tartaricum, more *Zingis Chani*, condebat, ac collapſam Tartarorum per Scythiam, Cumaniam, Mogoliam, Perſiam, Indicam, dominationem felicibus auſpiciis inſtaurabat, adjutus profugis illis ex Sina Tartarorum copiis. Ac moliebatur *Timurus* extremo vitæ Sinicam expeditionem, delendæ ignominiæ, jamque cuncta in Sinam itinera & vias, ſitum urbium & quicquid invalidum exploraverat, ac ingentibus copiis verſus murum tendebat, cum fatalis terminus eum in urbe Chatajæ nigræ *Anzar* aſſecutus finem his conſiliis impoſuit, ac cum eo paulo poſt Imperium Tartaricum Occidentale iterum collapſum & infractum fuit.

Secunda & Ultima Sinæ expugnatio Tartarica.

Secundam & ultimam noſtro tempore Expeditionem in Sinam Tartari Orientales *Niuche* & *Niulhan* ſuſceperunt, initio facto Anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, eamque totius Imperii Sinici expugnatione finierunt, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, atque ita intra triginta annos vaſtiſſimo Imperio potiti, novam familiam Tartaricam *Taicingam* condiderunt. De quorum quidem Tartarorum origine rebuſque noſtra memoria geſtis, quædam ſupra petenda ſunt. Expulſi, ut dictum, Ivenæ familiæ Sina Tartari magnam partem per *Leaotung* in Orientales illas *Niuche* & *Niulhan* Provincias, confugerunt. Creſcente interea multitudine, in ſeptem diviſi populos ſive *Hordas*, diu diſcordes, tandem Anno milleſimo quingenteſimo in unum regnum, *Niuche* proprie dictum Orientalis Tartaria, Europæis hactenus incognita, coaluerunt, quod ad Barrolybinum Regnum aliud *Niulhan* & Orientem verſus maritimi Tartari *Yupi* vel *Yupitacæ*, ad auſtrum Coreani, & *Leaotung* intra murum, ad Occidentem fluvius *Linhoang*, inter *Niuchen* & *Kilangho* medius, terminat. Antiquitatem eorum Annales Sinenſium jam ſub *Hana* familia produnt, ducentis ante natum Chriſtum annis ſub nomine



mine *Kin* quod *aurum* ſignificat. Plerumque *Domini & poſſeſſores aureorum montium* vocantur vulgari inter Sinas rumore, auro graves iis montes eſſe & ripas fluviorum grana aurea, divite proventu, ſuppeditare. Nulli atrociores his Sinenſium jam olim hoſtes & extremis familiæ Sungæ temporibus quinque boreales Provincias, *Leaotung*, *Peking*, *Xanſi*, *Xenſi* & *Xantung* expugnarunt. Cum verò Tartari Occidentales, quorum eo tempore Imperium *Zingis* Chan, ut ſupra dictum, fundaverat, hanc Orientalium Tartarorum fortunam ægris oculis aſpicerent, ab Auſtro & Occidente in Sinam impetu facto, Tartaros Niuchanos non Sina modo expulerunt, verum etiam eos ultra murum inſecuti, majorem partem ſibi ſubjecerunt. Ita familia *Zingis* Chanica boreali Sina, quam *Chatajam* vocant, potiti, tandem auſtralem quoque ut ſupra memoravimus, expugnarunt. Sed cum eam iterum poſt nonaginta annos amiſiſſent, *Niuchani* eorum acceſſione robuſtiores facti, tandem ultimam hanc in Sinas expeditionem ſuſceperunt.

Mores hujus gentis *Niuche* tales ſunt. Tentoria habent ex ſerico vel goſſypio pellucidâ cerâ ſplendorem in ſole ejaculantia & ſimulque pluvias ſpernentia. His tanquam domibus & magnates Palatiorum inſtar utuntur. Nulla hodie oppida aut urbes, quarum ſub *Ivena* familia centum & viginti quatuor fuiſſe referunt, hodie ruinis tantum extantibus. Per patentes vagantur campos, ut fons, ut nemus, ut paſcua placeat, portatiles ſecum urbes in tentoriis circumferentes, teſtudinum inſtar. Veſtes vulgo ex pellibus, ditiores ſerico & goſſypio induuntur, quanquam tota



Niuche, nec sericum nec gossypium producat: permutatione pellium à Sinis mercantur. Togis talaribus induti, aretis manicis, quæ equi ungulam referunt, lumbos lato cingulo ambiente, unde duo strophiola gossypina & ad latus culter ac duo marsupia pendent, tabaco, cujus avidissimi, & aliis minutiis recondendis. Hospites tabaci fistula à famulis incensa excipiunt, ad lævam acinaces, cuspide antrorsum, manubrio ad tergum reflexo, quem equis insidentes dextrâ prompte post scapulas evaginant. Æstate ob calorem ex stramine, aut arundine pileos; hyeme capitia auribus arctè insidentia & pellibus Zabellinis suffulta, rubro linteo, aut serico, vel nigris aut purpureis equorum setis vestita, gestant.

Tartaricarum fœminarum habitus.

Fœminæ Tartaræ nigris in universum vestibus, & laxis Europæo more. Media ut opibus, ita vestitu sericeo reliquas excellit; quæ gossypio vestiuntur. Capillos artificiose componunt: divites & Magnatum ad tempora propendentes vaginis quidam includunt; superiores cincinni libere per verticem jucundo spectaculo vagantur. Principes fœminæ mitellis caput redimunt: tenuioribus capillos densius plectentibus, unde tamen desuper cincinni, inferius comæ vaginis inclusæ dependent.

Milites Tartari casside ferrea, vultu nudo, cauda equina dependente, thorace ex multis laminis instar Chorsarum Parthorum composito, unde inter equitandum ingens fragor & collisio longe auditur, cujus etiam Prophetæ Persarum equitatum & Medorum describentes, meminerunt. Arma, arcus, pharetra, sagittæ, acinaces: bombardis non utuntur.

tur. Equites nigro habitu; ocreis ex corio equino craſſis ſoleis, abſque calcaribus utuntur. Rarus in militia pedes; in equitatu omne robur. Equos ferro non calceant, ac eam artem ignorant. Soli Principes præſertim in Occidentali Tartaria equis, quorum ungulæ ferro munitæ utuntur, & ex illa arte *Zingis chan* ferrarius faber, magnas inter Tartaros opes collegiſſe dicitur, quemadmodum magnus ille Orientis totius genius, Jac. Golius retulit.

Equitatus Tartaricus hunc in expeditionibus ordinem ſervat. Duo agmen equites præcedunt, vexillis tergo dependentibus. Sequuntur pari habitu duo alii. Inde alii duo illuſtres abſque vexillis. Poſt hos Dux turmæ. Eum excipiunt quinque alii una ſerie, quorum medius magnum Imperatoris vexillum dorſo affixum geſtat. Tandem tota ſeries equitum, quinque ſimul uno ordine incedentibus, ſequitur. Denuo duo parva vexilla, & qui totum agmen claudit, ut ex pictura clarius apparet. Hæc equeſtris Tartarorum in bellum proficiſcentium acies. Ordo equitatus in expeditionibus.

Si cum Sinenſibus hos Tartaros contendas, robore ac audacia prævalent; at Europæis haudquaquam, ut omnes Aſiatici, virtute & valore conferendi. Colore ſunt albido, taciturni, ſeveri, graves. Omnis in armorum exercitio ætas tranſigitur; unde ad militiam nati & educati, præcipuum artificium in ſagittando collocant. *Nullus toto orbe populus arcu Scythas Tartaros ſuperat.* Quantum ab aliis in ſcopo petendo nationibus diſcrepent, ſupra memoratum, ac ut Idea Tartari ſagittam arcu tendentis, conſpiceretur, vivam ejus imaginem in tabella repræſentavimus.

Cibis quibuscunque indiſcriminatim utuntur, ſed vulgaris caro eſt ſemicruda. Camelos, equos & alia jumenta mactant. Præcipua in venatione voluptas; canibus ſumma celeritate & falconum loco accipitres utuntur. Prædas & latrocinia, ubi poſſunt, exercent.

Religionis parci ſunt, quanquam non omnino rudes: ſacrificulos *Lamas* habent, quorum in Pekingæ diſcriptione mentio facta. Muhammediſmum ſive Iſlamiſmum execrantur ac Turcas, quos *Hoei Hoei* vocant, odio habent, quoniam *Hunguvus* eos Turcarum ope Sina expulit. Cadavera rogis & lignorum excelſis ſtruicibus comburunt uxores, ſervos, equos & arma ſimul injicientes.

Animarum ſtatum poſt hanc vitam ſollicite rimantur dubii an cum corpore ſtatim pereant, an alia poſt hanc vitam, reſtet. A fide Chriſtiana haud alieni ſunt, ac poſt Sinam expugnatam haud pauci in Jeſuitarum caſtra, baptiſmo ſuſcepto, tranſierunt.

Lingua ipſorum *Niuchenſis* vernacula longe Sinenſi facilior & Perſicæ vicina videtur: Literas habent figura & ſono Arabicis haud multum diſpares; neque Sinenſium Characteribus aut ſiglis utuntur. Literæ ſexagenum numerum ſuperant, pronunciationi, ut noſtrates, figura differunt. Superne deorſum pendentibus literis Sinenſi more ſcribunt, dextra

finiſtram verſus, quod de Iguris, qui hi Tartari ſunt, ſuo tempore Rubruquus & Plancocarpus teſtantur.

Metalla & gemmas, rubinos ac margaritas Oceanus, Regio fert. Vaccas Europæis multo majores habent, perticam longas, & incornes. Falconum genus *Haitungcing*, corpore Europæis minori, ſed tanto robore, ut etiam manſos anſeres abripiat alis.

Regio tota montoſa & aſpera, fertilibus campis & vallibus paſſim diſtincta. Montes maximi & alpes *Kin*, id eſt *aurum* vocantur: unde ipſa gens etiam nomen accepit. Sunt & alii montes *Changpe* mille ſtadiorum ambitu, unde duo fluvii oriuntur. *Yalo* in auſtrum, *Guenthung* in boream procurrens. Hæc gentis & regionis natura.

Sicut Orientales Tartaros Sinæ metu & armis: ita Occidentales muneribus & donis in officio continebant. Neque enim turpe aut dedecoroſum Sinis videtur pacem redimere, cum nihil bello execrabilius arbitrentur. Et quanquam hinc armis inde largitionibus ſatis contra vim tuti viderentur, nunquam tamen vacui metu, ingentibus militum præſidiis murum tutabantur, decies centena millia perpetuas ibi ab Oriente Occidentem verſus excubias agentibus. Imperium Sinenſe ita ab *Hunguvo* ejuſque ſucceſſoribus ſtabilitum ducentis quinquaginta annis alta in pace tranquillitatem habuit, cum *Vanlieus* decimus tertius familiæ *Taimingæ* Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio ſolium conſcendit & magna juſtitiæ probitatisque laude uſque ad Annum milleſimum ſexcenteſimum & vigeſimum tenuit, eo uno infelix, quod ipſe fere curarum expers, cuncta Imperii negotia fidei præfectorum committeret.

Dum *Vanlieus* ſumma pace & tranquillitate Imperii Sinenſis ſceptra gerit, Tartari Orientales *Niuche*, bellorum pertæſi civilium in unum coaleſcere regni corpus, non abſque vicinorum trepidatione & in futurum metu, cœperunt. Id vero haudquaquam credibile, quod autor, qua fide ipſe viderit, regionem hujus Orientalis Tartariæ tam anguſtam eſſe refert, aut vix viginti milliaria Germanica conficire. Quod plane falſum & fabuloſum eſſe, ex ingentibus Tartarorum exercitibus, quos per triginta annos Sinæ velut diluvium immiſerunt, quieſcentibus Occidentalibus vel exiguo numero militiam ſectantibus, patet. Ex M. Paulo Veneto patet deſertum *Bargu*, quod ut ex ſitu ejus & deſcriptione patet, plane Tartariam hanc Orientalem repræſentat, viginti ſeptem dierum itinere verſus Barrapeliotem ad Oceanum uſque excurrere. Et ipſe Sinenſis murus longiſſimo tractu verſus Orientem procurrens, quanta *Niuchorum* Provinciæ amplitudo ſit, oſtendit. *Yupos* autem ſive *Iupitacas* qui pellibus piſcium & phocarum tecti inter Japoniam & Coream maritima colunt, eſſe illos ſupra Japonem, quos *Iedos* vel *Iezos*, appellant & quorum regionem primus Nobiliſſimus *Franciſcus* Caron, Regis Chriſtianiſſimi ad Indorum, Sinarum, Tartarorum, Mogolum, Japoniorum Monar-

narchas, Legatus designatus, aperuit ex ipso situ & habitu, moribusque barbaris abundè liquet.

Primus regni *Niuchici* conditor circa Annum millesimum sexcentesimum NOLHACHE fuit, filius *Taxe*, nepos *Xiachan*. Hic *Nolhache* magni Princeps animi, consilio manuque promptus pariter & felix, perspecta Imperii Sinici, ob longum otium & armorum cessationem debilitate, triginta familiarum sive hordarum (neque enim plures *Niuche* habebat) caput se constituit. Mox proxima Sinarum deprædari, *Leaotung* invadere, urbes oppugnare vel capere, ac Sinensibus se terribilem facere, quos bellorum desuetos, libris, religionibus, & luxuria ac comœdiis enervatos facile à bellicoso populo & solis armis innutrito superari posse haud vane, conjectabat. Regni sui nomen, quod *Kienchieu* vocabatur, Nolhachius in *Moncheu* transmutavit, unde hodieque Tartari Sina positi populus *Moncheu* appellantur. Et dum consilia Sinæ expugnandæ *Nolhach* coquit, fato præventus successorem reliquit *Mansueu*, qui ex decem filiis quartus ordine erat, Princeps pacificus & legum amans, qui ex occidentali Tartaria eruditos viros Religioni & moribus excolendis, evocavit. Sed haud diu superstes filium reliquit *Sungleium*, qui hodie Tartarorum Sinensiumque præpotens Imperator est.

Causa belli una eademque, antiquum inter utramque nationem Sinicam ac Tartaricam odium erat & injuriæ datæ acceptæque. Occasionem præfecti Sinici Tartaris intolerabiles præbuerunt, qui bellicosam nationem & non sua magis quam Sinarum notitia ad magnum facinus animatos, quotidianis injuriis irritarunt. Ipsi etiam Sinensium præfecti studio bellum quærebant, ut ejus prætextu æque Tartaros ac Sinas deprædari possent.

Præfecti *Leaotungæ* ampliori longe quam aliarum Provinciarum potestate fruuntur. Nulli nisi arcano Imperatoris consilio rationem administrationis suæ tenentur reddere. Ita absolutam quasi, vita durante, potestatem habentes cuncta pro lubidine agere & mercatores Tartaros ex Niuche in *Leaotung* pacifice tendentes, male tractare. Libera commercia suis S inici Impèratores cum vicinis Tartaris Niuchanis permiserant. Sed præfecti sarcinas excutiendo, detinendo, mercatores contra jus & æquum vexando omnia fere commercia disturbarunt. Niuchani sæpe sub Legatorum undique in Sinam confluentium comitatu latebant. Sed deprehensa fraude eo gravior imminebat pœna. Ita Tartari quocunque prætextu spoliati, inanibus querelis suos pariter Sinensiumque Reges fatigabant, præfectis inita conspiratione in violentia semel cœpta, præfracte pergentibus.

Tertia causa belli hæc fuit. Rex N*iuche* filiam alteri cuidam Tartarorum Regi elocare volebat. Sinici Præfecti rem indignam clamore, quod Vasallus Imperatoris & tributarius absque consensu sui Domini conjůgium

gium filiæ cum populari moliretur, non absque rerum novarum suspicione. Sunt qui quartam belli causam in mortem Regis *Niuche* à Sinensium Præfectis procuratam conjiciant, quod si verum, tum *Mansueum* fraude Sinensium occubuisse necesse est, & filium ejus minorennem *Sungteium* sub tutela *Amavangi* Sinam expugnasse.

Tartari murum superant.

Anno millesimo sexcentesimo decimo sexto Tartari murum, qui Sinam ab eorum regione disterminat, generoso ausu superarunt. Inde patentem Leaotungæ Provinciam irrumpentes, urbem *Tuxung* sive *Caiyven*, ad ostium fluvii *Yaloy*, unde murus incipit, & ipsa Tartariæ ostia sitam, tanquam belli imminentis sedem, occuparunt; eo sine dubio fini, ut si à tergo Sinenses viam terrestrem præcluderent, mari aufugeret: si vero semel occupata tueri posset, suis vicinorumque auxiliis Sinam oppugnaret, & quantum fortuna faveret, potestati suæ subjiceret.

Rex Tartarus, quanquam pedem in Sina armatum posuisset, tamen immensa Imperii illius mole, ac quam facile præsidia per Leaotungam, & Pekingam sua obrui multitudine possent, considerata, literas lingua & stylo Tartarico ad Imperatorem Sinicum misit, mortem patris, præfectorum insolentiam conquestus: reducturum se extra murum copias, *Tuxungum* urbem deserturum promittens, ubi pro injuriis & damnis satisfactum, ac imposterum Sinas tanquam fœderatos & amicos *Niuchorum* habendos. Epistola hæc per sacerdotem *Lamas Venlieo* Imperatori Sinico exhibita fuit.

Imperator ætate negotiorum pertæsus, literas ad Eunuchos & Senatores remisit, qui ingenitâ superbiâ ne responso quidem dignas æstimabant. Tartarus accedente ad priora damna recenti ignominia, totus in furorem conversus, ducentorum millium cæde se parenti per nefas trucidato parentatum jurabat. Hic enim Tartarorum mos, rogis defunctorum homines pariter & animalia, ac pretiosissima quæque, velut in altero orbe profutura, consecrare.

Rex *Niuche* indignationis plenus, toto cum exercitu, urbem *Leaoyang*, quæ caput Provinciæ *Leaotung*, valido Sinensium præsidio bombardis armatorum, munitam, obsedit. Tartari nonnisi sagittis utebantur tanta promptitudine, ut Sinarum bombardas longe superarent, ac ut eas redderent inutiles, crassis asseribus pedites in prima acie instruxerunt, quibus tecti & se & equites insequentes ab ictu bombardarum, velut ligneo muro, defenderent. Urbs ipsa quatuor simul locis, horribili cum ululatu oppugnata, pedite cum asseribus praeunte, tum equitatu leviori, inde qui scalas portabant, & tandem lectissimis copiis impetum facientibus. Tanta autem celeritate (nam in ea præcipuam victoriæ momentum Tartari collocant) in mœnia scalis evaserunt, ut Sinenses bombardas denuo implendi & explodendi spatium nullum habuerint. Secuta equitibus immissis promiscua cædes.

Mox

Mox complura alia oppida capta & ipsa urbs primaria *Quamping*, spontaneam deditionem fecit, Tartaris nulli vim aut injuriam inferentibus, ut ea lenitate plures allicerent.

Leaotung in potestatem redacta, proxima erat *Peking*, in quam se Tartaricus furor, velut tempestas quædam *Martia*, effudit, tanto in Regia urbe terrore, ut impetu capi potuisset, & Imperator ex ea versus Australes Provincias, fugam moliretur. Sed Senatus obstitit, *nec omittendum caput regni, unde Imperium in reliqua*, promissis minisque ostendit.

Ita Tartaris per *Leaotung* & *Peking* cæde & incendio grassantibus; fuga passim incolarum in sylvas & inaccessa montium. Urbes & oppida vi capta funditus delebantur; quæ spontaneam deditionem faciebant, sed salva incolarum vita, diripiebant. Non tamen ausi *Pekingam* adoriri, præda graves in *Leaotung* reversi, mœnia *Leaoyang*, hariolis ita suadentibus, infelicia fore, dirui & nova strui jussit.

Leaotung intra murum & Sinum maris *Cang*, quanquam spatio terratum populoque gravis nunquam Provinciæ Sinensis Imperii nomen obtinuit, *Taiminga* familia, urbibus tota regione destructis, passim præsidia militaria per eam constituente: paucis tantum oppidis, in quibus Prorex & alii Magistratus sedes suas haberent, relictis. Causa Tartarorum *Niuchea* & *Niulhan* vicinia, contra quorum irruptiones perpetua militum statione opus erat. *Leaotung.*

Termini ejus ad Ortum fluvius *Yalo*, & Sinus *Cang*, quibus à *Corea* separatur; nam *Yalo* ex Tartaria erumpens, *Leaotung* & Coream in duas quasi æquales partes dispescit. Boream murus claudit; versus Occidentem *Peking*, fluvio *Linohang* interfluente. Austrinum latus Sinus *Cang* alluit.

Nomina ejus sub diversis familiis varia. Antiquissimum *Yen*: *Xuus* conditor familiæ *Cinæ* vocavit Leaosin: *Hiaovus* ex *Hana* familia, cum post occupatam *Coream*, colonias peregrinas in eam, multiplicandi populi ergo, duxisset, *Caokiulin* appellari jussit. Sub *Taimingis Leaotung* vocari cœpit.

In tam Vasta Regione non nisi duæ Metropoles, & paucæ minores: sed munimenta & præsidia maximarum urbium æmula quam plurima. Metropoles sunt *Leaoyang* & *Ningyven*. Urbes *Ycheu*, *Caiyven*, *Quangning*, *Ningyven*, *Chinyang*, *Kincheu* & *Cai*; oppida *Hai*, *Tieling*, *Chungeu*, *Puho*, *Kin*, *Fo*, *Luixun*, *Chekiao*, *Chekai*, *Quangning*, *Tingleao*, *Ganlo*, *Piegang* & *Sanuan*; oppidula quinque *Chungtung*, *Co*, *Ieu*, *Heutun* & *Yeutun*. Nonnullis, quæ *Xantungæ* proximant, velut *Kin*, *Fo*, *Liuxun*, Duces militum dominantur.

Incolæ ingenio rudi & artium incapaci; cæterum validi corporis & robore Sinenses longè superant; audaces pariter & laboriosi. Bellis à juventute ob Tartarorum viciniam assueti, nullo seculo irruptionum vacuo, donec tandem Sinenses sub Imperatore *Kiacingo*, Orientalem ejus plagam amitterent, Tartaris non Sina ingenti suorum strage tandem superantibus. Incolarum indoles.

 bus.

bus. Sub *Vanlieo* iterum & majori vi irrumpentes, totâ *Leaotung* potiti fuerunt. Ita continuis Tartarorum bellis exerciti, in mores eorum ſenſim tranſierc, illi imprimis, qui Orientem reſpiciunt & Sinenſes hoſtiliter tractare cœperunt: unde in locum urbis *Leaoyang*, alio nomine *Ningyven*, metropolitana dignitate à Sinicis Imperatoribus decorata fuit.

Fertilitas *Leaotung.* Regio omnis pecudum arborum ſegetumque feraciſſima. Radicis nobiliſſimæ *Ginſeng* copioſus ibi proventus. Pretioſæ pelles Caſtorinæ & Zabellinæ contra aëris inclementiam & ad mercaturam. Nuces Pineæ inſigni magnitudine, hordeum & ſecale; oryza nulla; ſed olerum imprimis braſſicæ, cujus alias vix totâ Sinâ proventus, copia; ficus, poma, pyra, uvæ, majori numero quam in fertiliſſimis Europæ campis. Hinc fertiliſſima Regio cenſetur, quippe plana magnam partem nullis collibus vel montibus edita. Mare navigabile cætera quæ deſunt, ſuppeditat; ac niſi populus ipſe rudior & bellis deditus, vix alia totâ felicior Sinâ ditio. Sed dum Bellona continuo incolas exercet, quantumvis fertilia arva ſterileſcunt. Religionis ſuperſtitio eadem, quæ Sinenſium: animarum transmigrationem pervicaciter credunt. Saltatrices Sacerdotes habent, quæ miris geſticulationibus ſpectra morboſque, tympana pulſantes noctu dieque ſe pellere arbitrantur, miro ſpectaculo tamdiu & illas ſaltando durare, & ægros tantos tumultus perferre poſſe. Quanquam vero majori parte plana ſit & campeſtris; alibi tamen excelſi & amœni montes. Apud *Quanning*, mons *Vaujung*, apud *Tielung* mons *Lungxeu*: ad Orientem *Leaoyang* mons *Fungheang*, apud *Chungtung* mons *Hunglo*, apud *Ningyven* mons *Taluon*. Ingens mons *Changpe* à muro uſque in Tartariam procurrit. Eſt & lacus octoginta ſtadiorum ambitu, immenſa profunditate, ex quo duo fluvii, in auſtrum *Yalo*, in Orientem *Quentung* procurrunt, de quibus in deſcriptione Regni *Niuche* jam ante dictum fuit.

...æ arma parant contra Tartaros. Sinenſes Tartaricum exercitum in *Leaotung*, quotidie cervicibus ſuis imminentem videntes, deliberare ſerio cœperunt, qua ratione hæc tempeſtas toti Imperio excidium minitans, repelli & evitari poſſet. Tandem viſum fuit ſexcenta millia lectiſſimorum militum ex cunctis Provinciis conſcribere, ac eo cum exercitu Tartaros Sina expellere. Rex Coreanus duodecim millia auxilio miſit, qui omnes arcu & ſagittis more Tartarico utebantur, & Sinas rei militaris peritia ac fortitudine longe ſuperabant. Neque Tartarorum Rex *Thienmingus* ſegniter ad bellum ſe præparabat, contractis ex toto Regno, quantas poterat, copiis. Sinæ jam omnibus ad expeditionem inſtructis Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono initio Veris contra Tartaros formidabili cum exercitu profecti, infelix prælium commiſerunt. Quinquaginta millia in præliari campo cæſa, (quanquam Tartari vix decimam Sinenſis exercitus partem æquarent) reliqui fuga evaſerunt. Ea adhuc die duas urbes impetu ceperunt Tartari, & omnibus trucidatis, combuſſerunt. Lata paſſim per agros ſtrages, & incendia, ac quacunque Tartaricus exercitus tranſibat,

nil

nil nisi vastitatem horribilem, post se, monumentum victoriæ, relinquit. Inde neque ad Pekingensia mœnia excursionibus factis, cuncta cæde, sanguine, incendio, ruinis deformare; nam ipsam urbem omnibus abunde ad defensionem instructam & valido intus octoginta millium præsidio obsidere in consultum videbatur.

Tantus in Regia urbe tum terror erat, ut denuo Imperator de fuga versus Austrum consultaret; sed Proceres dissuaserunt, quod inde *animus adderetur Tartaris; cives metu ac desperatione ad deditionem adigerentur; unde ruina Imperio metuenda, exemplo ad reliquas urbes & Provincias transeunte.* Ac fatentur ipsi Sinæ capi tum impetu Tartarico Pekingam potuisse: sed Tartari uberrima præda & direptione, quæ minus firma erant, contenti, cæde totam regionem innumera depopulabantur; ac tum in extremam iterum *Leaotung* recesserunt.

Inter has turbas Imperator *Vanlieus* Anno millesimo sexcentesimo vigesimo obiit, successore filio *Taichango*, qui in ipso Tartarici belli apparatu, cum vix quartum mensem in Imperio exegisset, præmatura morte abreptus, *Thienkium* filium curarum & potentiæ hæredem habuit. *Thienkius* potentiam Regis *Niuche* adeo noxiam & exitiabilem Sinæ ob viciniam & nuperas victorias sentiens, ante omnia vicinorum amicitiam, ac auxilia quæsivit, missis in *Koream* cum splendidissimis muneribus, ad Regem legatis, per quos gratias pro auxiliis avo suo *Vanlieo* missis agebat, ac ob jacturam, quam *Koreani* in nupero prælio fecissent, eum consolabatur, omnem imposterum favorem, & gratiam promittens. Neque vero absque causa Sinicus Imperator *Koreanorum* benevolentiam captabat metuens, ne ad victores Tartaros transirent, & auxilia eorum ob gentis robur & viciniam sibi imprimis usui fore prævidens.

CORÆA Insula sit, an continens peninsula hactenus inter Europæos dubitatum fuit; sed circumnavigari eam non posse, quod extima sui parte continenti Asiæ adhæreat, experientia docuit; quanquam non defuerint, qui se eam circumnavigasse jactarint, errore inde orto, quod vicinam Coreæ magnam Insulam *Fungma* ad austrum sitam, pro ipsa Corea acceperint. Cuncti Sinarum Geographi Coream faciunt peninsulam, Tartariæ *Niuchensi* continentem. Sinæ eam non *Coream* sed *Chaosien*, eodem, quo Japonii nomine, vocant. Versus boream *Niuche*, ad Occidentem fluvius *Yalo* termini sunt: cætera mare Oceanus ambit. *Insulæ descriptio.*

Octo ejus Provinciæ numerantur. *Prima* & totius regni meditullium *Kinki*; metropolis *Pingjang*, Regum sedes. *Secunda* ad Orientem *Kiangyuen*, olim *Gueipe* *Tertia* in Occidentem *Hoanchai*, quondam *Chaosien* quod nunc toti regno commune nomen. *Quarta* Australis *Ciuenlo*, vetustis temporibus *Pienhan.* *Quinta* ad Notopeliotem *Kingxan*, olim *Xinhan.* *Sexta* versus Notolybicum *Mahan*, nunc *Changcing.* *Septima* ad Barrapeliotem *Kaokinli*, jam *Hienking* dicitur. *Octava* Barrolybicum versus

versus *Pingan.* Imperator *Uvus* familiæ *Chevæ* conditor Anno Christi millesimo centesimo vigesimo primo cuidam *Kicio* ex Regia *Xangæ* familia hanc regionem jure fiduciario possidendam concessit.

Uxorum non tam arcta apud *Coreanos* ac Sinenses custodia: versari in publico licitum; unde Sinis male morati habentur. Magna inter eos ac Sinas in connubiis differentia. Quisque uxorem pro lubitu, nulla parentum, aut consanguineorum approbatione prævia, ducit; quod apud Sinas nefas habetur. Regio in omnia frugum genera fertilis: secalis & oryzæ duplex anno & copiosa messis. Papyri varia artificia & penicillorum ex luporum pilis pretiosus apparatus, quibus in scribendo utuntur ipsi & Sinæ, apud quos communiter ex leporinis pilis fiunt. Radicis *Gienseng* copiosus ibi proventus & auriferi montes. Nullibi *Sandaracha* sive *Cie* melior, qua Japonum & Sinarum more, suppellectilem suam illinunt & ornant. Nulla tamen iis nisi cum Sinensibus & Japoniis commercia. Atque hæc Coreæ peninsulæ conditio est.

Imperator Sinicus ex omnibus quindecim Provinciis novo exercitu collecto, in *Leaotung* contra Tartaros validas copias misit; ac ut cuncta necessaria prompte suppeditarentur, classem in portu *Thiencin*, quo per omnia Sinæ flumina & ipsum Oceanum facilis aditus datur, constituit, ac inde commeatum, arma, militem in vicinam *Leaotung*, quæ bidui tantum maritima via spatio distabat, transportari jussit.

Sinica Amazon.

Inter alias auxiliares copias, Amazon quædam Sinica cum tribus millibus fortissimorum militum ex *Suchuen*, ultima Imperii ad Occidentem Provincia, in castra venit, ipsa militari habitu & animo virili, mediis immixta Tartaris & rebellibus arcu ac acinace magnam sæpe cædem faciebat. Hæc virago in locum filioli sui, qui propter ætatem bello inhabilis erat, arma induit & pro Sinici Imperatoris majestate præclara facinora edidit. *Thienkius* tandem ipse in castra venit, ac exercitu instructo Tartaros adortus eos prælio victos tota *Leaotung* expulit: nam & ipsi incolæ cruda Tartarorum Imperia pertæsi arma cum Sinensibus junxerant, & Tartari domestico in *Niuche* bello ac civilibus turbis tum exagitati, neque auxilia inde accipere, neque acquisita tueri poterant. Ita Sina pulsi trans murum omnibus amissis se trepidi receperunt.

Caput

Caput Decimum Nonum.

De altera Tartarorum in Sinam expeditione & totius Imperii expugnatione.

Sinenſes quanquam Tartaris tota Sina pulſis, non tamen belli conſilia omittebant, gnari Tartaros domeſticis turbis compoſitis, haud diu quieturos. Ergo murum ac limitaneas civitates validis præſidiis inſidere, nova propugnacula ſtruere, arma, tela, commeatum, militem parare. Nec eos metus fefellit; mox enim, ubi turbæ in *Niuche* ſedatæ, iterum Tartari cum ſeptemdecim millibus equitum in *Leaotung* irruperunt, ipſam urbem *Leaoyang* tanta adorti vi, ut eam, cum jactura viginti millium, intra quadraginta horas, proditione cujuſdam Sinici Ducis portas clam tempore ſtatuto aperientis, expugnarent. Ita toto exercitu intra urbem admiſſo, incendia, cædes, ſtupra ac vindicandis, qui ceciderant tot ſuorum millibus (neque enim alias tantam à Sinenſibus jacturam paſſi fuerant) ipſam urbem ſolo æquarunt. *Tutangus* proditione intellecta ſuſpendio ſpontaneo vitam finiit; ejus collega vivus in poteſtatem Tartarorum pervenit, cui etiam vitæ gratiam fecerunt ſpe officiorum, & quod ex eo ſtatum Regionis intelligere poſſent. Sed ipſe juramenti ſui & fidei memor, ne Regis quidem titulo barbarum dignabatur; Tartaris tantæ virtutis admiratione libertatem ei concedentibus & incolumitatem, ut oſtenderent etiam penes ſe præmia probitati conſtituta eſſe. Cæterum cum Sinicæ leges & antiquus mos illis, qui infeliciter pugnaſſent, vitam abjudicarent, ſeipſum, hoſtis ſui gratia ſpreta, ſuſpendit.

Tartari iterum arma movent.

Proditio Tutangi Sinici.

Tartari hac urbe deleta, edicto publico cunctis Sinenſibus vitæ gratiam, qui capillos raderent & Sinicum habitum Tartarico mutarent. Nam ut ſupra dictum Tartari capite raſo ſunt, relicta tantum in occipitio coma, quam cincinnis eleganter intortam exornant. Barbam quoque evellunt, ſolis myſtacibus longis magniſque horribiles. Mox mercatores, qui frequentes in urbe ex aliis Provinciis verſabantur, libertate diſcedendi cum mercibus ſuis impetrata, vix tertio ab urbe lapide, inſidiis Tartarorum circumventi omnes lamentabiliter conciſi & trucidati, cadaveribus inſepultis, fuerunt; unde cum præda reduces civitatem horrore impleverunt, parem perfidiam cunctis indies metuentibus.

Mercatores à perfidis Tartaris trucidantur.

Et quandoquidem Tartari in hujus urbis expugnatione tam grave

damnum acceperant, non ausi longius progredi & alias urbes, validis munitas præsidiis, oppugnare, præsertim quia *Thienkius* cunctas passim angustias propugnaculis obsepserat, & in insula *Cu* validam munitionem, aditu Tartaris prohibendo, extruxerat. Sed omnium acerrimus Tartarorum hostis Dux Sinicus *Maovenlung* fuit, qui valida classe proximam Koreæ Insulam, in ostio fluvii *Yalo* sitam, occupaverat. Hic Heros terga Tartarorum continuis cladibus premens, omnem eorum vim in se convertit, & solus sustinuit. Patria ejus *Quantung*, ubi inter Lusitanos *Makaonenses* belli artem hausit, & multa tormenta ex Hollandica navi ad littus confractâ, secum attulit, ac in mœnibus urbis *Ningyven*, quæ amissa *Leaoyang*, altera *Thienkio* metropolis constituta erat, disposuit. In ea urbe *Tutangus* sive Prorex, Regius inspector & totius Sinici exercitus robur versabatur. Tartari toties jam à *Maovelungo* ingentibus cladibus affecti, quem ferro non poterant, fraude conabantur decipere, dimidium Sinæ Imperium clam polliciti, si cum copiis suis transitionem faceret, ac Tartaricam fortunam sequeretur. Sed ipsi inexpugnabilis fides, ac *malle se exulem vagari aut pro patria occumbere, quam perfidia famam integritatemque fœdare* professus fuit.

Ita Tartari undique spe sua falsi usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum quintum conquiverunt: tandem animo recepto *Ningyven* obsederunt. Sed *Maovelungus* repente illis ingruens, cum decem millium strage, inter cæsos ipse Regis *Niuche* filius eos obsidionem solvere coëgit. Mors Regii juvenis ad tantum furorem adegit Tartaros, ut per glaciem (media erat hyems & cuncta flumina congelaverant) insulam *Thaoyven* irrumperent, ac præsidium decem millium cum omnibus incolis, ne fœminas quidem aut infantes excipientes, trucidarent. Ita vindicato quasi suo damno in Tartariam, relicta *Leaotung*, redierunt, unde novis aucti viribus paulo post formidabiliores & instantiores Sinam irrumperent. Per biennium à mutuis cædibus quies & armorum cessatio fuit, cum Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo & *Thienkius* Sinarum Imperator & *Thienmingus* Tartarorum *Niuchensium* Rex obierunt; illi frater *Zungchinius*, huic filius *Thienzung* successit, qui alia, quam pater suus *Thienkius*, ratione Sinas expugnare aggressus, non cædibus & severitate ut ille, in eos sæviit, sed humaniter mansueteque habitos facilius benevolentia superari posse, quam atrocibus exemplis, primus successori suo (nam breve ejus regnum fuit) ostendit.

Dum quies ab armis hostilibus est, *Maovelungi* miles in ipsos *Koreanos*, amicos & confederatos, præsertim in regione *Hienkien*, deprædari & graviter vexare cœpit: unde illi ex desperatione, ad Tartaros desciscentes, autores ipsis fuerunt, ut habitu Koreano Sinica castra fraudis hujus ignara, adorirentur. Sinæ per Provinciam late dispersi & omnium ab hoste periculorum securi, grave initio damnum hac Koreana proditione

acce-

acceperunt. *Maovelungus* fraude deprehensa ac Tartaros sub *Coreano* habitu occultari, suis ex fuga recollectis, aciem ad prælium instruxit. Pugnatum diu acriter fuit, donec tandem Tartari superiores *Maovelungum* in fugam conjicerent, qui tamdiu cum parte copiarum Tartaros victores sustinuit, donec major exercitus pars ad littus classemque perveniret. Ita ipse & exercitus internecionem evaserunt. Tartari victoriam hanc nihili æstimantes, eo quod *Maovelungus* incolumis elapsus esset, in ipsos patriæ suæ proditores *Coreanos* furore, deceptos se ab iis criminantes, conversi, cædibus universam Regionem, & ipsas quoque quatuor boreales Provincias Tartariæ proximas, horrendum in modum exhauserunt: unde Rex Koreæ exercitu collecto ipsorum immanem rabiem sistere conabatur. Interea *Maovelungus* quoque novis copiis auctus, in Koream contra Tartaros denuo profectus fuit. Tartari cum jam ipsam regiam urbem Koreana quibusdam *Kingti* peterent, septimo ab ea lapide, in Koreanum Regem, qui cum exercitu suo angustias montium insederat, inciderunt, ac mox ingenti animo & desperata audacia impetum fecerunt. Vix prælium inter hos duos hostes cœptum erat, cum *Maovelungus* & ipse à tergo Tartaros pari ferocia adortus fuit. Tartari ante & retro duobus interclusi exercitibus, nulla spe, nisi quam acinaces aperiret, evadendi in orbem furiosissima rabie, pugnarunt. Nullum toto bello atrocius prælium commissum, cum tres maximi exercitus, per cæsorum quasi colles quosdam, cruentos in mutuam internecionem acinaces vibrarent, densis passim agminibus continuo cadentibus, velut cum gramina messores aut maturas segetes prosternunt. Nullus trium exercituum sincere victor aut victus erat; sed omnes fere in has confusa acie. Tartarorum quinquaginta, Koreanorum septuaginta millia, ceciderunt, Sinensium pauci superstites, quod Tartari ferocissime in eos, aperiendæ ad fugam viæ, impressionem fecissent, ac tum multis eorum millibus concisis, celeri & trepida per medios hostes fuga in Tartariam suam redierunt. Ita tres hi exercitus mutuis se cædibus, nullo victore confecerunt, nisi quis Koreanum victorem statuere velit, non prælio, sed quod amissam regionem, Tartaris aufugientibus, recuperavit.

Maovelungus fugit.

Confusa trium exercitium pugna.

Tartari post hanc cladem denuo in *Laaotung* irruperunt, ac Orientali ejus parte occupata, reliqua, variis subinde damnis opera imprimis septem Lusitanorum, qui tormenta dirigendi & exonerandi artem Sinas edocebant, affecti, deprædabantur. *Zungchinius* misso cum exercitu in *Leaotung Yveno* pacem, vel inducias cum Tartaris ineundi plenam ei potestatem dedit: quod si neutrum impetrari posset, tum absque mora bellum eis inferret. Quippe prædones tota Sina adeo invalescebant, ut major ab illis, quam Tartaris, metus esset. Huic *Yveno* ingenium aulicis artibus imbutum, manus in scribendo tam prompta, ut parem non haberet, callidus insuper & strategematum peritus, magnas omnino res effecturus

Tartari Orientalem Leaotungæ partem occupant.

vide-

videbatur: sed avaritia adeo turpi, ut facilem se Tartaris ad omne nefas præbuerit, à quibus ingentibus promissis & donis ad prodendam patriam impulsus fuit. Primum perfidiæ facinus mors *Maovenlungi* fuit, quem convivio exceptum & venenata potione in Tartarorum, quibus terrori erat, gratiam sustulit.

Maovelungus veneno perit.

Inde cum Tartaris ignominiosam Sinico Imperio pacem inivit, quam *Zungchinius* irritam statim pronunciavit. *Yvenus*, ut Imperatorem ad confirmandum hanc pacem adigeret, Tartaros Anno millesimo sexcentesimo trigesimo ad bellum instaurandum impulit, nullum à se impedimentum, si alia, quam ubi præfecturam haberet, via irrumperent, pollicitus. Neque dubitabant Tartari, quibus avaritia hominis nota erat, quin promissis staturus esset: unde in *Pekingam* impetu converso, cum obvia quæque incendiis, rapinis, ac cædibus vastassent, ipsam Regiam urbem ex propinquo obsederunt.

Pekinga obsidetur.

Hinc ingens in civitate terror, ac autor erat Imperatori Senatus, ut in Australes Provincias matura fuga se reciperet. Sed ipso *periturum se potius, quam ut metu Tartarico regiam desereret*, professus, capitis pœna, ne quisquam urbe excederet, prohibuit.

Tartari multoties impetum in mœnia facientes, cum damno semper rejecti, tandem assidere & mora obsessos frangere decreverunt. *Yvenus* dissimulandæ perfidiæ, ut omnem suspicionem proditionis amoliretur, ad mœnia urbis cum exercitu suo procul à Tartarorum castris, consedit, ac nihil hostile in eos moliens, pacem tantum apud *Zungchinium* urgebat, ut illa impetrata, maximis, quæ Tartari promiserant, opibus ditaretur. Nec diutius de viri occulta perfidia *Zungchinius* dubitabat, qui per cubicularium fidissimum in Regiam *Yvenum*, quasi consilio ejus usurus, evocavit, ac clausis quasi metu Tartarorum portis, revera autem illo fine, ne cum toto exercitu proditor irrumperet, fune per mœnia attrahi jussit. Ignari omnes, quid Imperator moliretur, Magnates erant: unde nemo eorum (habebat enim multos sibi addictos & per quos cuncta aulæ arcana explorabat) Y*venum* instantis periculi præmonere poterat.

Mox ut ad Imperatorem venit, captus trucidatusque animum traditorem efflavit, ac Tartari intellecta ejus morte, obsidionem statim solverunt, metuentes, ne alio in hujus proditoris sibique fidi locum Duce constituto, opprimerentur. Atrociter passim per Provincias in *Xantungam* usque grassati, præda graves *Leaotung* repetierunt. Duravit inde usque ad Annum millesimum sexcentesimum trigesimum sextum mutuis cladibus bellum, sed Sinis plerumque victoribus, qui crebra damna Tartaris inferentes vix pedem iis securum ponere in Sina permittebant. Eo anno *Thienzungus* Rex *Niuche*, filio *Zungteo* patre illius, qui nunc imperat, successore, diem obiit: *Zungteius* hic admodum puer clam habitu Sinico sub tutela cujusdam Senatoris in Sina educatus, linguam moresque gentis

Yvenus insidiis captus trucidatur.

gentis addidicit, & Tartaricam ferociam humaniore cultu temperavit. Unde omnibus Regiis virtutibus natura pariter & arte instructus Scythicum Majorum suorum rigorem mansuetudine, affabilitate, clementia, patris insistens vestigiis abolevit, experiundo doctus plus apud Sinas ipsosque Tartaros mitia Dominantum Imperia, quam cruda & aspera, proficere. Hinc ipsi Sinenses, quorum minimi etiam errores in Republica, & improvisi ac humana inevitabiles prudentia, & circumspectione casus, morte secundum leges plectebantur, cum apud Tartaros non dignitates modo, & opes, verum etiam securitatem sibi ac gratiam paratam viderent, ad eos magno numero defecerunt. Pericula medio temporis apud Sinas belli Tartarici evanescebant. Quanquam enim Tartari Orientalem *Leaotungæ* oram tenerent, Occidentalis tamen firmissimis Sinensium præsidiis muniebatur, & in insula *Cu* validissimus contra irruptiones Tartarorum exercitus stativa habebat.

Sinæ rigidi errorum Præfectorum exactores.

Sed in ipsis Sinæ visceribus, latrones tanto numero grassabantur, ut destructum ab illis Imperium & eversum in Tartarorum potestatem pervenerit. De quorum quidem latronum Origine, successu, exitu, quædam supra petenda sunt.

Initium latrociniorum ex montanis *Suchuen*, ubi ferox populus & asper, spreto Magistratuum Imperio, in omnem licentiam prorupit. Ac primis successibus feroces, cum obviæ quæque depopulati fuissent, ipsam, caput Provinciæ, *Chingtu* obsessam tanto furore oppugnarunt, ut ea omnino potituri fuissent, nisi Sinica illa *Amazon* maturo subsidio accurrens, rebelles obsidionem magna clade deserere cœpisset, qui ad montana tuto receptu, cæteris ibi prædonibus se conjunxerunt, & alteri rebellioni occasionem præbuerunt.

Latronum furor.

Erat in *Queicheu* quidam Procerum, cui vis ac injuria à judicibus illata, neque jus suum, quantumvis acriter instaret, consequi poterat. Prædones, quorum per montana frequens ibi quoque numerus erat, Ducem eum sibi delegerunt, vindictam promittentes, neque ille iracundia & odio inimicorum, abnuit; ita mox judices illos, injustæ autores sententiæ, trucidarunt; & ipsius *Tutangi* copias fugarunt, qui tamen majori exercitu collecto prædones iterum cæcidit, ac in montium tuta latibula repulit. Accedebat, ex locustarum omnia depascentium multitudine per septem boreales Sinæ Provincias ingens fames; cumque *Zungchinius* ingenita avaritia nihil de tributis remitteret, populus ex desperatione ad arma Imprimis per *Xensi* & *Xantung*, tanta multitudine prosiliit, ut in octo castra divisi, sub totidem Ducibus militarent, severâ disciplinâ, quanquam ipsi rudes & scelerati, minima etiam peccata, punientes. Præda divites & successu inflati, jam ipsum Imperium palam, spreto *Zungchinio*, affectabant, unoquoque Ducum se dignissimum,

Secunda rebellio.

qui imperaret, censente: unde discordes tamdiu mutuis se cladibus confecerunt, donec ex omni numero, duo tantum, & illi flagiosissimi, *Licungzus* & *Changhienchungus*, superessent.

Hi duo, ne inter se collisi mutuis perirent aliorum exemplo cladibus, Imperium dividere cœperunt, *Licungzo* boream versus in *Xensi* & *Honan*, altero *Changhienchungo* in *Suchuen* & *Hoquang* ad austrum, ut longis spatiorum intervallis ab injuria prohiberentur, contendente, Tartaris in sinu gaudentibus, & haud vana spe ex horum latronum interitu, vacuam sibi Imperii Sinici possessionem promittentibus.

Licungzus Ac primo quidem *Licungzi*, cujus imprimis furore Tartari Imperium obtinuerunt, res exponendæ veniunt. Is Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo in *Xensi* & *Honan* irrumpens, cuncta passim præda, cæde, & incendio vastavit, ac ipsam urbem *Caifung*, depulsus inde post magnam suorum à tormentis acceptam stragem, frustra obsedit: mox nova prædonum manu auctus, repente alium in urbem impetum fecit. Eam ex improviso occupaturus, sed vigilantia civium, ac præsidiariorum denuo re infecta abscedere coactus fuit. Ergo eam undique, quanquam ingenti trium milliarium ambitu, obsedit, mora & fama ad deditionem coacturus, quod anno, ob aquarum eluviem sterili, tanta multitudo diu intra urbem subsistere non possit. Per semestre obsidio duravit, tanta fame, ut libra oryzæ pari argenti pondere, libra detriti corii decem aureis venderetur, carnibus mortuorum hominum in publico macello, instar suillæ, venalibus, ac beneficentiæ signum erat cadavera cognatorum in publico devoranda aliis concedere, qui paulo post & ipsi aliorum futuri erant pabulum. Sita est *Caifung* in spatiosa ad australem fluminis Crocei ripa, quod tamen non ex propinquo eam alluit, sed horæ spatio distat. Et quandoquidem aquæ fluvii altiores subjecta planitie sunt, hinc vallum ex quadrato & crasso lapide, eluvio aquarum par arcendo, structum est. Imperator tandem cum exercitu liberandæ urbi appropinquavit, & consultissimum videbatur, vallo lapideo perfosso, hostiles copias submergere tanta imperitia, ut non cogitarent ejus facinoris auctores, altiores ipsius urbis mœnibus aquas, crebris tum in autumno imbribus adeo tumidas, ut ipsum marginem aggeris sua altitudine æquarent, quod vix unquam alias factum memorabatur.

†Inaudita fames.

Urbis eversio aquarum vi. Factum igitur tam patens per aggerem foramen, ut paucis horis, non maxima tantum pars hostilis exercitus, verum etiam ipsa urbs cum trecentis hominum millibus, funditus submergeretur. Ita urbs amplissima, priscorum sedes Regum, nono Octobris Anni millesimi sexcentesimi quadragesimi secundi, cum toto vicino agro in paludem redacta, omnibus ædificiis, templis, turribus undarum vi eversis; & ipsæ annosæ arbo-

arbores radicitus exstirpatæ per campos passim fluitabant. Et quanquam *Licungzus* in hac inundatione magnam copiarum partem amisisset, nihilominus animo tam elato fuit, ut Regem se proclamari, *Xinnungi* quod felicem significat, nomine jusserit. *Honan* vastata in *Xensi* impetum convertit, & ejus metropolin *Xigan* post tridui oppugnationem ad deditionem adegit, vita civibus donata, urbe militibus in prædam concessa. In ea imposterum urbe sedem belli collocavit, & commeatu eam armisque contra omnem vim instruxit. Tandem Imperatorium quoque titulum suscepit, familia *Thienxun*, id est *Cœlo obedienti* condita: quippe hoc specioso nomine innuere volebat à cœlo se, castigandæ Imperatoris avaritiæ, & præfectorum Tyrannidi, ad summam potentiam destinatum. Magno Sinensium gaudio hic titulus receptus fuit, quod Imperia cœlitus dari, non vero fraude, aut vi occupari posse credant. Ac ut animum populi benevolentia sibi conciliaret, seque cœlo dignum ostenderet, tributa abrogavit, præfectos antiquos novis mutavit, divites magna pecunia mulctavit, suos, etiamsi capitale admisissent, verbis tantum castigavit, Sinas Duces, qui ipsius partes sequi nolebant, interfecit, & omnem Magistratuum vim ac injuriam à populo prohibuit. His artibus ut ab omnibus amaretur & laudibus ad cœlum extolleretur, facile consecutus fuit.

Licungzus Regis titulum assumit.

Sed præter hos duos prædonum Duces, alia adhuc in ipsa aula *Pekingensi* factio jam sub Imperatore *Thienkio* radices egerat, unde præcipua malorum omnium ac publicæ ruinæ causa fluxit. Discordes inter se Proceres, nimiam cujusdam *Guei* apud Imperatorem potentiam ægris oculis aspectabat, cui *Thienkius* non modo omnem Imperii gubernandi authoritatem concesserat, verum etiam Patris loco eum venerabatur. Ipse *Gueius* fastu & superbia tumens, ob levissima præcipuos Magnatum morte vel exilio plectebat, ac minus splendide per adulatorios titulos in epistolis ac libellis compellatus, atrociter sæviebat, quod conscii tenuitatis ejus, ac à qua origine descendisset, moleste ferebant. Ipse *Zungchinius* ejus insolentia offensus hominis fastum odio habebat, & si penes *Gueium* stetisset, post *Thienxii* obitum, alius quivis ad Imperium pervenisset.

Invidia Procerum in *Guei* primaria Regni excidii causa.

Hinc Dux, in aula factionibus toto inde Imperio sparsis, ut vix quisquam alicujus authoritatis non alterutri specie boni publici, reipsa ut se suosque, exclusis adversariis, promoverent, addictus esset, *Zungchinius*, postquam ad Imperium pervenisset, has factiones vi & suppliciis præcipuorum extinguere dum conatur, odia utriusque in se solum convertit, ac acrius incendit. Nam initio statim *Gueium* honorifice ad tumulos Imperatorum ablegatum, misso sericeo in aurea pixide, funiculo, ad spontaneum suspendium adegit; id quod ille, ut moris, magno animo fecit, quod talis mors perhonorifica apud Sinas censeatur. Inde ejus com-

complices toto Imperio ad mortem conquisiti, successu tam improspero ut reliqui latronibus conjuncti juraverunt. Se mortem tot præstantium personarum, ulturos. Hinc Duces cum exercitibus contra hostes missi, re infecta redibant, plerisque *Guei* partes sectantibus & ab eo ad dignitates promotis.

Licungzus, cui omnia Imperatoris & aulæ arcana patebant, postquam quis rerum status esset, intellexerat, rebus in *Xensi* constitutis, Crocei flumen, nullo resistente & incustoditum, urbe ad ejus australem ripam *Kiangcheu* in transitu capta, facile trajecit. Inde plerisque urbibus spontaneam deditionem facientibus, urbem *Thayven* resistere ausam vi cepit, Ducibus interfectis & civibus, quorum plerique ceciderant: graviter mulctatus *Zungchinius*, ubi flumen Croceum latrones superasse & in *Xensin* proximam *Pekingæ* Provinciam irrupisse cognovit, sub *Lio* Duce magnum exercitum collegit, qui cum vix in conspectum hostium venisset, desertis vexillis & fide exuta ad *Ticungzum* transiit, tanto *Ly* dolore, ut seipsum ab arbore suspenderet. Rumore tam infelicis expeditionis *Pekingum* delato, ingens tota urbe luctus & Imperator cum omnibus thesauris suis *Nankingam* fugere cogitabat. Sed clandestini ejus inimici, qui jam animo proditionem moliebantur, fugam dissuadere, nec aliud etiam illis, qui fidi erant, placebat: quod urbem tantam desere, esset extremæ desperationis argumentum: unde hosti audacia, subditis terror; ac cunctis intus ad defensionem abunde extantibus, milite, armis, commeatu in longum tempus, obsidionem quamtumvis gravem facile sustineri posse, promptis ad subsidia ferenda toto Imperio civibus. Ita Imperator consensu victus, urbem ad extremum defendere sua præsentia statuit.

Imperatori fuga dissuadetur.

ian

Ita *Licungzus* non fraude minus, quam manu promptus, multos suorum Sinico habitu, tanquam mercatores, paulatim in urbem misit, usurus eorum opera, ubi cum exercitu ante mœnia consedisset. Nec contentus urbem milite suo clam implere, ipsos Sinensium Duces nonnullos in partes suas traxit, qui urbem se prodituros pollicebantur, ignaro omnis conspirationis & doli *Zingchinio*, ac mœnia tormentis undique instructa lustrante. Sed ea murorum parte, ubi conjurati hostiles copias intromiserant, tormenta solo pulvere, absque globis, referta, latronibus non nisi innoxio strepitu vanum terrorem incutiebant. Ita Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto mense Julio ante Solis ortum totus *Licungzi* exercitus per portam à proditoribus apertam, urbem irrupit: & quanquam præsidium Imperatori fidum acriter per plateas resisteret; clandestini illi latronum socii adeo omnia tumultu miscebant, ut desperata ulteriori defensione, succumberent. Ipse *Licungzus* cum lectissimis militum suorum recta per desolatam urbem ad Palatium contendens, illo, quantumvis Eunuchorum fidissimi extrema audacia repugnarent, noti-

Licungzus urbem clam ingreditur.



potitus fuit. Jamque per ſecundam aulæ portam, ignaro omnium rerum Imperatore hoſtes ad interiora penetraverant (ô miſeram & apud poſteros vix fidem reperturam ſocordiam! ſed tanta erat Eunuchorum a *Licungzi* partibus ſtantium, perfidia, ut ad extremum uſque momentum omnia coram Imperatore diſſimularent) cum iidem, nullo jam effugio, cunctis undique viis ab hoſte obſeſſis, periculum imminens denunciarunt.

Imperator repentino nuncio & improviſo attonitus, nulla ne ſalu... ſupereſſet ratio, rogare; & illis *perdita omnia*, ac ſecundam jam ab hoſte portam teneri, nunciantibus, epiſtolam proprio ſanguine ſcripſit, Eunuchos ſuos, ut proditores, accuſans, ſubditos excuſans, ac *Licungzo* Imperium cœlitus deſtinatum gratulatus, vindictam ipſi perfidorum commendavit. Literis ſcriptis mox filiam nubilem, ne ludibrio hoſtibus eſſet, ſua manu in cubiculo confodit, & hortum ingreſſus de faſcia crurali ſeipſum ab arbore pruno ſuſpendit. Hic exitus *Zungchinii* ultimi & infeliciſſimi Sinarum ex Taimainga familia Imperatoris fuit. Nam quamvis & alii familiæ hujus poſtea electi; quia tamen non niſi partem aliquam Imperii tenuerunt, ab ipſis Sinis in Catalogo Imperatorum *Taimingarum* non recenſentur. Ita familiam quam latro *Chu* condiderat, alius latro *Licungzus* iterum peſſum dedit. Exemplum Imperatoris *Tutangus*, Imperatrix, fidiſſimi cubicularii & alii imitabantur, omnes ab arboribus ſua manu ſuſpenſi: & multa millia civium aquis aut laqueo ſe ſuffocabant, ne tanto dedecori & ruinæ publicæ ſupereſſent.

Generoſus *Zingchinii* exitus, uxoris, & aulicorum.

Præ immami Regicidio hos effudit Musa gemitus.

Hostis atrox urbes ignaro Cæsare cepit,
Et Regni fines sub sua juga dedit.
O scelerata fides! Dominum quæ prodit inermen.
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.

Prædator solium ...dit.

Licungzus, dum hæ Tragœdiæ in aula exercentur, Palatium magno comitatu irrumpens, in Solio Imperatorio titubans & pallidus consedit, ægre verba aliquot semesa & tertiata hæsitante lingua proferens, ipsa loci Majestate hoc monstrum quasi aversante,& breve Imperium præsagiente. Altera die cadaver *Zungchinii* in minimas particulas secari jussit, Tyrannidem objiciens ipse omnium immanissimus. Filius *Zungchinii* maximus natu nunquam vivus mortuusque iterum apparuit, quanquam studiose inquisitus; nonnullis in montana ad reliquos Sinenses aufugisse; aliis post patris mortem in lacum insiliisse, & submersum referentibus. Duo alii filioli tertia expugnatione die,magna omnium commiseratione, decollati. Extincta familia Imperatrice, in Optimates furorem suum convertit, ac quasi ad consultandum convocatos, immissis percussoribus, omnes crudelissimis tormentis interfecit, nisi quod ditiores ingenti pecunia vitam suam redemerunt. Tum ipsa urbs prædæ & direptioni militum immani crudelitate per multos dies exposita fuit. Inter alios captivos extremâ senectâ *Us* pater *Usanguei*, cui exercitus Sinicus in *Leaotung* contra Tartaros excubans, parebat, à *Licungzo* minis promissisque adactus, Epistolam in hunc sensum ad filium suum scripsit: *Cœlum, terra & fatum, unde rerum humanarum vices dependent,* Zungchinio,*&* Taiminga *Familia extinctis, Imperium* Licungzo *tradiderunt. Æquum est, ut Cœlo & necessitati pareamus. Regiam Dignitatem & amicitiam suam tibi pollicetur, si cum exercitu fidem jures ac Imperatorem agnoscas. Vitam mortemque meam in tua manu habes, quod illi, à quo vitam accepisti, debeas, tecum reputa.*


Duo filioli Cæsaris decollantur.

Literæ *Us* ad filium.

Usangueius paucis rescripsit: *Pater meus non est, qui Imperatori suo infidus est. Si tu fidei Imperatori debitæ oblitus es, quis me reprehendet, si obedientiæ tibi debitæ oblivíscar. Mori præstat, quam proditori inservire.*

Responsum cedro dignum.

Mox *Usangueius* Legato ad Tartarorum Regem misso,auxilia ejus contra *Licungzum* Sinici Imperii invasorem, imploravit magnam linteorum tenuissimorum,Sericeæ telæ, auri, argenti & formosarum puellarum (quæ Tartaris, ubi major virorum quam fœminarum copia, gratissimum munus sunt) copiam pollicitus. Tartarus diu in talem occasionem intentus prompte conditionem acceptavit, & ex *Leaotungæ* præsidiis contracto octoginta millium exercitu ad *Usanguei* castra properavit eumque ita allocutus fuit: *Ut expeditio nostra* feliciter *succedat, autor sum militibus tuis omnibus, habitu Tartarico & succisis capillis uti jubeas, ita latro ea specie*


PLATTE GRONDT VAN
sKEYSERS HOF IN PEKIN
PDANUM AULÆ
PEKINGENSIS.
1. De vier Poorten nae de vier hoecken der Weerelt.
2. Het voor Hof daer de wacht is.
3. Drie Groote Olyphanten de Wacht houdende.
4. Het eerste pleyn. 5. Het tweede pleyn.
6. Het darde pleyn. 7. des Keysers Troon.
8. Twee en dartich Kostelyck Paleys Lust-hooven Vyvers en andre vermaecklyckheyt.
1. Quatuor portæ Versus Quatuor mundi plagas.
2. Caræduim, ubi excubiæ finut.
3. Tres majores Elphanti excubantes.
4. Area prima. 5. Secunda Area.
6. Area tertia. 7. Cæsaris Thronus.
8. Triginta duo Viridaria.
33.

ſpecie deceptus, meros Tartaros eſſe putabit: nam ob Regni mei diſtantiam, ac late diſperſos per præſidia milites, tam celeriter majores copias ſuppeditare non poſſum.

Uſangueius vindictæ cupidine cœcus, parum conſiderabat cum tigribus ſe fœdus pangere, ad canes Sina pellendos. *Licungzus* certior factus Tartaros adventare, *Pekingam* trepidus, omnibus ſecum theſauris ablatis, deſeruit, in *Xenſi*, flumine Croceo trajecto, aufugiens, ac in urbe *Sigan* novi Imperii Solium conſtituens. Sed in ipſa via à Tartaris omni præda exutus fuit, qui theſauris à familia *Taiminga* per ducentos octoginta congeſtis potiti, omiſſo latrone, *Pekingam* Rectore vacuam occuparunt, atque ita Imperio Sinico, quod tantis bellis quæſiverant, facili labore & abſque ullo periculo potiti fuerunt.

Dum hæc geruntur, *Zungteius* repente obiit, filiolo ſexenni relicto, quem ſucceſſorem moribundus nominavit, & tutelæ fratris ſui commendavit. *Uſangueius*, pulſo *Licungzo* Imperium ad proximum ex familia *Taiminga* translaturus, gratias Tartaris pro fide & auxilio egit, ac muneribus oblatis, ut domum reverterentur, ſatis jam priores ulti injurias, autor fuit. Sed illi alia longe animo agitantes, neque Sinam è manibus dimittendam cenſentes; nondum tempus eſſe, reſponderunt; hærere adhuc in Regni viſceribus *Licungzum*, *aliosque latrones*: proficiſcerentur *Uſangueius* contra *Licungzum*: ſe reliquam prædonum manum *Xantunga* pulſuros, ita Imperio purgato, pacem fore ſtabilem his verbis. Tartarorum inſidiæ.

Nondum te, ac Imperium Sinicum deſerendi tempus idoneum eſſe arbitramur, niſi tibi aliud videatur. Latrones ſuperſunt plurimi; pauci ex illis periere: jam in Sigan Xenſi *Provinciæ Metropoli Imperialem ſedem* Licungzus *fixit. Cogita ditiſſimas ac populoſiſſimas Provincias ſub illius adhuc eſſe poteſtate. Nobis diſcedentibus, pejora Sinis timenda manent. Nos Tartarus timuit, quos ubi abiiſſe didicerit, auctis mox viribus aderit, ac Imperio majores, quam antea, turbas inferet: & nobis fortaſſe commodum non erit, miſſis denuo auxiliis, fortunæ tuæ labanti ſuccurrere. Quandoquidem hic præſto ſumus, noſtrum erit latrones omnino extinguere, ut pacatum Regi tuo Imperium tradas. De promiſſis præmiis ſollicitus ne ſis; cum ea ſive in noſtrâ, ſive in tuâ poteſtate fuerint, æque nobis tuta ac ſecura ſunt. Quod reliquum eſt, ſuademus, ut te cum tuorum parte, ac Tartaricis aliquot legionibus, in* Licungzum *moveas; nos cum reliquis copiis* Xantung *latrones opprimemus: ita Imperium ex omni parte pacatum reſpirabit.*

Hoc conſilium *Uſangueius* ſe approbare ſimulavit, ac Tartaris in Sina commorandi libertatem dedit. Miſerant autem in Tartariam, qui copias, quantas poſſent maximas, undique ad Sinam expugnandam contraherent; interea erga Sinas perhumanos ſe & benevolos gerentes.

Medio temporis cum ingentibus ex *Niucbe*, *Niulhan*, *Yupetaca* & Occidentali Tartaria copiis Duces Tartarorum in Sinam appulerunt, ſexennem

nem *Zungtei* filiolum secum adducentes, quem statim Imperatorem Sinæ proclamarunt, nomine *Xunchi* imposito, & familiam Imperatoriam *Taicungam* appellantes. Hic est ille hodiernus Tartarorum Sinarumque Magnus Chamus, decimum nonum ætatis annum nunc agens, qui quanquam sexennis tantum puer, Solium Imperatorium singulari cum Majestate conscendit, ac patruos suos, reliquamque Tartarorum multitudinem, mascula oratione, ac nil puerile referente, allocutus fuisse perhibetur.

Pupillus Tartaricus Imperator Sinæ proclamatur.

Non mea, Bellicosi Proceres, sed vestra fortuna ac virtus me throno Imperatorio admovit, cui firmius, quam trepidans Licungzus, *& melioribus auspiciis insideo. Primordia Sinici Imperii hæc sunt, quod vestra fisus fortitudine totum in mea me habere potestate, credo. Merces fidei vestræ & virtutum (quanquam quæ digna tantis meritis reperiri potest merces?) Opes Sinicæ & Regiæ dignitates erunt. Quisque vestrum strenue rem & fortiter gerat.* Haud puerilis ingenii Oratio visa, Tartaris cum stupore exclamantibus; *à Cœlo & providentia hunc Infantem ad Imperium destinatum.* Eadem die *Xunchius* patruum suum majorem *Amahan* (Sinæ pronunciant *Amavang*, id est Tartarica lingua, Pater Regis,) creavit. Hinc belli totius & Imperii administratio demandata, quam ita gessit, ut Tartari præcipue ejus consiliis ac dexteritati Sinicum Imperium debeant: nam prudens, circumspectus, fortis, fidelis, humanus, justus & erga Sinenses moderatus, beneficus, affabilis erat; unde eorum animos magis magisque sibi & Tartaris conciliavit.

Usangueius à Tartaris deficit.

Eadem die *Usangueius*, missis ad ipsum legionibus aliquot Tartaricis Rex *Pingsi*, id est *Occidentis pacator*, creatus fuit, *Sigan* & *Xensi* ei attributis. Ita familiæ Taimingæ, quam hactenus summa fide coluerat, valedixit, & Tartarum Imperatorem, honoribus ac necessitate victus, agnovit. Facile latrones ope Tartarorum *Xensi*, pulsi & *Usangueius* Regiam sedem in urbe *Sigan*, sed Imperio militari exutus, (suspecta quippe ejus potentia Tartaris erat) collocavit. Qualem vitæ exitum *Licungzus* habuerit, non constat. Copiæ ejus ab *Usangueio* penitus concisæ; ipse nec vivus nec mortuus imposterum comparuit. Reliqui Tartari, ut convenerat, *Pekingam* & Xantungam facile negotio occuparunt, ac copias suas frequentissima Sinensium accessione in immensum auxerunt, quos comiter, dummodo comam raderent, & veste Tartarica uterentur, receptos opibus & honoribus extollebant. Sed præcipuum Tartaris obstaculum fuit, quod capillitii rasi nimis rigidi exactores, sub pœna læsæ majestatis, essent, Sinensibus acrius capillos, quam Imperium, propugnantibus, ac milleni eorum caput quam capillos perdere malebant.

Sinæ, qui capillos radere abnuunt, trucidantur.

Adeo Tartaris secunda fortuna aspirabat, ut unico anno quatuor boreales Provincias, *Peking*, Xansi, Xensi, Xantung, præter *Leaotung*, expugnarent. Et conciliabat illis Sinensium animos, quod nihil in forma regi-

regiminis immutarent, antiquos Magiſtratus, Philoſophos eorumque examina, retinerent: nihil ſibi niſi militiam reſervantes à qua tamen peritos & fides Sinenſes Duces non excludebantur. In ipſa *Pekinga* priſcus Senatorum Imperii Ordo Servatus, eo tantum diſcrimine, quod dimidia pars ex Tartaris conſtaret. Interea Auſtrales Provinciæ, ingenti exercitum ſuppetias laboranti Imperatori ſuo laturæ, cum mortem ejus intellexiſſent & Tartaros Imperio potiri, inopino caſu vehementer perturbabantur.

Nankingenſes & ipſi hac ſubita *Zungchinii* ruina & Tartarorum progreſſibus exanimati; tandem per longam deliberationem, novum ex *Taiminga* familia Imperatorem, *Hunquang*, nomine nepotem *Vanliei*, qui ex *Honan*, metu latronum, *Nankingam*, confugerat & Princeps bellicoſus erat, elegerunt. Is ſtatim Legatos ad Tartaros pro pace obtinenda, cum oblatione Provinciarum borealium, miſit. Sed Tartari non ignorari Sinas, tempus, vires & pecuniam colligendi, captare, reſponderunt: *ab alio ſe quæ jam poſſiderent, haud accepturos. Defenderent ſane ipſi, novis undique congregatis viribus, novum quem creaſſent Imperatorem: ſibi mentem eſſe, aut tota Sina aut nulla parte ejus potiri, neque ante arma poſituros, quam deſtinata ſua aſſequerenter.*

Nankingenſes eligunt novum Imperatorem.

Dum Legati pacem quærunt, interea juvenis quidam qui *Zungchinii*, majorem natu filium ſe jactabat, *Nankingæ* prodiit ac non deerant Eunuchi, qui ſe eum noſſe teſtabantur. Sed *Hunquang* æmuli impatiens, competitorem in carcerem proditionis accuſatum, conjecit, unde odia procerum in eum accenſa ac Tartaris optata occaſio *Nankingam* invadendi, data, qui mox, fluvio Croceo ſuperato, (quanquam ripam ejus adverſam, tam denſa Sinenſium agmina obſiderent, ut etiam ocreis ſuis ac calceis aggerem contra Tartaros exſtruere potuiſſent) fugatis Sinenſibus, quicquid ad boream fluvii *Kiang* ſitum, occuparunt. Tum deprehenſum fuit in bello animum, non numerum ſpectandum: nam ne conſpectum quidem Tartarorum Sinæ ferebant, ſed veluti ovium greges, lupo adventante, aufugerunt. Sola urbs *Iangcheu*, in qua cum præſidio *Zuus Colaus* excubabat, Tartaris ſe oppoſuit; ſed eorum vim non ſuſtinens, omnibus cæſis, capta fuit. Cadavera in ædium ſummitates, ne, fœtore ſuo, peſtilitatem facerent, delata & cum ipſa urbe, combuſta ſunt.

Expugnata urbs Iangcheu.

His victoriis, tranſitione Sinenſium, indies Tartarorum viribus creſcentibus, ipſam urbem *Nanking*, priſcorum Regum ſedem, auſtrinæ, fluvii *Kiang*, mediam ſecantis Sinam, ripæ adjacentem invaſerunt. Sed dum ipſi navibus flumen trajiciunt, Sinæ ſub *Hoangchoang* bellicoſiſſimo Ducum, transjictionem eorum tam acriter prohibebant, ut Tartari maxima clade repellerentur. Tum patuit Tartaros à Sinis vinci poſſe. Verum mox *Hoangchoang* proditione cujuſdam *Thieni*

à Tartaris, magna præmiorum, ſpe corrupti, ſagitta trajectus periit & ipſe Imperator *Hunquang* dum fugam molitur, ab eo captus & Tartaris traditus fuit, quem *Pekingam* Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, media æſtate, velut in triumpho deductum ante mœnia, ſpectante Imperatore *Xunchio*, nervo arcus ſtrangularunt, quod genus mortis apud Tartaros illuſtre cenſetur. Ita primo Imperii anno *Hunquang*, & juvenis ille qui ſe *Zungchinii* filium ferebat, cæterique omnes ex Regia Familia, more Aſiatico, ſtrangulati.

Ita *Nankinga* potiti, diviſis copiis pars *Chekiang*, alii fluvio *Kiang* trajecto, *Kiangſi*, *Huquang*, *Quantung* petierunt. Apud *Hangcheu* primam *Chekiang* metropolin, flos Sinenſis exercitus & quicunque ſtragem evaſerant, ſubſiſtebat, à quibus Imperator ex familia *Taiminga*, *Louangus* creatus. Sed ille Regio contentus titulo, tum ſe Imperatorem fore dixit, ubi Tartaris pulſis, vel unica urbs Imperatoria recuperata fuerit. Vix triduo regnaverat, cum Tartari advenerunt. Milites ad pugnandum concitati, ſtipendia poſcere. *Louangus* ruinam ſuam urbisque prævidens, mœnia conſcendit & genubus flexis Tartaros oravit, civitati parcerent; *De me* inquiebat, *quod videtur, ſtatuite, victima pro ſubditorum meorum incolumitate ero.* Ita ſeipſum Tartaris captivum dedit. Tum Tartari portas urbis claudi juſſerunt & in *Louangi* copias impetum fecerunt, quorum maxima pars fluvio *Cienthang*, dum eum ſcaphis trajicere conantur, multi ſubmerſi ſunt. Inde urbs *Hangcheu* nullo civibus damno illato, capta, ac ſcaphis fluvio *Cienthang* ſuperato, *Xaoking*, pulcherrimam totius Sinæ civitatem, ſpontanea deditione occuparunt, ac reliquæ omnes urbes pari facilitate in poteſtatem eorum perveniſſent, niſi Sinas, novo de capillis ponendis edicto, ad arma concitaſſent. Quippe Sinæ majoris capillos ſuos quam ipſum Imperium facientes, Tartaros iterum urbe *Xaoking*, & trans fluvium *Cienthang*, magna ſtrage propulſaverunt, ac ſi victoria uti ſciviſſent, omnibus iterum locis ejici Tartari potuiſſent. Sed ipſi capillis ſuis contenti ad auſtralem ripam fluvii ſubſtiterunt, Tartaris poſt hanc cladem integro anno, nulla re memorabili geſta, quieſcentibus.

Sinæ pro conſervandis capillis pugnant.

Sinenſes, poſt *Louangum*, novum, ex familia *Taiminga*, Imperatorem quærentes, alii quendam *Lu*, alii *Tangum* elegerunt: unde diſcordantibus illis, Tartari novis *Pekinga* copiis aucti, denuo fluvium *Cienthang* ſuperare, ſed fruſtra, conabantur. Nec parva ſpes affulgebat potentiæ eorum infringendæ, niſi fatalis illa duorum Regulorum diſcordia obſtitiſſet. *Tangus* volebat ut *Lu* Regno cederet: *Lu* vero; ſe & primo electum & hoſtium victorem fuiſſe. Ita dum inter ſe rixantur, Tartaris occaſio data, fluvium *Cienthang*, loco quodam inter montium anguſtias, ob aquarum inopiam (& erat æſtas calida ac ſicca) vadoſo, ubi nullæ Sinarum excubiæ, trajiciendi. Cumque adverſam jam ripam tenerent, fuga paſſim Sinenſium & ipſe Reputus *Lu*, urbe *Xaoking* deſerta, arreptis navibus in Inſu-

Rixæ inter Tangum & Lu.

Insulam *Cheuxan*, haud procul continente *Chekiang*, è regione urbis *Ningpo*, sitam confugit, ibique sedem novi Regni, constituit.

Hæc insula, hactenus piscatorum casis habitata, ab eo tempore Sinis ad *Luum*, tanquam capillorum suorum protectorem, ingenti numero, confluentibus, jam potens & magnificum regnum, septuaginta duas civitates, numerat. Tartari omnibus urbibus *Chekiang*, hac *Lui* fuga potiti, *Kinhoam* quæ sola resistere, *Tutangi* sedes, ausa, cum parte copiarum obsederunt, eamque tormentis *Hangchevo* adductis (quippe obsessi præcipuum detrimentum Tartaris per tormenta inferebant quæ continenter in eorum castra explodebant) vallo magna latitudine dejecto, vi expugnarunt. *Tutangus*, ne in potestatem hostium vivus veniret, se familiamque suam, pulvere, combussit. Alia Tartarici exercitus pars *Fokien* petiit, quæ Provincia, perpetuis & asperrimis undique montibus, à *Quantung*, *Kiangsi* & *Chekiang*, discreta, unam tantum viam, quæ paucis præsidiariis contra omnem humanam vim defendi & claudi potest, habet. Sed tanta Tartarici equitatus formido apud Sinenses erat, ut vix equorum conspectum ferrent. Ita claustris montium incustoditis, quanquam ægre, superatis, Tartari *Fokien* ingressi eam, citius fere, quam perambulari posset, occuparunt. Sed nonnulli occupatæ tam subito *Fokien*, hanc causam fuisse referunt. Erat eo tempore pirata quidam *Chinchilung*, quem Europæi *Iquon* vocant, toto Oceano Sinico, & per *Fokien* potentissimus. Is cum Lusitanis in *Makao*, Hollandis in *Formosa* diu inserviisset, pertæsus servilem conditionem, socios quosdam nactus, piraticam facere, & ab exiguis initiis, ingentem classem, solus Indicæ & Sinicæ mercaturæ Dominus, colligere, cum Imperatore Sinensi fœdus inire. Tanta ejus potentia erat, ut classem ter mille navium in portu *Focheu*, stantem haberet. Sed ipse hac fortuna non contentus, Imperium Sinicum, familia *Taiminga* deleta, affectare, quo fine cum Tartaris fœdus & amicitiam inivit. Constituerat eum *Lunguvus* sive *Lu*, Ducem copiarum in *Fokien*: unde Tartaris advertantibus Provinciam prodidit & ab iis Rex *Pingnan*, id est *austri pacator*, factus fuit. Sed Tartari potentiam ejus ac ad Imperium adspirantem ambitionem suspectantes, quem palam aggredi non audebant, eum honoribus & per ingentia promissa, evertere paulatim, conabantur. Cumque regulum Tartaricum *Pekingam* proficiscentem, improvidus, classe in portu *Focheu* relicta, comitaretur, jussus fuit, quicquid tandem reluctaretur, sequi. Ita qui armis insuperabilis erat, fraude captus ac tandem *Pekingæ* veneno clam necatus fuit. Filius ejus & fratres, audita hac captivitate, classem repetierunt ac Sinam hactenus hostiliter deprædantur.

Causa oppressionis Fokien.

Dum hæc per *Fokien* geruntur, alius Tartarorum exercitus per *Huquang* & *Kiangsi*, in *Quantung* penetravit ac adjutus illis copiis, quæ *Fokien* expugnaverant, pari celeritate ac fortuna, illam Provinciam subegit.

Hinc in *Quangsi* irruptione facta, magnis cladibus à quodam *Khin* Thomas, & *Ching* Lukas (quos Jesuitæ baptizatos Christianis nominibus appellaverant) rejecti & *Quantunga* quoque iterum expulsi fuerunt.

Vangus sacrificulus rebellat.

Hi duo Sinici Duces hac victoria animati, *Iunglieum* ex *Taiminga* familia *Vanlei*, ex filio nepotem Imperatorem crearunt, qui sedem Regiam in urbe *Quantungæ Chatking* collocavit. Rebellabat etiam contra Tartaros in *Quangsi* & *Fokien* quidam sacrificulus *Vangus*, & urbe *Kienning* aliisque capta, præsidia Tartarica passim expulit. Contra eum *Changus* Tartarorum Dux & Provinciæ *Chekiang* Præfectus, expeditione suscepta, per incustoditos montes in *Fokien* exercitu traducto, *Kienningam* & in ea *Vangum* obsedit. Obsidio in aliquot menses protracta, nec expugnari urbs, nisi mœnibus tormentis dejectis, potuit. Tum vi capta & horribili cæde funditus diruta fuit. Trecenta millia in hujus urbis expugnatione perierunt. Ita *Fokien* denuo in Tartarorum potestatem redacta.

Sed jam Tartarorum fortuna intestinis proditionibus quassari ac labascere incipit. Cum enim Sinicis uti cogerentur ab Imperii amplitudinem Præfectis, nulli eorum Tartarico regimine offensi, novas res moliebantur, & ad familiam *Taimingam* respiciebant. Primus eorum *Kinus* fuit, origine ex *Leaotung*, in cujus incolis Tartari magnam fiduciam ponebant, Provinciæ *Kiangsi* Præfectus, qui cum collega suo (duo enim semper uni Provinciæ præsunt, unus civilia, alter militaria administrans) clandestinas inimicitias exercebat. Cumque aliquando in convivio quodam Comœdiam spectarent, quæ Sinico habitu agebatur, Kinus ad socium; *annon* inquiebat *hic habitus Tartarico longe melior & gravior videtur?* Alter hæc verba tanquam Majestatem lædentia propere Imperatori Tartaro significavit, sed literis à *Kino* interceptis, ab eo armata manu in Palatio suo oppressus & interfectus fuit.

Kinus deficit à Tartaris.

Ergo *Kinus* hoc facinore patrato statim cum tota Provincia *Kiangsi* ad *Iungleium* defecit. Ejus exemplum secutus *Likungzus*, sive *Libuzus* Quantungæ Dux. Sed cum urbis *Cancheu*, quæ sola Tartaris in *Quangsi*, fida manserat, præfectus, simulata defectione circumvenit. Nam literis ad *Libuzum* scriptis cujus hæc formula, *Hactenus* Kino *non parui, quod illius vires Tartaris pares non crederem: sed quandoquidem, fortissime Dux, etiam in Tartaros moves, quod amplius ab his sperem non habeo. Tuus sum, & tuarum partium sectator: ubi vel ipse, vel per tuos aderis, hanc urbem tibi tradam.* Urbem se illi traditurum promisit: interea vero clam ex *Fokien* Tartarica auxilia noctu immisit. *Libuzus* cum suis, nihil mali suspectans, per patentes portas urbem ingressus, mox undique se à Tartarorum copiis circumventum vidit. Et plurimis suorum amissis, ipse inter cæsos (nuspiam enim imposterum apparuit) perjise creditur. Hac clade *Iungleiei* res haud parvum detrimentum acceperunt, quanquam K*inus* aliquandiu feliciter bellum continuaret & Tartaros multis prœliis profligaret. Inde urbem

urbem *Cancheu* obſedit, ſed novo exercitu Tartarico *Pekinga* adventante, obſidionem ſolvere, & intra *Nanchang* ſe recipere coactus fuit, ubi obſeſſus, capta tandem urbe, ipſe incolumis in vicinos montes effugit, quemadmodum in ejus urbis deſcriptione ſupra commemoravimus.

Turbæ in Provinciis ſeptentrionalibus.

Atque hæc auſtralium Provinciarum defectiones & turbæ fuerunt. Haud minores in Septentrione erumpebant, ubi quidam *Hous* in montanis *Xenſi* exercitum clam collegit & Tartaros ad prælium, literis miſſis, provocavit. Paſſim deficientibus Sinicis oppidis, Sola *Sigan* cum Tartarico præſidio reſtitit, Præfectus Tartarus hujus urbis, haud ſemel omnes Sinicas cives trucidare conſtituerat, eorum perfidiam metuens, ſed crudele hoc facinus cura Proregis impeditum fuit. Capillos tamen ponere, arma tradere, vallo & mœnibus abſtinere, nec plures duobus in publico colloqui, aut coire, ſub capitis pœna juſſi: ac oſtentandæ ſecuritati, portas claudi, pontes aperiri vetuit. *Hous*, cunctis Sinenſibus, quos nanciſci poterat, militiæ ſuæ immixtis, cum exercitu trecentorum millium caſtra ante urbem poſuit, Præfecto tantam multitudinem cum trepidatione de vallo conſpiciente, & iterum cædem civium moliente; ſed & hac vice deſtitit, cum Sinicos præſidiarios contra *Hoi* milites fortiter pugnare videret, unde hilaris exclamavit; *Hoo Manzu*, id eſt *ô bonos Barbaros* & *Manzuka Manzu*, *Barbari Barbaros* trucidant. Nam Tartari Sinas contemptim *Manzu* vocant, unde etiam nomen *Mangi* fluxit ſicut ſupra dictum. *Hous* cum fruſtra validiſſimam urbem, ambitu tria milliaria habentem, oppugnaret, novo Tartarorum exercitu adventante, obſidionem deſerere, magna clade accepta coactus fuit, neque quid cum eo poſtea factum, innotuit.

Nova rebellio & occaſio.

Sed jam nova contra Tartaros rebellio hac occaſione exoritur. Cum Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono Imperator *Xunchi* duodecimum ætatis annum attigiſſet, uxorem Regis Occidentalium Tartarorum *Tanyn* filiam, quod eorum amicitia Imprimis opus haberet, miſſo Legato Patruo ſuo & in tore *Amavang* petiit. *Amavangus* cum ſplendido comitatu per *Xanſi* Profectus, *Taitungum* venit, quæ urbs Imprimis ob pulchras fœminas, tota Sina celebratur. Tartari inter alias quas ſtupraverant fœminas, etiam ſponſam quandam, quod apud cives crimen atrociſſimum cenſebatur, abripuerunt. *Kiangus* urbis Præfectus, conqueſtus, eo de facinore apud *Amavangum*, non modo nihil impetravit, verum etiam contemptim & ignominioſe ex Palatio *Amavangi*, ejectus fuit.

Kiang hac ignomina ultra modum incenſus in aulam *Amavangi* cum armata manu irrumpens, omnem fere comitatum ejus Tartaricum trucidavit ipſo *Amavango* fune per muros delapſo ac celeri equo ægre manus ejus evadente. *Kiangus* hoc patrato facinore vexillum pro Imperatore Sinico & Regno *Han*, erecto ejus ſe vaſallum declaravit, ac Sinas miſſis

nunciis ad defectionem sollicitavit, multis passim ad ipsum desciscentibus, & ipsis Occiduis Tartaris auxilia valida mittentibus, quorum imprimis vires *Xunchius* metuebat. Quippe Occidentalis Tartaria viris equisque gravida est, cum Orientales equos raros invalidosque habeant & eorum ad bella copiam ab Occidentalibus emere cogantur.

Ut hæc *Kiangi* defectio in ipso ortu opprimeretur, ingens *Pekingæ* exercitus contra eum missus fuit. Simulabat initio metum fugamque *Kiangus* & in extremo suorum agmine currus, tormentis clam oneratos & Tartaris obversos reliquerat. Illi fugientibus acriter insistentes, in currus impetum, spe prædæ, faciebant; sed tormentorum ictibus excepti magnam stragem acceperunt; ipso *Kiango* ad sonitum in eos impetum faciente ac totam aciem profligante. Hinc novus *Pekingæ* terror auctus, etiam fama K*iangum*, centum quadraginta equitum, quadringenta peditum millia sub signis habere. *Amavangus* in extremo hoc Imperii periculo, ipse expeditionem contra K*iangum*, cum tota Tartarorum militia, quæ octo vexillis constat, succepit. Primum, album est, quod Imperiale dicitur; secundum, rubrum; tertium, nigrum; quartum, croceum: his tribus ultimis Patrui Imperatoris præsunt; primum autem ipse Imperator regit. Ex his quatuor, permixto colore alia quatuor conficiunt; unde quilibet miles sub quo vexillo sit, & ad quæ castra, vel ad quam urbis partem divertere debeat, cognoscit; ubi semper paratis equis ac armis ad bellum prompti habitant. Cum autem exercitus vel cohors aliqua emittenda est, intra semihoram expediri possunt omnia. Inflatur enim pro tubâ marinum cornu, illis simile quæ nos Tritonibus appingimus: ex loco autem, ac modo soni, qui & quo numero milites ac Duces procedere debeant, intelligunt; unde sine morâ parati adsunt, ac vexillum sequentes (quod à tergo ligatum eques portat) exeunt; licet sæpè præter Ducem ac Signiferum, nemo, quorsum & cujus rei causa ducatur, intelligat. Quando pugnandum est, tum primum quo destinentur cognoscunt. Secretum hoc in Tartarica militia Sinas omnes semper suspensos ac attonitos tenuit. Cum enim putarent Tartaros, hanc aut illam Regionem petere, sæpè aliam derepentè petivere. Illud etiam in Tartarica militia rarum, quod nulla secum ducant impedimenta, nec de annona sint solliciti: cibus quem occupant, satiat: carne ut plurimum vescuntur, nec à semicocta vel semiassa abhorrent: ubi alia deest, occisos equos ac camelos vorant: per otium venantur, ac sæpe integros campos vel montes circumdant; deinde paulatim coëuntes feras in medio claudunt, ex quibus quot & quascumque volunt, interimunt: venaticos etiam ad hæc canes præstantissimos alunt, ac vultures. Cubile illis est solum, tapete, quo ephippium contegunt, substrato: à domiciliis incolendis abhorrent: tentoria pulcherrima habent, quæ tanta velocitate ac arte erigunt vel deponunt, ut festinantem exercitum non detineant. Si domos inhabitare

Tartarorum vexilla.

Secretum magni faciunt, in militia Tartari.

bitare necessitas cogat, parietes omnes perrumpunt, relictis columnis, ac tectis: eundem locum cum equis pro cubili habent. Ita militiæ soli vivunt, seque indurant.

Amavangus ingenti exercitu *Kiango* bellum inferens, prælium studiose declinavit & ad Occiduos Tartaros, cum splendidissimis auri, argenti, serici & fœminarum Sinensium, quas ob formæ præstantiam Tartari æstimant, donis, filiam Regis, *Xunchio* uxorem, ac ne ulla *Kiangio* auxilia mitteret, petens, Legatos misit. His donis capti Tartari conjugium, pacem & amicitiam promiserunt. *Kiangus* à Tartaris desertus, in urbem *Taitung*, magna imprudentia, se recepit; nam mox ab *Amavango* fossa decem milliarium ambitu, intra triduum clausus, fame sibi suisque moriendum vidit, ac per medios hostes ferro viam aperiendam. Ergo cum toto exercitu in fossam impetum fecit. Hic acris diu & anceps pugna Tartaris fossam eodem fervore defendentibus, quo eam *Kiangiani* oppugnabant. Tandem K*iangus* sagitta letaliter vulneratus, & cum eo spes Sinica, cecidit. Secuta cædes militum, fuga & spontanea armis projectis, deditio; his enim Tartari vitæ gratiam faciebant. Urbs *Taitung* spoliata, *Pucheu* combusta & quicquid in Occidente defecerat, recuperatum fuit; *Amavango Pekingam* triumphantis ritu inter festas acclamationes, cum exercitu spoliis hostilibus gravi, redeunte.

Kiangus occiditur.

Omnem inde *Amavangus* curam nuptiis patruelis sui X*unchii*, cum filia Regis *Tanyn* impendit, ipse eo profectus & sponsam simul cum ingenti equorum copia ex pacto adducens. Nuptiæ ea magnificentia celebratæ sunt, quæ utramque familiam decerent. In quo Europæorum more agunt Tartari, sponsa è summi generis virginibus ducta: at Sinarum Imperatores, posthabito natalium splendore, ex maximo formosarum numero eminentem forma conjugem legunt, & ne plebejam quidem respuunt. Postremo certe Sinarum Imperatori uxor fuit, cujus pater stramineis calceis consuendis quæstum fecit. Sic olim Assuerus, ex captiva, Reginam habuit: quem morem credibile est, vel à Sinis ad Persas, vel ab ipsis Persis ad Sinas olim derivatum. Sed ut ad rem nostram redeam, X*unchii* nuptiæ pompa tanto Imperio digna celebratæ sunt. Nec sponsæ adventanti fastus defuit Nationis ingenio congruens, immensæ militum copiæ, equorum greges, qui numerari vix poterant: opulentia siquidem Tartarica non tam luxui opportuna, quam bello. Neque supra fidem videtur innumerus equorum modus; equidem apud Sinas agens novi octoginta equorum millia, ex Tartaria Occidentali uno commeatu ad Sinas dono deducta. Quæ Tartarorum potentia, ut nullis limitibus cohiberi se patitur, ita modo totam *Quantung* Provinciam vi subegit: ex qua in *Quangsi* quoque fluminis more inundantes, Tartari eam ditioni suæ adjunxere.

Magnus Cham perficit matrimonium.

Quæ dum inter Sinas & Tartaros geruntur, tres in australes Provincias

cias, Regia potestate, Tartarorum proceres missi, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, qui totidem, cum exercitibus *Fokien*, *Quantung* & *Quangsi*, in officio continerent & rebellionem subditis defenderent.

Præcipuus illorum, scopus erat *Iungleium*, qui unicus jam Sinensium ex *Taiminga* familia superat Imperator, evertere. Profecti per *Xantung* secundo flumine *Guei*, provehebantur, ibique in Tartarorum coloniam, cui vacuæ Sinarum bello, Cæsorum Regiones, agriculturæ excolendæ, cesserant, inciderunt, qui acinaci potius quam vomeri assueti, otium aversabantur inerme & in commilitium, quacunque fortunæ ascisci petebant. Duo Reguli, ut nullo Imperatoris mandato resisterent, instructi, & periculum prævidentes, abnuebant: tertius annuit. Ita vomeres in gladios & stivam in hastas conflantes desertis laboriosis agris, militiam hilares sequebantur. Imperator re intellecta, *Kengum* (ita Regulus vocabatur) per Epistolam monuit, agriculturæ consecratos, militiâ solveret; sed ille multa prætendens, jussa spernit: unde *Tutango Nankingensi* mandatum, caperet vel occideret *Kengum*.

Kengus mandatum Imperatoris non adimplet.

Postquam *Nankingam* tres Reguli pervenerant, *Tutangus* conviviis in Palatio & navibus magnificentissimè eos excepit, donec copiis jam præmissis, *Kengo* jussa Imperatoris aperuit. Ille initio trepidus, animo excollecto, unicum, ut in sua *Ioncka* extremis vacere curis posset, petiit; eoque impetrato, seipsum suspendit. Mox filius ejus a *Tutango*, patris Provinciæ, ita volente Imperatore, præfectus. Reguli tandem per *Xantung*, *Kiangsi* & *Nanking* in *Quantung*, bellum *Iunglieo* illaturi, venerunt, & plerisque urbibus sponte se dedentibus, sola *Kanton* sive *Quancheu* acrem obsidionem sustinuit; tandem prodita Tartaris, Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, quinta Decembris, miserabiter, ut supra relatum, destructa fuit. Hujus urbis Lamentabili ruina, cæteræ quæ infide *Iungleiei* hactenus perstiterant, ingentibus donis exhibitis, deditionem fecerunt; unde Regulus *Quantung*, urbem *Chaoking*, in qua *Iungleius* aulam suam habebat, cum exercitu petiit; sed ille diffisus viribus, initio in *Quangsi*, inde versus Regnum *Tungking*, & sicut alii referunt, deserto continente, in insulas, quorsum non constat, confugit.

Kengus seipsum suspendit.

Atque hic Tartaricarum pariter & Sinensium rerum, Anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi status fuit. Sequente quinquasimo primo, *Amavangus* obiit, columen Regni & cui omnem Sinam Tartari, Sinæ libertatem debebant; utrique enim, consilio, justitia, humanitate, gratus acceptusque erat. Vix excesserat, cum magnæ in aula turbæ, fratre minore ejus *Quinto*, etiam cum ingratiis Tartarorum ac Sinensium, tutelam invadente.

Amavangus præstantissimus Dux moritur.

Tartari & Sinæ jam sextum & decimum annum *Xunchium* attigisse referebant & Imperio maturum. Contra *Quintus*; imparem adhuc molitur & sibi

& ſibi tutelam deberi. Ergo cuncti Proceres munia ſua abdicarunt, à nullo, quam *Xunchio*, recepturi. Hac conſtantia victus *Quintius*, *Xunchium* Imperatorem agnovit.

Xunchius jam ſuæ ſpontis, prava *Amavangi* conſilia in lucem protracta, ſeveriſſime vindicavit. Erutum ſepulchro cadaver, quod apud Sinas abominabile, fuſtigatum, virgisque cæſum, capite truncato, velut peſſimi patriæ proditoris, abjectum fuit. Omnes ejus aſſeclæ, quotquot conſiliorum participes erant, morte aut exilio mulctati.

Hactenus quomodo Tartari, *Licungzuo* pulſo, Sinico Imperio potiti fuerint expoſuimus; nunc de ſocii ejus *Changchienchungi* fortuna quædam memorabimus. Hujus latronis tam horribilia fuerunt facinora, ut totam Sinam depopulari ſtatuerit, ne quiſquam, à quo Imperio pelli poſſet, ſuperſtes foret. Solos milites ſuos, tanquam novam coloniam, conſervare ſtudebat, reliquos omnes, ut ſuperfluos, radicitus extirpaturus, quanquam etiam propriis non pepercerit ſectatoribus, in quos leviſſima cauſa extremis ſuppliciis animadvertit. Præcipuus furor ejus in *Suchuen*, poſt exhauſtas cædibus *Huquang*, *Honan*, *Nanking* & *Kiangſi*, prorupit. Prima furori ejus victima in urbe *Chingtu* quidam ex *Taiminga* familia Regulus fuit, cum jam ſeptem alios ejuſdem originis alibi ſuſtuliſſet. Integras non familias modo & cognationes, verum plateas & urbes promiſcuis cædibus, non parcens infantili ætati, non prægnantium uteris, ob nulla vel leviſſima, quæ ita interpretabatur, crimina, tollebat.

I[...]dita *Changchienchungi* latronis crudelitas.

Nullum noxios inter & innocentes apud Tyrannum diſcrimen. Promiſcua ſæviebat cæde in quoſcunque & cum aliquando quidam veredarius, furorem ejus metuens, quem in *Xenſi* miſerat, reverti nollet, majorem civitatis, in qua domicilium habuerat, partem cæde exhauſit: ac forte morbo extincto, cujus opera utebatur, carnifice, Medicos omnes qua[si] mortis ejus conſcios & autores, necavit.

Militibus gregariis familiariter ſe comeſſando, confabulando, dona inter eos ſua manu diſtribuendo immiſcebat: eoſdem ob leviſſimam culpam coram oculis ſuis miſerabili morte plectens, quam atrocitatem imprimis *Suchuenſis* Provinciæ, cui infenſiſſimus erat, miles ſentiebat. Si quis verbum factumve inſolens, aut petulans committeret, non ipſe modo, verum tota ſæpe legio duorum millium numerum excedens in conſpectu ejus concidebatur.

Mandarinorum urbis *Suchuen Chingtu* intra triennium quingentos & octoginta interfecit, cum ſexcenti eorum fuiſſent, viginti tantum ſuperſtitibus. Præſidem Senatus vivum excoriari juſſit, quod injuſſus Philoſopho Sinico urbe excedendi poteſtatem conceſſiſſet.

Hanchungam tertiam *Xenſi* urbem, quæ ob ſitum & firmitatem clavis *Suchuen* ac *Xenſi* vocatur, occupaturus Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto ingentem exercitum, in quo centum & octoginto

millia *Suchuanorum* erant, cæteris non ſupputatis eam obſeſſum miſit. Cumque obſidio fruſtra diu continuaretur, quadraginta *Suchuenſium* millia ad Præfectum *Hanchungæ* transfugerunt, unde reliqui infecta re diſcedere coacti fuerunt. Tyrannus adeo exacerbatus fuit eo caſu, quem cæteri præſtare non poterant, ut reſiduos, centum quadraginta millia, ab aliis trucidari juſſerit. Integro quatriduo cædes duravit: multis pelles vivis avulſæ & capitibus adhuc integris, reliqua cutis ſtramine & tormento impleta, ut agnoſci poſſent interfectorum vultus, per civitates ad cognatos & notos terribili ſpectaculo tranſmiſſa.

1800 ſtudioſi necantur.

Inde octodecim ſtudentium millia ad examen, magnis idoneos dignationibus remuneraturus, evocavit. Qui cum omnis expertes doli, frequentes conveniſſent, immiſſo milite trucidati fuerunt omnes, Tyranno rixas illas inutiles & populum ad ſeditiones impellentes prædicante.

Summa rigent, dum tot funera calamo exprimo, ubique paſſim infantes, pueri, puellæ, matronæ, prægnantium uteri hoc enorme crudelitatis monſtrum deteſtantur. Quot Præfectorum uxores, vivis adhuc maritis, ſed rogo deſtinatis, prius publico expoſuit ludibrio turpiſſimus pariter ac crudeliſſimus Tyrannus, quam morti victimas immolaret: unde plurimæ violentas Romanæ Lucretiæ exemplo, ſibi potius manus inferebant, quam ut paterentur verecundiæ ſuæ publicum hoc & infame detrimentum: execranda infinita hujus generis exempla relinquo, ne caſtis oculis ac mentibus infanda & tacenda ſubjiciam.

Cumque Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto Tartaros *Xenſin* irrupiſſe, intellexiſſet, antequam illis in occurſum tenderet (nam ob viciniam cogebatur) totam cædibus *Suchuen* evacuare ſtatuit, ſola plaga, quæ Barrapeliotem reſpicit, ubi cum exercitu tranſire debebat, excepta, quam alio tempore & ipſam exitio jam deſtinabat. Ergo primum in maximam *Suchuen* urbem *Chingtu* impetum fecit, ac ſexcenta millia civium vinciri exercitui ſuo juſſit. Ipſe equo ſublimis circumvectus, acclamantium lacrimis mixtas preces, *Imperatorem*, *Dominum*, cum revinctis poſt terga manibus non poſſent, lamentabili facie & voce deſignantium, paulum moratus, homicida gutture, *Trucida* dixit & *extingue rebelles nebulones*. Ita omnis illa civitas uno Tyranni juſſu, cæſa & jacuit immenſa potentiſſimis campis ſtrages, ipſo ingenti fluvio *Kiang*, ſanguine cæſorum ripas ſuas fere excedente, ac ne aër fœtore interfectorum inficeretur, projecta in profluentem cadavera, cæterarum appulſa urbium ripis parem iis, quaſi emortuales Legati, internecionem prædicarunt. Neque triſti omine falſi fuerunt; nam lanios ſuos in varia diviſos agmina Tyrannus undique ad cædem immiſit: ubi Patres Societatis Deo & Religioni præclaram navarunt operam, infantes innumeros, militibus concedentibus, ſacra Baptiſmatis aqua abluentes, qui ex carnificum manibus in Cœlum evolaturi erant; atque ita immanis Tyranni crudelitas

600000 cives trucidantur.

par-

parvulis illis profuit, ut Herodis Innocentibus: magnum plane Divinæ prædestinationis testimonium.

Postquam ita innumerabili cæde *Suchuen* exhauserat, imprimis vero urbem *Chingtu* (quanquam etiam *Zingis Chanum* & *Tamerlanem* per Persiam & in urbe *Isfahan*, ac *Damasco* similia, imo atrociora exempla commiserint) totum exercitum magna dispositum planitie ita allocutus fuit:

Pulsis Tartaris, vestra me bellicosa strenuitas Imperatorem orbis faciet. Sed majorem vobis precor, quam hactenus ostendistis, alacritatem. Ipse ego, nostis, sexaginta argento plenas fluvio Kiang, *submersi naves; singulis, Imperio expugnato, sua portio distribuetur. Sed fœminæ in hostem euntibus impedimento erunt; quisque suas occidat. Rerum potitis non copia pulcherrimarum deerit. Exemplo meo quid facere debeatis, ostendam.* Vix ea fatus ex trecentarum pulcherrimarum concubinarum, viginti tantum, quæ tribus Reginis suis inservirent, vivas servavit: cæteras cunctis spectantibus occidi jussit. Milites Ducis sui secuti exemplum, & ipsi promiscua cæde in imbellem sexum sævierunt. Conjugicidium im[illegible]

Cum civitates *Suchuen* cædibus exhausisset, in ipsa ædificia rabiem convertit. Urbem *Chingtu* & Palatium proprium combussit; arbores succidit, inde copiis divisis, si qui hominum stragem evasissent, occidi eos, velut post messem specilegium, jussit. Neque proprio parcebat militi, quem sive promptius, sive morbo aut desidia vel alio impedimento tardius exercitum præiret, aut sequeretur, statim necari jussit, ægrorum mortem hac humanitate quasi excusans, quod in desolatis locis relicti, unde viverent, aut curarentur, non superesset. Innumera, incredibilia immanis furoris facinora hic Tyrannus patravit, donec tandem & ipse sublatus orbem Sinicum tanta pernicie liberavit. Interitus urbis *Chingtu.*

Amavangus, audita latronis in *Xensin* irruptione, quinque equitum millia ejus sistendo furori præmisit. Quinque agmen equites, pacem aut bellum rogaturi, more Tartarico præcedebant. Exploratores latronis Tartaros imminere trepidi nunciabant. Cæterum ipse ridens: *an hostium copias avium more advolare crederent*, rogabat. Cum vero & alii Ducum hostem in vicinia confirmarent, ut corpore inermis erat, absque thorace & galea, hastam manu tenens, tentorio exploraturus excessit, ac vix egressus, in quinque illos Tartaros incidit. Prima sagitta cor latronis confodit, atque ita momento sine prælio periit, qui toti Sinæ, & si potuisset, orbi ruinam moliebatur. Totus ejus exercitus, Duce sublato, à Tartaris concisus fuit, superstitibus per *Suchuen*, hujus latronis intentum festa solemnitate & Tartaros tanquam liberatores suos, immensa lætitia celebrantibus. Sed haud prosperior Tartarici Ducis, qui *Amavangi* frater erat, fortuna fuit. *Amavangus* frigore & aëris inclementia plures quam præliis amissos milites fratri, argumentum segnitiei, objiciebat; tanta cum Tyrannus occiditur.

iracundia hujus, ut pileolum Tartaricum ſolo illideret. Hoc rebellis indignationis ſignum interpretatus *Amavangus*, fratrem carcere Sinico *Caociang* clauſit, qui Regio ſanguine natis jam olim deſtinabatur. Sed Dux Tartarus, hanc fraternam invidiam ſua morte, ſuſpendio vitam ſpontaneo finiens, prævertit. Atque hic ad Annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſecundum Tartarorum Sinarumque ſtatus fuit: quo Tartari brevi ſeptem annorum ſpatio plus terrarum occuparunt, quam integer exercitus eodem temporis intervallo in longum latumve perambulare poſſet. Duodecim nimirum Imperii Sinici Provincias, Peninſulam Coream, ac ſpatioſum Leaotungi Regnum.

INDEX RERUM

Maxime merobilium, quæ hoc Opere continentur.

Notandum hoc opus duplici prælo commissum, indicem per literas a. b. idcirco distingui.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I. Jaka

M.

N.

Neyne-

S.

T.

Tarta-

MONI-

MONITUM
PRO
BIBLIOPEGIS,
Quo loco majores Figuræ inſerendæ ſunt.

FINIS.

111

LEG. BAT
AD IM
TARTARI